

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:2, [1]
PUBLIC


Leibn. Marg. 210:3

Niedersächsische
Landesbibliothek
3 Hannover
Am Archive 1


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [2] - -


PUBLIC




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [3]
PUBLIC




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [4] - -
PUBLIC




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [5] - -
PUBLIC



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [6] - -
PUBLIC



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [7] - -
PUBLIC



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [8] - -
PUBLIC

SANCTORVM

AVGVSTINI ET THOMÆ.

VERA ET VNA MENS,
de Libertate humanâ, & gratiâ diuinâ,
explicatur, & Scholæ Thomisticæ
asseritur.


Aduersus duos THEOPHILI RAYNAVDI *libros,*
aliosque huius ætatis melioris Notæ Theologos.

MANVDVCTIONIS
TERTIA PARS DOGMATICA.

Auth. R.P. VINCENTIO BARONIO *Ord. Præd.*
ex Familia Tolosana Diui Thomæ.

PARISIIS,
Sumptibus SIMEONIS PIGET, viâ Iacobæâ,
sub signo Prudentiæ.

M. DC. LXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS ET APPROBATIONE.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [10] - -

PUBLIC DOMAIN

SERENISSIMO REGIÆ STIRPIS PRINCIPI

ARMANDO
BORBONIO

PRINCIPI DE CONTY,

PARI FRANCIÆ OCCITANIÆ PROREGI.

HACTENVS *tuis*, PRINCEPS SERENISSIME, *auſpiciis & exemplis, non meis viribus & Argumentis, pro lege moribuſque, fœliciter primâ & alterâ Manuductionis ad Theologiam Moralem parte pugnaui: nunc tertiâ ad Dogmaticam, magis arduum & periculoſius cum Aduerſariis eruditionis famâ, & gradu eminentibus, ineo certamen, detrectandum & timendum, me etiam validioribus; quodque tentaſſe in perniciem & æternum dedecus foret, niſi eò me cogeret, non tam Familiæ noſtræ dogmatum*

& gloriæ, quam eius fidei & salutis in vltimum vocatæ vitæ discrimen, ne dum iusta, sed prorsus necessaria defensio: cuius sin parem, quia plurimum variat pugnæ, & pugnantium conditio; certe non omnino dissimilem illi, qui nostræ Ethicæ vindiciis suprà vota fœlix contigit, exitum, non desperem; si quod pro Summâ & Regiæ stirpis Principis condignâ humanitate impertitus es, grauiùs laboranti, iustiusque decertanti, patrocinium non negaris.

Non minus incerta est disputationum, quam bellorum alea: nec vices rerum magis timendæ, quam cum procul abigitur, & nulla subest in pejus mutationis formido. Hanc mihi ex Prophetæ Regis consilio firmamentum posui, & nullâ mei, totâ in Te post Deum, & causæ æquitatem collocatâ fiduciâ, rem viribus imparem suscipio: ratus vbi paucis ad te relatam Controuersiam, omnium oculis subjecero; quemcumque tandem meus hic conatus successum habuerit, Scholæ & Familiæ nostræ vindicandæ consilium, Tuo & subinde publico iudicio probatum iri.

Vix vllum est ex totius Ecclesiæ cœtu Institutum, quod nostro grauiores ferat, minusque commeruerit, vbique terrarum insectationes: quia nullum extitit, quod propiùs à bene merendi studio, vel longius ab animo aliis quicquam facescendi negotij abfuerit: vix tamen sic nobis comparatis licuit vnquam, in auitâ traditione conquiescere; & illa à Christo parta pace frui: nisi in perpetua quæ pios sequitur malorum tolerantia reponamus. Quicquid ex ampla Maiorum nostrorum hæreditate, temporum & morum iniuria, reliqui nobis fecit

est; si præter aliquot pietatis instituta, aut iura, & officia, à quingentis fere annis summa in Ecclesiam fide seruata, quæ singulis diebus lacessuntur (quorum forte vindicationem à nobis extorquebit Æmulorum importunitas:) cætera duabus his partibus morum regulis, & fidei, ac Theologiæ dogmatibus continentur.

Quid vero horum, ab accusationibus & calumniis, intactum fuit? Vt non immeritò mihi nuper ab vno inter Ecclesiæ proceres, sapientia & eruditione celeberrimo, dictum sit; breui actum fore de nostræ Scholæ placitis, nisi quamprimùm valide propugnentur: hoc vno tantum deceptus; quod id operæ à me nauari oportere, aliis recusantibus, vellet, & auctor esset, vt id laboris susciperem. Quot Ethicæ nostræ sordes iectæ. quot illata vulnera grauissima sint, recentior est Amadæi Guimenij liber infamis, quàm vt pluribus commemorem. Nec à parte Dogmatica temperatum est; quin hæc grauius & periculosius impetita est: quod qui Ethicam lacessiuerunt, nos ad suarum opinionum consortium alliciant, multis encomiis & verborum lenociniis, eoque etiam reluctantes, obtorto collo trahant: adeoque à censuris in nos ferendis absunt, vt quas ipsi timent, aut quam patiuntur, relaxatæ Euangelij disciplinæ notam, moliantur depellere & delere, nostrorum Theologorum suffragiis: quasi quicquid hominum affectibus liberiore Ethica indulgent, à nobis exceperint, quæ præ nostri reuerentia, maluerint sequi, quàm damnare. An non in illos cadat? Pessimum genus inimicorum laudantes.

Sed illis satis superque responsum est: nec puto

apud cordatos viros superesse, vel minimum suspicionis, à D. Thoma eiusque Discipulis legitimis, de Ethicæ Christianæ rigore quicquam detractum, aut eius sanctitati, aut dignitati minùs consultum fuisse. Sed apertius in Scholæ nostræ partem Dogmaticam, multoque periculosius susceptum est bellum: quod Tuo, PRINCEPS SERENISSIME *præsidio, mihi sustinendum incumbit. Neque enim hîc, vt olim in subsidium, vocamur, sed designamur in excidium: nec nostrarum opinionum ambitur societas, sed in heterodoxorum partes relegamur.*

Quàm variæ sunt rerum vices! quam mira & stupenda nostrarum incusationum commutatio! quis crederet Dominicanos tot malis vexandos, tot criminationibus grauandos, vt qui semel ad relaxatæ Ethicæ Christianæ inuidiam à se depellendam, nos sibi loco clypei esse volebant, Dogmaticæ hereseos suspectæ damnationem in nos pronuncient; vt quasi licentioris vitæ, & doctrinæ hæreticæ Magistri audiamus? Et hoc admirationem auget, quod adeò diuersæ & dissidentes incusationes videantur ab eadem officina prodire: & qui nos Magistros volunt & gloriantur de Moribus; de Dogmatibus hæreticorum discipulos esse aut socios penè vociferentur. Infracti animi esse oportet, quem impauidum tot ruinæ feriant: & inuicti ac ferrei pectoris, qui tot obstrepentibus clamoribus intercedat.

Sed præter conscientiæ testimonia, præter causæ æquitatem apertam, id nos solatur maximè; quod probi fere omnes magis offendantur, quam fidem habeant his criminationibus. Verum si sa-

pientum animos minime peruadant; certe non nihil insigunt sinistri, quod de nobis credere nolint, suspicari tamen non vereantur, magis exactæ probitatis, quàm reconditæ eruditionis homines, nos ab heterodoxorum partibus propiùs abesse: & qui se magis in nos benevolos, aut minus infensos reputant; vix possunt hęc à se omninò præiudicia abjicere, nos multa euulgare nomine S. Doctoris, ab eius mente aliena: aut si quas ex illo docemus & defendimus opiniones, ad eius sensum accedant, leuibus muniri Argumentis, nec admodùm cum Traditione Ecclesiæ, ac Patrum sententiis conuenire, magisque Philosophiam humanam, ac Peripateticorum spatia, quàm Salomonis Porticum, quàm Pauli Theologiam resipere.

His itaque capitibus quatuor, tota accusationum in nos summa continetur; nempe nimia indulgentia dissolutæ Euangelij disciplinæ, corruptorum erroribus dogmatum: & qui has duas grauissimas censuras, quasi insontibus remittunt; fere nauseabundi res nostras attingunt, & vix nobis condonare possunt culpam, magis excultæ Philosophiæ Aristotelicæ, quam Ecclesiasticæ Traditionis, atque hinc male feriatæ doctrinæ, quæ sin errores, certe non amodum solida & efficacia habeat, quibus se Sapientibus approbet. Possem horum criteriorum pleraque, & fere omnia nihil morari, & spernere; quod adeò aperte falsa, & præpostera sint, vt suos auctores magis traducant, quàm S. Doctori vllam notam, & labem aspergant. Ad multa etiam horum conuitiorum patientia & silentium, qualibet scriptione opor-

tunior, & hominibus religiosis est digna defensio: sed quem toties improperant cum Caluinistis, consensus, & Libro, cui respondemus, frequentius, quàm vnquam, & à Theologo grauissimo, quanta valet eloquentia, eruditione, atque auctoritate confirmatus; ejus sane generis est, vt si ad ista taceamus, quo grauamur, Caluinismi, ipso nostro silentio, apertius rei, quàm vllorum vociferationibus simus peragendi; & ipsamet tolerantia muta, pondus sit habitura vocis, quâ nos hæreseos iuste damnari, aut accusari profiteamur.

Atque ad huius falsæ & præpostera patientiæ eiurationem coëgit, quod ex Ascetica Eremi Patrum obseruani exemplum, & animo infixum perpetuò hæsit. Cùm vni ex his sanctissimis Cœnobitis, hanc Deus cogitationem immisisset, vt explorare quid in ferendis æquo & læto animo contumeliis posset, ex Eremitis vnum rogauit, se probaret omni genere conuitiorum, nec ab vllo quamlibet aspero abstineret. Non putauit Sanctus Cœnobita recusandam hanc gratiam, vel re ac voto tantæ sanctitatis fraudandum Eremitam. Itaque virum ad virtutis exercitationem aggressus, à minoribus conuitiis ad majora processit: & exhaustis omnium vitiorum nominibus, tandem hæreticum pleno ore vocauit. Exultabat vir sanctus ad reliqua conuitia, & Apostolos imitatus triumphabat, se dignum habitum, qui pro Christi nomine calumnias pateretur: sed vbi hæresis crimen audiuit sibi impositum: excanduit, nec potuit se continere; atque ita animi mutationem excusauit: caterorum peccatorum, inquit, me reum

agnosco, & haberi lætor: at hæresis accusari non feram, non patiar, non sinam. Nam licet omnium criminum genere grauarer, præsto esset remedium à fide: at si ab illa deficerem, nulla salutis spes superesset.

Æquo feram animo nos imperitos, barbaros, Theologiæ, & Traditionis rudes, nos omni vitiorum genere corruptos traduci: nec si ad ista obmutescamus, aliqua ex silentio patientiæ laude, ac mercede, apud sapientes fraudaremur; nec hæresis accusationi, necessario publica scriptione intercedendum putarem, si ab aliquo nullius, aut mali nominis detractorum testimonio in nos instauraretur. At publicam Caluinismi hæreseos nobis scriptam dicam à viro grauissimo, cum aliquâ commiserationis & modestiæ significatione, quo semoto in speciem omni studio partium, Lectorum animis censura, se his verborum lenociniis insinuet, & irrepat; quis non videat inde præsentissimam nobis damnationem intentari? Eóque diligentiùs Antidotum parandum, & omnino indictam vindicationis necessitatem; quam non liceat eluctari, nisi cum aperta maximi criminis confessione, & infamiâ? Atque hinc nedum excusabunt, sed laudabunt etiam æqui Lectores, ignotum hominem, ausum in eam hominum eruditorum celebritatem prodire, & Scriptori tot nominibus commendato respondere: nec attendisse, quàm dispari sese pugnæ committat.

Nihil horum clàm me fuit: plura etiam, ista cogitanti obuersata sunt animo, quàm quæ objiciuntur. Sed apud me vna accusationis Caluinismi atrocitas, per se maxima, eorum à quibus

urgetur auctoritate in infinitum aucta; prorsus eleuauit omnium, quæ congeruntur, & deterrere poterant rationum momenta; eoque iustior magisque ineluctabilis defensio visa fuit, quo plus ponderis & probabilitatis ex Auctorum fama habebat accusatio. Atque hinc apud me, ista serio reputantem inualuit cogitatio, quod Scriptorem, cui respondeo, facile pro ingenita humanitate, crediderim summæ gloriæ sibi imputaturum, imitationem modestiæ Tuæ, PRINCEPS SERENISSIME, *quam inter colloquendum de rebus pietatis, & eruditionis, (neque enim de aliis tibi sermo est:) sæpius obseruare licuit; vt minus natalium, quam ingenij, doctrinæ, judicijque acerrimi luce, ac dotibus, suprà cæteros hominum prouectus, nedum patiaris, (quod singularissimæ laudis esset) sed velis ac pene cogas nos homunciones libere à Te dissentire; & interdum etiam boni consulas Tuis dictis obsistere: & quod Alexandrum referunt grauiter conquestum sibi exercitatione luctæ corpus ad belli labores aptanti, & duranti, palæstritam cum quo congrediebatur, virium remissione peperciſſe: idem, alio animo, modestiæ, & humilitatis Christianæ studio, obseruaui à Te factitatum; vt sepositio personæ respectu, vnam velis omnibus curam esse veritatis, vt sola vincat. Hanc æquitatem à Principe summo loco nato religiosissime seruatam, quis Religiosorum aut Theologorum ausit lædere? Vel conqueratur, aut vltam velit, quâ secum agetur, libertatem quam ipse expetas, nec patiaris à Tuis colloquiis arceri? Eosque maximè tuâ benevolentiâ, ac familiaritate digneris, qui inter disputandum propius à*

prærupta audæcia abſunt, quam à deformi obſequio.

Sed prẽter hoc ingens bonum, & inſigne documentum, quod Tuæ humanitati acceptum refero, & quo me ſatis munitum ſentio, aduersùs tacitas moroſiorum ſuggillationes, quibus diſplicitura forte eſt mea diſputandi ratio, citra tamen vllam verborum acerbitatem; longe plura ac majora capto: nec me conſecuturum diffido noſtræ diſputationis ad Tuum ſubſellium prouocatione. Quamvis enim Tui Auguſtiſſimi nominis clientela eò mihi ſit ardentius expetenda, quo omnibus ex me præſidiis deficior; occultâ tamen neſcio qua æquitatis, quam propugno, cauſæ conſcientiâ, malim ad Te quaſi iudicem & teſtem appellare, quam in patrocinium aſciſcere, ſi defenſoris perſonam induere nequeas niſi iudicis & teſtis munere abdicato.

Accuſationum quæ in nos vrgentur hæc ſumma eſt: id primum inquiritur, an quam Familia & Schola noſtra ex ſuo Præceptore, ſe hauſiſſe gloriatur, doctrina, eius menti ac principiis conſentiat. Hâc vna controuerſiâ ſemel conſtitutâ, duæ emergunt grauiſſimæ, Te teſte, & iudice dirimendæ, de parte Dogmatica (nam de Ethica, an corruptis hominum affectibus nimiùm indulgeamus, nihil attinet iterum rem ad incudem reuocare:) id vnum modò agitur, an Scholæ noſtræ dogmata, tum vniuerſim, tum de libertate humana, & ſcientia diuina nominatim, heterodoxorum erroribus conſentiant, & Eccleſiaſticæ Traditioni aduerſentur. Sunt enim innumeri, qui hæc in nos mala importent, & Theologiæ,

no Traditionis fidei jure ſuo quaſi nobis erepta ſibi prȩſidia vindicent, & præſumant.

Sed non arbitror adeò ſuæ cauſæ affectu, ac prȩiudiciis excȩcatos, quin patiantur, à ſuo noſtroque ſubſellio, (quoniam vtrinque ſuſpicione ſtudij partium laboramus:) ad alienum deduci: nec Tuo, poſt ſupremum Eccleſiæ, cui à Chriſto aſſerta eſt ab omni ſubreptione immunitas, credant poſſe minus ſuſpectum, aut æquius iuſtiuſque conſtitui. Et ſi cui contendentium, ex metu prȩiudiciorum, aliqua repulſæ, aut aliò appellationis cogitatio poſſet obrepere; nos illi opportuniores eſſemus; cauſati Te aduerſis noſtræ Scholæ opinionibus imbutum, & ex illa prima inſtitutione forte adhȩreſcere animo aliquid, ex diſſenſu, ac pene odio noſtrorum dogmatum, cui videare ab infantia innutritus. Sed hanc omnino ſuſpicionem auerſamur: licet enim ſummæ temeritatis foret Apoſtoli verba Tibi inſcribere, quando eram paruulus, &c. Certi tamen ſumus, eorum quibus ad ſapientiam peruenitur graduum, primum ab alieno labore, Te iamdiu emenſum, ſecundo inſtitiſſe, ideſt, propriâ induſtriâ & operâ ad culmen ſcientiarum conſcendiſſe: nec iam per alios, ſed poſt Deum temetipſo ſapere; & relictis Recentiorum Scriptorum riuulis ad totius Apoſtolicæ Traditionis fontem anhelare, & inde limpidiſſimas aquas largiſſimè epotare: & niſi conditio ſanctiſſimi coniugij, à docentis in Eccleſia munere religioſiſſimum animum abſterreret, nullus huic officio ſanctiſſime obeundo Eccleſiæ, par Tibi ſæculo noſtro contingeret.

Quid ergo ad cauſæ noſtræ examen & iudicium

in Te morosissimi desiderent, cum summæ integritati, rerum Theologicarum, & Traditionis Ecclesiasticæ peritiæ, ingenio omni genere scientiarum exculto, accesserit rerum omnium beatissima copia, & memoria, iudicy, & recti tenor indeflexus, & animus omni humano affectu intactus, aut maior, qui SS. Patrum dicta & sensa in numerato habeas, qui præ cæteris Augustinum vti Tertullianum Cyprianus, quotidie Magistrum petas & legas, nec solum sua lingua audias, sed nostra etiam elegantissime loquentem inducas: qui veluti promus-condus venerandæ Antiquitatis ex illius Thesauro inexhausto noua proferas & vetera, cui notior sit & familiarior antiqua, quam hodierna Ecclesia, vt ad illius mores, quasi ad certam regulam Tuos componas? Prophetæ denique secutus consilium, seminasti Tibi ad iustitiam, messuisti spem vitæ; vt Tibi lumen scientiæ illuminares, id-est, ex Bernardo, vltimam posuisti scientiam tanquam picturam, quæ statum habere nequeat super inane: & ideo Charitatem præmisisti scientiæ, tanquam solidum aliquid picturæ subtraturus.

Sed Tuis auribus parcendum est, PRINCEPS SERENISSIME, hæc etiam pauca a me inuito dicta sunt, certo summe tibi displicitura; sed malui mæ causæ, aut potius illi indiuiduæ veritatis, Tibi supra vitam antiquioris, quam Tui rationem hic habere: maxime cùm compertum mihi sit, quæ scripsi nihil Tibi præter molestiam, ex meritorum commemoratione, plurimum Antiquæ Patrum doctrinæ præsidij, & ornamenti esse allatura.

Ego plane sic comparatus sum, vt nihil timeam, gaudeam etiam, & glorier, a tantæ æquitatis &

ſapientiæ Principe iudicari; etiam ſi damnari contingeret. Eodem enim animo Tua, quo Dei ſoleo, aut certe debeo, lata in me decreta excipiam, & vna obſequij gloria contentus, omne expoſtulandi, aut aliò appellandi, ius mihi velim abrogatum.

Sed ne id infortunij ab æquiſſimo Iudice, & ſapientiſſimo, ac doctiſſimo Principe accideret, cauit ſanctiſſimus Præceptor, ſingulari diſcrimine, quod ſe inter, & Theologorum plurimos interpoſuit. Hoc enim differt maxime, quod illi prima, ac pene vna cura fuit inquirere, ac certo noſſe quid Scriptura, quid conſenſus omnium Patrum de quaque re doceret; vt eo conſtituto tanquam immoto fundamento, totam illi Theologiam aſtrueret. Hinc Doctoris communis nomen aſſecutus eſt; quia viam tritam Patrum calcauit ſemper, & fugit diuerticula. Singulariſſimus quidem eſt Doctor, & multa recondita & ignota ſuperioribus ſæculis, & doctoribus occulta inuenit: ſed hoc Doctoris communis Titulo nulla ratione aduerſatur.

Duo enim in quolibet Doctore diſtinguenda ſunt, nempe ſententia & Argumenta, quibus propugnatur. Communiſſimus eſt Thomas ſententiis: quia via regia incedit, duce Verbo Dei, veſtigia Patrum ſecutus. Singulariſſimus eſt inuentione Argumentorum, à quibus nihil eſt periculi, ſi deficeret; plurimum eſt laudis, ſi efficacia ſint. Totum imminet malum à ſententiis, ſi à communi viâ aberrent. Et cum ſuas Sanctiſſimus Doctor communes Patribus, & Eccleſiæ delegerit; hoc delectu, ſibi, ſuiſque diſcipulis, quam oblatrant multi, ab erroribus, à periculo aut metu cenſurarum, immuni-

tatem comparauit, & proprium fecit veluti suæ Scholæ characterem.

Antequàm bos ille mutus loqueretur, adiuit & consuluit oracula Scripturæ, quibus exceptis, mugire cœpit, habenas ingenio suo laxauit, sine lapsus aut erroris periculo; quia securus erat viæ, quà incedebat, tritæ Patrum, à quâ ne latum quidem vnguem permisit sibi recedere. Si vellem ad huius rei fidem faciendam, quæ suppetunt, experimenta proferre, decurrendæ mihi essent omnes Theologiæ partes; quia vbique eandem methodum seruauit. Præuium semper anteceſſit Verbum Dei, & Traditio: deinde secutæ sunt rationes à Theologia, à Philosophia petitæ.

Plures diuersam ab illa viam inierunt, & alium omninò ordinem sequuti sunt; Philosophos in Theologia egerunt. Cum enim Deus innoteſcat verbo, & creaturis; & Theologi sit à verbo ad creaturas progredi, Philosophi vero ab operibus ad Deum conscendere: nonnulli inducta in Theologiam, Philosophica methodo, prius opera, quam Dei Verbum scrutati sunt, ordine certè præpostero. Cùm enim suprà rationem sint, quæcumque docet fides, & à Dei arbitrio pendeant; nihil eorum potest esse compertum, nisi Verbo Dei interprete eius voluntatis, & rerum quæ in diuinitate lateant. Si turpe sit Iureconsulto sine lege loqui, turpius fuerit Theologo sine Dei Verbo quicquam statuere.

Hæc Tibi comperta, PRINCEPS SERENISSIME, poteram omnino tacere, aut breuius perstringere, cùm in hoc obseruato discrimine Thomam, inter & Theologorum plurimos, positum sit totius causæ momentum. Licet enim diuersis opinionibus iunior

tinctus & imbutus fueris, posteriores tamen cogitationes & curæ Te D. Augusti. & Thomæ adiunxerunt. & cum tantam non possem ad nostram causam gloriæ & roboris accessionem tacere; aperienda mihi fuit huius mutationis ratio, non aliunde sine dubio repetita, quam à singulari dote doctrinæ Angelicæ, à perpetua cum Augustino (quem ipsemet Caluinus certissimum nouit Traditionis Ecclesiasticæ testem) summa consensione. Iamdiu enim vna Tuo animo insedit sententia, vt rerum fidei aut pietatis nihil probes; si vel minimum ab antiqua Traditione dissentiat, aut eius suffragio destituatur. Et cùm eo semper præsidio munitum agnoueris Diuum Thomam; hinc Tibi cum Augustino in Præceptorem delectus, hoc vno præjudicio, quod Traditioni sit addictissimus, & illi rationem adiungat, ad famulatum tantùm vt pedisequam.

Facescant ergo voces & calumniæ, inexploratam D. Thomæ, & incognitam Traditionem, damnatæ Tuo grauissimo iudicio, cuius auctoritas emineat, & splendeat apud omnes, multos fugiant rationum momenta. Harum aliquot (neque enim omnes aut abstrusiores à me capi præsumo.) hac dissertatione tardioribus explicandas suscepi: idque a me præstitum credo inuictis Argumentis.

Delectæ sunt duæ omnium grauissimæ controuersiæ, de libertate humana, & scientia diuina, quæ cæterarum sint origo, summa, & complexio: quibus criminantur Aduersarij nos longius à fide & Traditione, vel à ratione naturali recessisse. At contrà demonstratum est, vtramque à nobis stare: & ne quis hæc vana putet, aut ad faciendam

dictorum

dictorum fidem, velim Lectores totum volumen euoluere: duo tantum, rogo, attendant, quibus de cæteris statuere possint; eo Recentiorum, quibus cum disputamus, rem deductam, vt eluctari nequeant à Traditione Argumentum, nisi hoc vno de libertate responso, Augustinum, aliosque SS. Patres, dum in Pelagium vrgent Christi verba, vere liberi eritis, si vos filius liberauerit, & inde demonstrant libertati nihil gratiam repugnare; de libertate Metaphoricâ esse interpretandos; cui accensenda sit libertas à gratiâ, & à peccato.

Nec fœlicius de scientiâ diuinâ disputant; dum omnes cum Pelagianis & Semipelagianis, Catholicorum Duce Augustino controuersias, ad vnam gratiæ communis necessitatem, semotâ efficaciâ; fuisse reuocatas contendunt. Quisquis iis se præsidiis, aut perfugiis tegit; non potest altius, aut apertius testari, sibi nihil commune esse, cum consensu Patrum, & Traditione Ecclesiæ, cujus, nobis constet Augustini testimonio, quod etiam Caluino sanctum est.

Nec minus demonstrationum, quàm testimoniorum præsidio vincere, hoc vno eiusdem vis & euidentiæ præiudicio intelliget eruditus Lector; si attenderit, defensorum scientiæ mediæ deductam causam, ad duorum verborum discrimen, vt vnius esset veritas, præeat, & præluceat alterius erit veritati: & illud prius scitum à Deo, viam illi ad alterum sternat, & muniat. Quid potuit latere Mysterij, aut adeò ingens subesse his verbulis discrimen, vt inde suspendenda sit tota res Christiana, & series prouidentiæ diuinæ. Nec quicquam solidius habet, illa supercomprehensionis à com-

prehenſione cauſarum ſecundarum, nullo Argumento, ſolo Molinæ arbitrio conſtituta differentia.

Banneſio noſtro, poſt Diuos Thomam & Auguſtinum, Præſcientiæ diuinæ cum noſtrâ libertate concordiam repetenti, ex ipſâmet gratiæ omnipotentiſſimâ vi, quæ nedum ad actus ſubſtantiam, ſed etiam ad libertatis modum pertineat, & reponentibus Aduerſariis ſe hanc concordiæ rationem non capere, non impune excidit hæc vox, ſi non intelligant, credant: *ſed miris excepta eſt cauillis, & expoſtulationibus, quaſi ius Dei ſibi arrogaret Banneſius, in mentes humanas dictorum ſuorum fidei ſubigendas: imo aliquid vltra Deum ſibi aſſumeret, indictâ eorum fide, quæ incredibilia aperte inter ſe pugnarent. Certe non melius credulitati humanæ conſultum eſt, diſtinctione ſupercomprehenſionis à comprehenſione, vel anteceſſione, ſubiunctiui eſſet, ad futurum erit, quæ ſuffecta volunt efficaciæ omnipotentiſſimæ virtutis, quam plura poſſe ſuprà noſtrum captum, conciliare quæ minùs ſociabilia reputamus, ſibi perſuaſerit, quiſquis attendet hanc concordiæ rationem, à SS. Patribus initam, ſcientiarum omnium inconcuſſis principiis muniri; quibus præſidiis noua hæc à Recentioribus tentata, nuda ſit conciliatio.*

Sane ſi ad has anguſtias res noſtræ eſſent deductæ, nunquam, SERENISSIME PRINCEPS *ad D. Thomam acceſſiſſes: neque ipſe pro ingenitâ mihi ſimplicitate diſſimularem, peſſime nobiſcum agi: & tum aſſentirer noſtris accuſatoribus, quam D. Thomæ nomine de libertate humana & ſcien-*

tiâ diuinâ propugnamus doctrinam, perinde rationum momentis, ac Traditionis testimonio destitutam, suspectam haberi. Paterer & ad heterodoxas relegari: sed plane in contrarium versam esse sententiam demonstrant, quæ ex historiâ Traditionis Ecclesiasticæ, quæ ex scientiarum indubitatis fundamentis, vtrâque Disputatione explanata sunt: quibus ad innocentiam nostram, & ab erroribus immunitatem asserendam, nihil supererit quod desideremus, si Tuum, PRINCEPS SERENISSIME, *iudicium accesserit.*

FINIS.

APPROBATIO DOCTORVM.

DVAS de Libertate humana, & Scientiâ mediâ Disputationes præambulas ad integram Thomisticæ Theologiæ opus legimus, Authore R. P. VINCENTIO BARONIO Ordinis FF. Præd. quibus validè & inculpatè suam Scholam defendit, multisque euincit, illius hac de re sensa, consentanea esse traditioni fidei, & inter Sanctorum Augustini & Thomæ à Summo Pontifice laudata dogmata tanquam inconcussa esse accensenda. Quare dignas indicamus quæ edantur, sanioris Theologiæ & Sanctorum Augustini & Thomæ studiosis vtiles futuræ. Datum Parisius die 30. Octobris anni 1665.

LVDOVICVS FREMONT.

NICOLAVS PETITPIED.

TErtia pars Manuductionis ad vtramq; Theologiam Dogmatica, seu vera SS. Augustini, & Thomæ explicata mens, & Scholæ Thomisticæ asserta, Authore R. P. BARONIO, satis amplam commendationem habet, quod cæteris ab eodem Authore editis, & quæ summa literatorum omnium gratulatione exceptæ sunt, simillima sit. Nihil illi quod ad opus numeris omnibus absolutum desiderari possit, deest: quodque in elucubrationibus Scholasticis sperari non solet, adeo difficile est; styli elegantia cum soliditate doctrinæ, & vi argumentorum, vbique certat: & quod in hâc dissertatione, tantâ ingeniorũ contentione agitatâ, quâ D. Thomæ patrocinium ab omnibus quæritur, præcipuum est; vbique germanam Angeli, doctoris mentẽ assequitur, & Scholæ Thomisticæ causam agit. Sed cæteras dotes summa animi moderatio vincit: vt minor futura sit commendatio, quam eruditione meretur; eâ quâ digniſſimum tantâ moderatione animi æqui judices existimabunt. Datum Paris. 24. Octob. 1665.

Fr. BERNARDVS LAPALISSE, *Prior Novitiatus Generalis Parisiensis, & Doctor Theologiæ.*

Fr. ANTONINVS MASSOVLIE', *Lector Theologiæ.*

INDEX
DISPVTATIONVM.

DIPSPVTATIO PRIMA.

DE *Vera ratione Libertatis.* pagina 1.

SECTIO PRIMA.

Explicatur vera notio Libertatis, tum vniuersim, tum sigillatim, creatæ, & increatæ. 5

ARTICVLVS PRIMVS.

Examen prioris libri, cui Titulus, Religio bestiarum. 7

ART. II. *Ex Caluino refellitur Caluinismi calumnia.* 10

ART. III. *Illustratur mens Thomistarum de Libertate, triplici collatione cum Hæreticis, aliisque Catholicis.* 12

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Recensentur tres de libertate sententiæ. 13

§. II. *Summa Caluinismi, & quibus differat à Catholicis.* 17

§. III. *Collatio nostræ sententiæ cum altera Iansenij sententia.* 18

ART. VLT. *Origo libertatis confirmatur testimoniis & Argumentis D. Thomæ.* 22

INDEX.

§. I. *Probatur prima radix, & causa libertatis, interpretatione Articuli primi ex quæstione 23. de Veritate.* 22

§. II. *Altera libertatis radix, ex iudicio indifferenti, explicatur interpretatione aliquot locorum D. Thoma.* 26

§. III. *Tertia radix libertatis explicatur ab appetitu vniuersalis boni.* 30

SECTIO SECVNDA.

Notio libertatis explicata defenditur: aduersùs Theophilum & Eugenium Philadelphum. 34

ART. I. *Huius Responsionis causæ tres.* ibidem.

ART. II. *Summa eorum quæ obijciuntur ab vtroque Authore contra explicatam notionem libertatis.* 39

ART. III. *Ratio libertatis explicata triplici obseruatione munitur, & inde respondetur generatim ad superiores obiectiones.* 41

§. I. *Prima obseruatio ex comparatione libertatis cum ratione, & tres inter illas differentiæ.* 42

§. II. *Aliæ comparationis partes rationis cum libertate.* 47

§. III. *Altera obseruatio de duplici libertate.* 50.

§. IV. *Obseruatio vltima.* 54

ART. IV. *Respondetur ad primam partem Theophili de libertate.* 56

§. I. *Ex superioribus obseruationibus refellitur caput secundum.* ibid.

§. II. *Refellitur tertium caput.* 59

§. III. *Radix Libertatis propugnata aduersus quartum & quintum caput.* 62

§. IV. *Vendicatur nostra sententia ab erroris no-*

ta aut temeritatis contra Caput 5. 6. & 7. Theophili. 66
§. IV. *Suspecta vindicantur & pugnantia conciliantur ab Eugenio obiecta.* 71
§. VI. *Superiorum prosequutio.* 74
ART. V. *Defensio rationum pro nostra sententia, aduersus Caput. 7. & 4. sequentia Theophili, & aduersus Caput 3. exercitationis Eugenij.* 78.
§. I. *Explicatio libertatis constituta, Scripturæ & Patribus consentanea.* ibid.
§. II. *Libertatem à necessitate, à peccato, à miseriâ, triplicem esse veræ libertatis speciem probatur.* 79
§. III. *Duplex SS. Patrum interpretatio refellitur & tertia statuitur.* 81
ART. VLT. *Defenditur Platonismus Auctoris & aliqua explicantur Platonicè dicta.* 83
§. I. *Platonis cum Aristotele & Socrate Collatio.* 84.
§. II. *Quæ ex Platone afferuntur, Scripturæ & Patribus consentanea esse.* 86

SECTIO TERTIA.

Responsio ad alteram operis Theophili partem, & ad reliquas Philadelphi censuras. 89
ART. I. *De libertate Christi.* 90
§. I. *De consiliis Christo datis à Patre æterno.* 91
§. II. *Opinio Theophili de impeccabilitate Christi reijcitur.* 96
Parag. III. *Refelluntur variæ Theophili solutiones.* 98
§. IV. *Enodatio difficultatis ex vera sententia.* 100.

INDEX.

ART. II. *De libertate increata.* 103
§. I. *Refelluntur Theophili aliæque diuersorum opiniones.* 105
§. II. *Ratio libertatis diuinæ explicata ab independentia.* 107
§. III. *Resoluuntur aliæ difficultates de libertate diuina ex eodem principio independentiæ.* 110
§. IV. *Solutiones Argumentorum Aureoli ex Capreolo.* 115
ART. III. *De libertate creata vt subest Dei præscientiæ & motioni.* 117
Parag. I. *Singularis opinio Ludouici à Dola.* 118
§. II. *Singularis opinio Theophili de scientia media refellitur.* 122
§. III. *Vera explicatio concordiæ nostræ.* 124
ART. VLT. *Aliquot ex Eugenio suspecta purgantur, & pugnantia conciliantur.* 129
Parag. I. *Distinctione duplicis impotentiæ peccandi plura explicantur.* 130
§. II. *Duplex difficultas resoluitur.* 133

DISPVTATIO II.

DE *scientia media.* 135
SECT. I. *An argumenta, quæ peti possunt in hac controuersia à priori, mediam scientiam confirment, an euertant?* 138
ART. I. *Primum Argumentum à priori pro cognitione futurorum conditionatorum in decreto contrà scientiam mediam, repetitum ex primo & immediato principio cognitionis Diuinæ de rebus creatis.* ibid.

INDEX.

Parag. I. *Argumentum primum ex D. Thoma desumptum, à cognitione creaturarum in essentia diuina, vt in causa.* 139

§. II. *Defenditur demonstratio superior contra Vasquem alioſque recentiores.* 141

§. III. *Defenditur primum Argumentum contra nouam opinionem Ripaldæ, Oruiedo, &c.* 148.

§. IV. *Defenditur idem Argumentum contra opinionem Suarez.* 150

ART. II. *Secunda classis Argumentorum à priori ex principiis proximis cognitionis futurorum conditionatorum, seu de veritate illorum.* 153

Parag. I. *Instruitur Principium secundum.* ibid.

§. II. *Refellitur sententia Molinæ, & ex illa Recentiorum noua opinio.* 155

§. III. *Confirmatio eiusdem Argumenti differentia futuri contingentis, à præteritis, præsentibus, aut necessariis.* 156

§. IV. *Confirmantur & vrgentur Argumenta superioris Paragraphi contra duas Responsiones.* 161

§. V. *Refutantur aliæ duæ responsiones ad idem Argumentum.* 165

§. VI. *Confirmatio superiorum, nihil agnosci certo futurum, inconsulta voluntate diuina.* 169

§ VII. *Confirmantur ex dictis rationes aliquot Anonymi.* 173

§. VIII. *Solutiones aliquot reiciuntur.* 177

ART. III. *Aliud genus Argumentorum à priori contra scientiam mediam, ex legibus propositionum hypotheticarum.* 179

§. I. *Proponitur & expenditur argumentum quo ostenditur scientiam mediam inutilem esse.* ibid.

§. II. *Eiusdem Argumenti vis magis expenditur.* 182

INDEX.

ART. IV. *Ex dictis manifestatur mens Thomistarum de hac controuersia, vindicatur Ioannes à S. Thoma à censura, & refelluntur Responsiones ad Argumentum.* 184

Parag. I. *Defenditur Ioannes à S. Thoma & responsiones ad eius Argumenta refelluntur.* ibid.

§. II. *Referuntur tres responsiones ad tertium nostrum Argumentum, & refellitur prima de decretis possibilibus.* 188

§. III. *Probatur esse in Deo decreta conditionata ex voluntate Dei Antecedente.* 190

ART. IV. *Vasquis Responsio præcipuè ex D. Augustino impugnatur.* 192

§. V. *Alterum Argumentum pro decretis conditionatis, quòd Scripturæ consentanea sint, nec repugnent.* 195

§. VI. *Plura Aduersariorum Argumenta ex vna agentis vniuersalissimi notione profligantur.* 197

§. VII. *Confirmantur superiora, breui Argumentorum complexione, & noua adduntur contra decreta indifferentia.* 201

§. VIII. *Plura superioribus adduntur.* 205

§. IX. *Repugnat scientia media tribus Logicæ regulis.* 211

§. X. *Ex dictis defenduntur primà Argumenta à priori Ioannis à S. Thoma contra scientiam mediam.* 215

§. XI. *Defenditur alterum Argumentum à priori repetitum ab obiecto scientiæ mediæ.* 218

Parag. vlt. *Breuis superiorum Collectio.* 226

ART. IV. *An ex influxu scientiæ Dei in res creatas, scientia media fulciatur, aut euertatur.* 228

Parag. I. *Scientiam Dei causam esse rerum certè*

directiuam, & veriùs etiam efficientem. 228
§. II. *Scientia diuina non distinguitur à potentia ad extra operatiua.* 232
§. III. *Argumentum Fasoli, prius rem habere in se veritatem, quam sit à Deo intelligibilis, ab Arduro refellitur, cui plura adduntur.* 235
SECT. II. *Examen scientiæ mediæ ex Patrum, & Scripturæ testimoniis.* 241
ART. I. *Quid ex Scriptura Sacra colligi possit de scientia media.* 243
Párag. I. *An ex Scriptura Sacra necessariò, habeatur futuris quæ à Deo sciuntur sub conditione reuelata, certam inesse veritatem à Deo scitam.* 244
§. II. *An Scriptura faueat scientiæ mediæ.* 251
Parag. III. *Solutio Argumenti ex comparatione Iudæorum cum Tyriis.* 253
§. IV. *Altera eiusdem Argumenti solutio.* 256
§. V. *Confirmatio Superiorum.* 257
ART. II. *An scientia media sit consentanea principiis D. Augusti. & D. Thomæ.* 262
Parag. *I. Non solum vsus scientiæ mediæ, sed ipsa scientia media à mente Diui Augustini & Diui Thomæ aliena.* ibid.
Parag. *II. Operosius probatur scientiam mediam principiis D. Thomæ repugnare.* 265
Parag. *III. Præscientia decreto innixa, & ex eo certa mens D. Thomæ.* 268
Parag. *IV. Duplex difficultas de mente D. Thomæ breuiter expeditur.* 272
Parag. *V, Præscientiam niti decreto illustri loco D. Thomæ probatur.* 273
ART. *III. Exactiùs inquiritur mens D. Augusti. de scientia media.* 275

INDEX.

Parag. I. *De progressu, & serie controuersiarum D. Augusti. contra Pelagianos, eorumque reliquias: demonstratur in rebus ad salutem pertinentibus, nunquam adhibitam à D. Augustino scientiam mediam.* 276

Parag. II. *Explicatio triplicis gratiæ ex Pelagianis à Christo hominibus collatæ.* 282

Parag. III. *Interpretatio adiutorij possibilitatis secundùm mentem Pelagianorum.* 285

§. IV. *Quo conuincitur inter D. August. & Pelagianos pugnatum de gratia efficaci.* 287

Parag. V. *Secundum Argumentum ab auxiliis quinque, quæ Pelagiani admiserint.* 291

§. VI. *Gratia habitualis admissa est à Pelagio.* 294

§. VII. *Soluuntur Argumenta Suaris, quibus contendit gratiam habitualem negatam fuisse à Pelagianis.* 300

§. VIII. *Vltimum auxilij genus à Pelagio admissum.* 302

Parag. IX. *Quartus Pelagianismi status de gratia ad perfectionem necessaria.* 305

ART. IV. *Pelagianismus cum Semipelagianismo collatus.* 311

Parag. I. *Semipelagiani quatuor differunt à Pelagianis.* ibid.

Parag. II. *Prima conuenientia quoad initium piæ voluntatis & salutis.* 313

Parag. III. *Duplex est inter Pelagianos & Semipelagianos discrimen, quoad meritum, & retributionem.* 318

Parag. IV. *Vtriusque hæresis collatio, & conuenientia, de Prædestinatione.* 323

Parag. V. *Tertia conuenientia de odio gratiæ efficaci-*

cis, & vocationis secundum propositum. 328
Parag. vlt. *Quarta Collatio, & conuenientia Pelagianorum cum Semipelagianis, quoad vsum scientiæ mediæ.* 333
ART. V. *Augustinus asseritur Scholæ Thomisticæ quoad doctrinam gratiæ, & prædestinationis, secluſa scientia media.* 335
Parag. *I. Vindicantur testimonia ex D. Aug. contra scientiam mediam à Salmanticensibus, & Ioanne à S. Thoma deprompta.* 337
Parag. *II. Difficiliorum Argumentorum solutio quibus superiora impugnantur.* 343
Parag. *III. Defenditur secundum genus testimoniorum ex D. Augustino.* 350
Parag. *IV. Refelluntur responsiones ad testimonia D. Augustini.* 360
Parag. *V. Testimonia D. Aug. à Salmanticensibus & Ioanne à. S. Thoma explicata defenduntur.* 363
ART. *VI. Responsio ad Caput 4. Disputationi 3. quo expenduntur alia August. Testimonia.* 369
Parag. *I. Examen prima Propositionis.* ibid.
Parag. *II. Expenditur secunda Propositio.* 372
Par. *III. Referuntur tres postremæ propositiones.* 380
Parag. *IV. Refellitur quarta Propositio.* 385
Parag. *V. Responsio ad Argumenta pro quinta Propositione.* 389
Parag. *VI. Responsio ad Caput quintum Disputationis tertiæ & primum Disput. quartæ.* 393
Parag. *VII. De Iudicio triginta Censorum Romanorum, aduersam Augustino scientiam mediam damnatium.* 398
Parag. *VIII Responsio ad singulas hallucinationes.* 403.

Parag. *IX.* *Defenduntur tria Argumenta Ioan. à S. Thoma de mente Augustini.* 413
Parag. *X.* *Defenditur Argumentum Ioannis à S. Thoma de Dono Perseuerantiæ.* 418
Parag. vlt. *Refelluntur obiectiones ad superius Argumentum.* 424
Art. vlt. *Vindicatur Scholæ nostræ Augustinus aduersus Ianseniũ.* 428
Parag. *I.* *Ex superioribus euincitur Concordia D. Aug. & D. Thomæ, de scientia media exclusa à gratia primi hominis, & Angelorum.* 430
Parag. *II.* *Ex aliis SS. Thomæ & August. principiis demonstratur illorum concordia de gratia primi hominis & Angelorum.* 434
Parag. *III.* *Ex superioribus refelluntur præcipuæ Ianseniy obiectiones.* 439
Parag. *IV.* *Operosius inquiritur mens D. Augustini.* 444
Parag. *V,* *Expenditur locus singularis D. Augustini.* 447
Parag. vlt. *Duplex difficultas resoluitur.* 451
SECT. *III.* *Argumenta à Posteriori, quibus Duæ Scholæ Thomistarum, & Recentiorum suam muniunt de scientia media opinionem.* 452
Art. *I.* *Refellitur Calumnia & suspicio Caluinismi ab Auctoritate.* 454
Parag. *I.* *Responsio ad testimonia Caluinistarum generatim.* 454
Parag. *II.* *Responsio ad primam Classem Argumentorum.* 457
Parag. *III.* *Caluinismi Anatomia, seu Synopsis.* 458
Parag. *IV.* *Expenduntur sigillatim alia testimonia Hæreticorum.* 462

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [38] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

§. vlt. *Responsio ad 8. Testimonia ex Catholicis.* 466
ART. II. *Depelluntur Argumenta ex collatione principiorum Caluini cum nostris.* 471
§. I. *Obseruationes quibus ad omnia Argumenta generatim respondetur.* 472
§ II. *Responsio ad Argumenta de Libertate, quoad actus bonos.* 474
§. III. *De libertate quoad actus malos.* 479
§. IV. *Ex mutua dependentia Concursus Dei, & nostri Consensus Argumentum de primo peccato Angeli, & de auxilio sufficienti & efficaci soluit Ioannes à Sancto Thoma.* 486
§. V. *Ex Valentia depellitur accusatio Caluinismi à concursu ad peccatum.* 495

PARÆNETICA.

Ad nouum quadruplicis Theologiæ Scholasticæ, Controuersæ, Ethicæ, & Scripturarum studium & vsum D. Thoma Magistro. 502
Partes legitimi Theologi. 504
Theologiæ Scholasticæ Summa & Analysis. 509
Theologiæ Controuersæ Compendium Analyticum. 514.
Synopsis & breuis Deductio Hæresum huius sæculi. 515.
De sensu Iansenij quæstio facti & Iuni explicata 521
Theologiæ Moralis multiplex pars & summa. 528
De Theologia Casuum Conscientiæ. 535
De Theologiâ Positiuâ, & Scripturæ interpretatione. 537
Apologia D. Tho. aduersùs quatuor Scriptores. 539

FINIS.

Errata grauiora annotare ſolum viſum eſt: leuiora enim facile Lector ipſe & deprehendes & corriges.

PAgina 41. l. 3. *lege* diſputationem. p. 45. l. 32. *leg.* libertatem. p. 86. l. 4. *leg.* grandiloquentia. p. 127. l. vlt. *leg.* non per. p. 128. l. vlt. *del.* mens. p. 174. l. 31. *del.* illis. p. 179. l. 13. illam conuenientiam. p. 183. l. 40. *leg.* vobis. p. 239. l. 9. *leg.* facultatibus. p. 273. l. 18. *del.* mali. p. 280. l. 34. *leg.* lator. p. 302. l. 25. *leg.* reſipere. p. 384. l. 33. *leg.* negarent. p. 466. l. 25. *leg.* Perronius. p. 484. l. 34. *leg.* niſi. p. 488. l. 6. *leg.* iungere poteſt. p. 504. l. 26. *leg.* vigorem.

Mendis accenſe clauſulas p. 13. & 15. &c. alienâ manu vt fidem facit autographum, inſertas, quibus videtur reuerentia in Pontificias conſtitutiones aduerſus Ianſenium lædi. Eas vero deletas volo, vt à meâ mente alienas, & pag. 521. reſciſſas leges.

THEOLOGIÆ

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ DE LIBERTATIS HVMANÆ, & scientiæ Dei principiis.

TERTIA PARS

DISPVTATIO PRIMA.

De Vera ratione Libertatis.

SVPERIORIBVS Disputationibus de lege, & regulis morum, duas de libertate, & scientiâ Dei adiungimus multis de causis; tum maxime, vt vno volumine, vtriusque Theologiæ Moralis & Dogmaticæ basim & fundamenta ponam, & longioris, quam à multis annis meditor & apparo, dem gustum & specimen: vt si tibi, erudite Lector, harum Disputationum methodum sensero non displicere, nec fore inutilem, reliquæ, quas istis astruo, quamprimùm in lucem prodeant.

Fateor me Caramuelis Apologemate, & studio defensionis D. Fagnani, aut potius legis diuinæ prouocatum, ista euulgasse: sed ita Dei consilio factum interpretor,

quo locus esset tentandi tui iudicij, vt experimento agnoscam, quæ sors maneat, ea quæ in vtramque Theologiam parata iamdiu habeo. Nam memini sapientissime à Tullio dictum, *mandare quemquam litteris suas cogitationes, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliquâ Lectorem afficere, hominis esse intemperanter abutentis, & otio & litteris.* Et si illorum numero essem accensendus, longe mihi grauior esset, modò allata Ciceronis, quam Salustij censura, in eos, *qui vitam silentio transigant*, nullo operæ pretio edito, *quorum vitam mortemque*, inquit, *iuxta æstimo, quia de vtrâque siletur.* Sed longe præstat silere & sileri omninò, quam male audire, & intemperanter suo, aliorumque otio abuti, & certas: ac bonas horas perdere in exscribendis & legendis, quæ vulgatissima extant apud omnes. Quamvis forte si quæ ederemus occupata ab aliis; veniâ & excusatione non carerent; ea enim est in lacessendâ nostrâ Familiâ & Scholâ, æmulorum importunitas, ea accusationum & calumniarum, quæ hinc & inde in D. Thomæ discipulos importantur, grauitas & multitudo; vt quamvis criminationibus millies repetitis nihil noui occurrat quod respondeamus, ignauiæ & imperitiæ adscriberetur, quod pro ingenitâ modestia & prudentiâ seruaretur silentium.

Sed ne causæ omnino deesse videar, & quod ex crambe recoctâ, seu ex rebus pluries iteratis nasci solet fastidium leuem; nouam ad minus methodum, & dicendi rationem inibo ad causæ nostræ defensionem, & à nullo quod sciam nostrorum Theologorum tentatam. Pauciſſimi profundissimam S. Doctoris mentem capiunt. Plurimi eius Sententias nullis aut leuibus argumentis nixas putant: nempe quod prima & altissima, vnde eruuntur principia, non libeat, aut non detur scrutari. Hic locum habet quod iam monui ex Seneca. Leuium merallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assidue plenius responsura fodienti. Hæ quibus delectatur vulgus opiniones, tenuem & perfusoriam habent speciem veri, & quodcumque plausibile est, fundamento caret. Quæ ex D. Thoma de regulis morum deprompsimus; quæ dicturi sumus de libertate & scientiâ Dei, solida sunt, & quæ plus pateant

introrsum. Et ne vana causeris Lector erudite, quæ dico, quasi cœco amore mearum opinionum, aut Magistri quem sequor captus, attendas velim, quam immanè distent à S. Doctore extranei, iis duabus controuersiis ex Dogmaticâ & Morali Theologiâ, de legitimo opinionum vsu, & de præscientiâ futurorum.

Aduersarij vtramque difficultatem, quam tota antiquitas insuperabilem experta fuit, putant duabus definitionibus, se ita profligasse; vt tarditatis arguant, ac pene insaniæ, si qui apertæ veritati non acquiescant. Quid est inquiunt probabile? Id cui prudenter assentimur. Quid est futurum? Quod aliquando erit, etiamsi nulla causæ determinatio, ad futuræ rei productionem antecesserit. Mirum est, quot & quanta, iis duabus definitionibus, quasi principiis immotis, & per se notis, dirimantur & statuantur; quæ inde responsa, quasi oracula depromantur. Si probabile est, ergo prudens iudicium; si hoc, ergo honestum & tutum. Quid ergo mali, quid peccati & damnationis timeas, ab opinione probabili, id est, prudenti & tutâ, etiam ab vno Doctore inductâ, cæteris tacentibus, aut etiam reclamantibus?

Eâdem facilitate, & vt putant felicitate, secant omnes diuinæ scientiæ, & prouidentiæ nodos. Quid est futurum? Quod aliquando erit. Ergo si contingat rem aliquando esse, hoc ipso erit ab æterno futura, nulla præuiâ causa æternâ, aut temporariâ determinatione: ergo erit vera, ergo scibilis, ergo scita à Deo. Quid ergo frustra se torquent Theologi? Cur anxie & infeliciter quærunt per ambages, in decretis, in coexistentiâ æternitatis, veritatem quæ se omnium oculis ingerit, & conspicuam præbet? *Bona verba.* Hâc controuersiâ præiudiciis agam certissimis, si superiorem dem tibi prudens Lector in obsidem sequentis, & si à te exigam, vt definitionem futuri, & subinde scibilis, & sciti à Deo, metiaris definitione probabilis opinionis, id est, prudentis & vnius Doctoris authoritate inductæ. Nihil vtrâque definitione frequentius in ore omnium, nihil in speciem facilius. Sed si veris agere liceat, nihil huiusmodi definitionibus (quibus tota causa & vis aduersariorum continetur) minùs solidum, & à vero magis alienum. Primæ definitionis probabilitatis, pericula & vitia demonstrauimus innumera: nihilo

minoribus aut minus grauibus altera laborat. Huius rei in anteceſſum fidem faciet hæc obſeruatio mea. Qui prouidentiam diuinam, & futurorum contingentium aut liberorum certam veritatem, & notitiam negant, Epicurus, Democritus, & Athei omnes, ijdem in totum tollunt cauſam finalem, omneſque ex illâ demonſtrationes diuinitatis rident, illudque veriſſimum effatum *opus naturæ eſſe opus intelligentiæ.* Quî enim fieri poteſt, inquiunt, finem primam cauſarum & altiſſimam eſſe, quæ nullibi, quæ nihil ſit, quæ precario, & tota ſuſpenſa pendeat ex futuro? Iis difficultatibus Philoſophia Peripatetica, & Chriſtiana ſuccumberet, niſi finem aliquâ ratione præſentem, & extantem diceret, cum primam cauſarum iubet nos credere. Nec alia ratione impiorum, nedum cachinnos, ſed neque vim argumentorum licet effugere. Inſtarent enim inuincibiliter: ſi nihil in ſe finis ſit, nec vllibi extet, quâ vi efficientem cauſam impellit, & immotus omnia mouet? Has ſalebras euadendi, & hos nodos ſecandi, vna ratio ſupereſt, à præſentiâ & exiſtentiâ finis in agente, aut alios dirigente intelligentiâ, vnde imperium ſibi comparet, & exerat in omnes cauſas. Si hanc finis extantiam vt ſic loquar, & præſentiam in alio, cum in ſe nihil eſt, ſummoueas, quid de fine veri ſtatues?

Quod de efficientiâ & ordine finis valet, vrgentius eſt argumentum, de futurorum contingentium & liberorum certâ veritate, & notitiâ. Cui illam fundamento aſtruemus, ſi nihil ſubſternas præſens quo nitatur, dum nunc & ab æterno prænuntiatur certo futurum? Nec minus frigidum & dilutum eſt, ſi ex tuâ definitione reſpondeas, illud futurum eſſe quod erit aliquando, ordine omninò præpoſtero; ſi quidquid æternum & præſens magis à futuro, quam iſtud à præſenti pendere velis. Hoc enim perinde eſt (vt in eodem exemplo hæreamus) ac ſi dicas finem cauſarum nobiliſſimam, totum à futuro nullâ ſui parte, aut ratione exſtare, etiam dum cauſæ munus obit. Sane ſi quibus ita philoſophari viſum eſt, ſibi placeant, ægrè aliis & ſapientibus ſatisfacient. Sed iſtud quaſi velitando dictum ſit, operoſius tota Diſputatione ſecundâ diſcutiendum.

SECTIO PRIMA.

Explicatur vera notio Libertatis, tum vniuersim, tum sigillatim, creatæ, & increatæ.

REM aggredimur obscuriſſimam, in quâ præcipuum ſuæ cauſæ robur ponunt, qui Scholæ noſtræ litem mouent Recentiores. In hâc enim parte Dogmaticâ, ſicut in morali, variæ ſunt vices contendentium, & diuerſi bellorum exitus. Vti enim ſupra diſtinximus axiomata duo, totius Theologiæ Moralis fundamenta, vnum de potiori jure poſſidentis, quod Probabiliſtæ vſurpant, & ſibi aſſumunt, atque eo vno putant ſe aduerſariis ſuperiores; alterum de tutiore parte in dubiis eligendâ, quo veluti telo ineluctabili pugnamus, & victoriam ſperamus: non diſſimilis eſt controuerſiarum ex Dogmaticâ Theologiâ apparatus, & euentus. Quæcumque in nos intorquent argumenta Aduerſarij, à libertate depromunt, quibus nos refellendis, & diſſoluendis inſudamus. At contrà, Dei ſcientia tota ſtat pro nobis: vt meritò dixeris Thomiſticæ Scholæ armamentarium, & ſatis felicitèr ſecum agi putant Recentiores, ſi quæ deſuminus inde argumenta, vtcumque eleuent, ſolutionibus repetitis à definitione futuri quod erit aliquando, quæ nulli, nec æterno, nec præſenti fundamento nitatur; ac proinde merè ſit voluntaria & commentitia, nihilo ſeciùs, quam ſi finis cauſalitatem conſtituas, etiamſi nec in ſe, nec in alio quoquam ſubſiſtat. Itaque cum in libertate humanâ, Aduerſarij totum ſuæ cauſæ & Theologiæ fundamentum ſtatuant, nos in ſcientiâ diuina ponamus; ex hâc duplici Diſputatione, licebit æquo Lectori de vtrâque Theologia iudicare. Siquid enim habent veri, aut certi, debent acceptum referre alterutri horum principiorum.

Hoc etiam habemus commodi, quòd ſuperior de probabilitate Diſputatio, iſti omninò præluceat de libertate, ex perpetuâ, quam inituri ſumus comparatione voluntatis ad intellectum, & libertatis ad rationem, non toto ſuo ambitu, nec quatenùs conſpicuam per ſe habet

veritatem intellectus, & inde euidentes elicit Conclusiones, quibus necessariò assentiatur; sed quatenùs ex principiis probabilibus, verisimiles infert assertiones, quibus vel nullum, vel opinatiuum, & probabilem præbet assensum. Quidquid ergo de vario statu mentis probabiliter opinantis dictum est, mirum quantam lucem afferat controuersiæ de libertate: hoc enim primò conueniunt, quod vtramque à nobis extorserit vna iustæ defensionis necessitas aduersus Theophilum Raynaudum.

Monuimus tres ab illo authore in nostram Familiam, & Scholam exaratos stylo ferreo libros: primum de immunitate Cyriacorum, cui duabus Apologiis responsum est: alterum de Epistolari confessione, seu absolutione moribundi, quem prima Disputatione discussimus: superest tertius quem primum in nos edidit hoc titulo *Caluinismus religio bestiarum.*

Cùm nemo (vt habet adagium) repentè fiat summus; sed perindè mali ac boni progressus variis constet gradibus, quibus excrescat in maius, & ad summum perueniat; mirum est primos huius hominis morsus adeò acres fuisse, & odium in Dominicanos ita primo impetu exarsisse, vt librorum in nos primùm edito, hæreticis & bestiis accensuerit. Trigesimus ferè effluxerat annus à scriptione adeo atroci, Dominicanorum silentij, quo potuisset mansuescere, & mitigari quamlibet exasperatus in illos animus: sed nec ab istâ modestiâ & patientiâ, neque ab ipso tempore, quo nihil deliniendis animis, & doloribus efficacius, flagrans illud odium quicquam remisit: sed quasi ipsis remediis recruduisset; longè atrociorem libellum edidit, post tantum temporis interuallum, in eos qui vnam modestiam, qui silentium primo opposuerant. Sed vt ad istum veniamus de Religione bestiarum, & Caluinismo, quo nos arguit, & reos peragit extinctæ libertatis prædefinitionibus æternis, & temporariis præmotionibus. Hanc calumniam validè depellemus responsionibus ad duos huius Authoris libellos, quibus de libertate agit: adiungam etiam solutiones aliquot argumentorum Philadelphi Romani.

ARTICVLVS PRIMVS.

Examen prioris libri, cui Titulus, Religio beſtiarum.

CVM omnia ſuo bono conſtent, vt inquit Seneca, vitem fertilitas commendet, equum robur & velocitas ad curſum, & in quoque optimum ſit cui naſcitur, quo cenſetur: cum quilibet noſtrum duas quaſi perſonas induamus, hominis vnam, Chriſtiani alteram, quid in vtraque optimum? In homine quidem ratio, quâ antecedit animantia, Deum ſequitur: hoc proprium homini bonum, cætera cum animalibus ſatiſque communia ſunt. Quid verò in Chriſtiano præſtat? Fides quæ per dilectionem operatur. Hinc agnoſces, erudite Lector, quo in nos fuerit animo Theophilus, qui nec Catholicos eſſe velit, neque homines, fidem nobis adimat & rationem. Vtramque vindicabimus aduerſus apertas, & atroces calumnias.

Vt ſummam libri complectar, & refellam, ſemotis nugis & conuitiis propè infinitis: beſtiis nos & Caluiniſtis annumerat; illorum nos ſæuitiæ, ſeruitutis, ferociæ omnium denique vitiorum participes, horum impietatis & errorum nos reos facit, ob extinctam, vt putat humanam libertatem: ſed nos ab vtrâque calumniâ vindicabo apertè, conſtitutâ noſtrâ de libertate ſententiâ, & ad tuum, erudite Lector, iudicium totâ' controuerſiâ appello.

Ad perfectam libertatis notionem, & notitiam, tria tuis oculis ſubijcio, nempe illius originem, eſſentiam, & proprietatem. Si originem libertatis requiras, à triplici vniuerſalitate naturæ intelligenti eximiâ cum D. Tho. variis locis repeto. Certum eſt quæcumque materiæ immerſa ſunt, præter alia vitia, ad determinatam perfectionis, aut boni ſpeciem arctari. At natura intelligens omnis materiæ expers, latiſſimè patet, & nullo cohibetur termino, ſeu eſſentiam eius, ſeu iudicium, ſeu appetitum ſpectes. Vniuerſali infinitate gaudet, quâ poteſt fieri omnia, illa ad examen vocare, illa vt lubet, aut conuenit appetere: vnde infiniti boni capax eſt, & compos eſſe

potest, illo vno satiari: cætera illi indifferentia sunt: vnde nascitur libertas, cuius iam originem indicauimus, & indè essentiam, & proprietates inuestigabimus.

Eius prima & immediata radix, est illa vel capacitas, vel plenitudo, quâ omnes perfectiones continet, vel actualissimè, vt Deus, vel potentiâ, vt anima rationalis infusa corpori, vel medio modo, vt Angelus, à Deo primo creationis instanti speciebus instructus, omnia est partim actu, partim potentiâ. Ex hâc vniuersalitate essendi, emergit secunda, quâ potest infinita intelligibilia decurrere, examinare, expendere singula, & in omnem faciem vertere.

Hinc tertia nascitur appetitus, & voluntatis vasta illa intercapedo, mundi spatiis, & ambitu longè maior, quæ infinitum bonum capiat, illo vno satiari possit, atque inde, limitata, & creata bona omnia, infra illam iacent. Ab his existit independentia & dominium in media, quibus se, suaque ad vltimum finem referat. Inde tandem consequitur proprietas indifferentiæ, non effrænis & absolutæ, sed temperatæ ordine finis.

Breuissimè libertatis progressum, radicem, & partes distinximus: & licet argumenta non desint, quibus probare possem, quæcumque à me dicta sunt, & demonstrare eum fuisse omnium sapientum consensum; ipsamet nuda relatio vim habet apertissimæ demonstrationis. Viderer bruta, Theophile imitari, si dubitarem hanc libertatis notionem habere quidquam cum bestiis comune, ac proind, per summam iniuriam, nobis religionis bestiarum nomen & notam imponis.

Quid quæso à bestiarum genio alienum magis, naturâ omnium perfectionum capaci? Iudicio rerum omnium arbitro? Appetitu ad bonum infinitum nato, & prono? Quid illa independentia à bonis priuatis? Quid indifferentia ad media, seu absolutam velis, seu temperatam ordine finis? Quid horum inest nobis commune cum brutis? An omnia esse, omnia iudicare, omnia possunt appetere? An eminent rebus? An vtuntur illis cum indifferentiâ? An eligunt iuxta finis exigentiam? Quid ergo nobis brutorum nomen, & consortium obijcis? Si hanc obloquendi licentiam tibi arrogas, quid saluum, & tutum erit, à tui calami, & tuæ linguæ licentiâ? At tu, inquis, magni-

ficentissimè de libertate loqueris, sed abiectissimè sentis: subijcis illam necessitati, implicas compedibus prædefinitionum, & prædeterminationum ineluctabilibus. Sed cuinam subijcio hanc libertatem? An fato, seu causarum secundarum dispositioni? An astrorum diffluuio? Deo, iuquis, quod perindè est, ac si subijceres alicui creatæ & finitæ virtuti: neque enim aliâ ratione primæ, quam secundæ causæ vis, determinare potest citra perniciem libertatis. *Cui similem facitis Deum?* Non credebam causam vniuersalissimam omnis gradus entis, libertatis, & contingentiæ, ac necessitatis, iuxta cuiusque naturæ ius, iniuriam fore libertati. Non existimabam, eum in cuius perinde manu sunt voluntates nostræ, ac penès nos ipsos, qui ita liberum actum efficit, ac si nos ab illo independenter ageremus, nos ad brutorum detrudere conditionem.

Certè sapientum omnium sensus, ad nostrum accedit, à tuo, Theophile, remotissimus. Vnus omnium nomine loquatur Seneca. *In regno nati sumus, Deo parere libertas est.* Audi eumdem; *vis tibi omnia subjcire, subijce te rationi.* Audi Augustinum de Tullio dicentem, quæ etiam de te dici possint: scilicet quod vt homines faceret liberos, facit sacrilegos, dum eos subtrahit vnius libertatis studio, à diuinâ prouidentiâ, & verâ dependentiâ. Ergo aliena ab omnium sapientum mente loqueris, cum obijcis nos libertatis hostes esse, quod illam Deo subijciamus, vel quasi eius vicariæ rationi, & sapientiæ. Si ethnicos spernas in hâc re, vel suspectos habeas, quos scio aliàs te adorare; audi Augustinum, *voluntas eò sanior, quo liberior, & eò liberior, quo diuinæ gratiæ subiectior.* Audi D. Thomam, & si eius authoritatem spernis, pondera rationem. Voluntatis diuinæ in eo elucet omnipotentissima virtus & efficacia, quod res fiant, quas vult, & eodem modo quo statuit: ac proinde si prædefiniat, aut prædeterminet actus liberos, eius efficacia porriget se, & ad substantiam & ad modum, & ineuitabiliter liberè fient, cum potentiâ ad contrarium.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex Caluino refellitur Caluiniſmi calumnia.

QVID à me expectas Theophile? Totam controuerſiam ad illius ſubſellium reuoco, cuius vnicum contra nos, & Bannem, iudicium vrges. Vis nos omninò causâ cadere iudice Caluino, cuius aſſeris nos principiis aſſentiri, ac proinde debere conſecutiones admittere. Hæc eſt vnica vis tui libelli, ab exordio ad tertiam Diatribam, ſeu pag. 46. à Diatriba ſexta vſque ad calcem, id eſt à pag. 146. vſque ad 180. nugaris, vel paſſim & indiſcriminatim mordes nos cum Caluiniſtis. Tota vis, aut verius totum venenum eſt à Diatriba tertia vſque ad ſextam per 100. paginas, quibus veluti Syſifus eumdem lapidem moues. Conſentit, inquis, Bannes principis Caluini, ergo non debet conſecutiones negare, quibus tollitur liberum arbitrium. Poſſem Theophile, ad hæc reſpondere validiſſimè, & totum tuum libellum vno verbo euertere. Omnes fere hæreſes natæ ſunt, non ex diſſenſu principiorum, ſed à concluſionum deductione: quod poſſem demonſtrare omnium hæreſum exemplo. Inſtar ſit omnium Arianiſmus. Nonne cum Catholicis, Arius contra Sabellium agnoſcit emanationem Verbi à Patre, & Spiritus ſancti ab vtroque? Quid inde infert? Diſtinctionem naturarum. Debentne Arianiſmi accuſari Athanaſius, alijque Catholici, quod principio conueniant cum Arrio, quaſi non poſſint concluſione diſſentire? Ita ad rem noſtram: plura principia, fateor Scholæ noſtræ, & ſectæ Caluinianæ communia: agnoſcimus efficaciam diuinorum decretorum & auxiliorum. Ille vult eſſe libertatis noſtræ ruinam, & id præ ſe fert; nos conſtantiſſimè negamus: & tu vis nos, quaſi obtorto collo ad partes Caluinianas trahere? Sed id tibi prius accuratè inſpiciendum erat; qui nam noſtrûm magis conſequenter ad ſua principia ſentiant: & hoc mox examinabimus.

Conaris totis his tribus Diatribis multis nodis nos implicare, ex hoc vno capite petitis, quod cum Caluino conueniamus. Nolo anxiè hos nodos ſoluere, validiùs

omnes vno ictu præscindam; idque iudicio Caluini ad quem vnum appellas. Refers ex ipso apertissima loca, ex libro primo Institutionum cap. 15. num. 8. Idque habes tui libelli pag. 41. Adamum ante prolapsionem libero arbitrio fuisse præditum, & voluntatem eius in vtramque partem fuisse flexibilem. Hoc vnicum verbum, omnes tuas machinas; & calumnias contra nos instructas dissoluit, si aliud addas non minus certum, eo statu innocentiæ, quo libertas ex Caluino vigebat, non fuisse immunem à prædefinitionibus diuinis, sed nec à subordinatione illius *vigilis, efficacis, & operosæ prouidentiæ*; quæ in actu continuo versatur, cui nihil fortuitum, quæ præfixit naturæ ordinem: hæc enim omnia, & ferè reliqua, quæ vrges ex Caluino, non sunt nata ex corruptione peccati, sed ex lege statutâ diuinæ prouidentiæ. Atqui Caluinus censet, cum huiusmodi prædefinitionibus æternis, cum illâ efficaciâ diuinæ prouidentiæ, libertatem humanæ voluntatis futuram intactam, & inuiolatam: Ergo Caluinus ipse, cuius iudicio nos vis damnari, absoluit nos à sui erroris consortio. Nam si qua ratione vis inuitos in illius societatem nos trahere, non potes, nisi assensu principiorum, quibus dicis, nos cum illo conuenire. Admitto quod asseris: sed memineris, nihil nos cum illo habere concordiæ, aut conuenientiæ, nisi in illâ subordinatione causarum secundarum ad prouidentiam diuinam, quam agnoscit in statu innocentiæ, ac prinde nullâ ratione lædere ex se libertatem censet. Vide quò abierit illa tuorum argumentorum moles? Vnico verbo centùm paginis tui libri spongiam induxi vnicâ responsione.

Potes profligatum prælium instaurare, si dicas Caluinum non sibi constare, & vno loco euertere quod aliò astruxit; bene est: cur ergò vrges nos dictis Caluini, quasi consequentèr loquentis, cùm fatearis sibi apertè contradicere? Quamvis hoc duplici responso, satis superque vnum *Religionis bestiarum* conuitium omninò deleuerim, tamen ne videar vllam subtergere difficultatem, singula accuratius examinabo. His omnibus præsidiis munitos, & à tuis calumniis immunes, adhuc bestiis & Caluinistis accenses. *Nihil hactenùs*, inquit, *dixisti quod Caluinus neget.* Putabam diceres, quò bruta non peruc-

niant. De brutis iam lis confecta est, ipsorum stuporem tibi improperarem, si ignorare te putarem, nullam brutis competere ex sex dotibus, quibus monstrauimus libertatis progressum constitui.

De Caluinistis nunc paulò accuratius. Quid apud Caluinum legisti; quod accedat ad libertatem, quam statuimus? Inquisiuit-ne originem illius in illâ vniuersalitate naturæ, & adhæsione ad summum bonum? Attigit ne independentiam à bonis finitis, aut in illa imperium? Distinxit ne indifferentiam absolutam, & temperatam? Nihil horum nequidem per somnium venit illi in mentem. Quâ ergo ratione dicis, nobis cum illo communem esse de libertate sententiam? Addo quæ magis vrgeant, aut minus cauillari possis. Admisit ne Caluinus legitimam sensus compositi & diuisi distinctionem, quâ vnâ SS.PP. & Theologi vsi sunt ad conciliandam libertatem, & contingentiam rerum cum præscientia Dei? Voluit-ne, aut potuit capere sensum compositum, iungere actum actui, diuisum autem potentiæ ad oppositum? Nonne dixit in Antido. super 4. Cano. Sess. 6. hanc interpretationem esse Sophistarum inuentum? Censuit ne causæ vniuersalissimæ & infinitæ efficaciam, ad omnes gradus & ad libertatem ipsam pertinere? Addo etiam quod iam indicaui, ipsum Caluinum censere, subordinationem nostræ voluntatis ad primam, in statu innocentiæ futuram citrà vllam liberatis jacturam: Ergo non minus iniustè nos Caluinistis, quam bestiis annumerasti. Et si nihil aliud opponerem tuis accusationibus, possem hanc exercitationem concludere, quia iam satis superque demonstraui meras esse nugas aut calumnias.

ARTICVLVS TERTIVS.

Illustratur mens Thomistarum de Libertate, triplici collatione cum Hæreticis, aliisque Catholicis.

SED placet rem operosius tractare. In primis ex constitutâ à nobis libertate, facilè cognosci potest, quis sit cuiusque Scholæ de illâ sensus, quidnam discriminis

interſit ſententiam noſtram inter, & reliquas non ſolùm Caluiniſtarum, ſed etiam recentiorum omnium. Medij ſumus inter duas extremas Molinæ, & eam quæ Ianſenio tribuitur, & hi omnes à Caluino differunt. Aliam enim cum Hæreticis, & Catholicis diſputandi rationem ſequor à tuâ diuerſiſſimam. Plurimos video, qui malunt Hæreticorum audaciam confirmare, & vires augere, quàm de contentione, & de nimio contra Catholicos ardore, quicquam remittere. Nihil penſi habent, Hæreticorum res promouere, dummodò ipſorum ſocietatem ſuis inimicis obijciant. At ego contra, nollem certam victoriam de Catholicis referre, cum aliquo Hæreticorum commodo, & gaudio: & hoc etiam illis emolumentum, & ſuperbiendi cauſam eripiam, quod Catholicorum nonnulli largiſſimè ſuppeditant, dum totis viribus nituntur, in illorum gregem propellere, non contemnandam Eccleſiæ portionem, eorum qui vim, & nomen pietatis ſeruant.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Recenſentur tres de libertate ſententiæ.

TRIPLEX eſt hâc de re ſententia, duæ ſunt extremæ, tertia media. Prima eſt Ianſenio, ſecundam tuetur Molina, tertiam Thomiſtæ.

Ianſenius docuit neceſſitatem cum libertate ſtare; ac proinde amorem increatum, quo Deus ſuam bonitatem proſequitur, vel creatum, quo Beati & cælites eidem bonitati adhærent, liberrimum eſſe: quòd liberum ſit, non quodcumque voluntarium, quod ineſt etiam brutorum actibus, vel noſtris indeliberatis, ſed cum perfecta adeſt cognitio objecti, perpenſis eius obiecti meritis, & eo quo dignum eſt affectu proſequimur; neceſſariò, ſi ſummè & infinitè bonum ſit, indifferenti, & contingenti, ſi limitatæ & finitæ, ſit bonitatis. Huic primæ opinioni ſecunda extremè oppoſita eſt Molinæ, & aſſeclarum, qui libertatem in indifferentiâ abſolutâ ponunt, rem quamcumque amandi, vel non amandi, aut etiam odio habendi, nullâ limitatione receptâ etiam à fine, qui hoc ipſo libertatem tollit, quod de indifferentiâ aliquid auferat,

quam vnicam esse contendunt libertatis essentiam.

Nulli harum sententiarum Schola nostra adhæret: quia prior nimis restringit libertatem, imò reipsâ tollit; altera nimis laxat, & dilatat. Vnionem ad summum bonum per amorem beatificum, negamus formaliter liberam esse, sed constituimus esse fundamentum libertatis: ab alterâ opinione duplici capite differimus; in primis indifferentiam facimus proprietatem, non essentiam; deinde nihil repugnare dicimus libertati, seu indifferentiæ, subordinationem ad finem, quâ temperetur, non minuatur vera indifferentia, quæ ad libertatem pertinet. Idem enim est progressus, & ordo intellectus discursiui, & liberæ voluntatis: nam sicut ratio discurrit à principiis ad conclusiones; ita voluntas à fine ad media progreditur; hoc discrimine, quod principiis conclusiones sint vt plurimum necessario connexæ; secùs media finibus, quibus vt plurimùm contingenter appendent, sicut conclusiones probabiles suis præmissis. Sed omissis aliis huius comparationis egregiæ partibus, quâ mire hæc materia illustratur, hanc tantùm conuenientiam, rationem inter & liberum arbitrium vrgeo: quod sicuti ad rationis vim, nulla ratione pertinet, malè ex principiis conclusiones inferre; ita nec essentia, neque pars, neque extensio, sed potiùs defectus quàm accessio est libertatis, ex fine constituto malè media eligere: proinde electio ordine finis prætermissò, vitium est libertatis, non natura.

Quid ergo essentiam libertatis constituet, cuius radicem & fundamentum posuimus in vnione necessaria ad finem, & proprietatem in indifferentiâ temperatâ à fine? Iam diximus libertatis naturam esse in independentiâ, & eminentia supra bona finita, & vi illa regendi. Nam sicut bello victoria comparari potest, aut fortitudine, aut prudentiâ militari, aut Marte, aut arte, ita etiam libertas est quædam vis inuicti animi; *victrix malorum, rectrix bonorum*, quæ neque vt dicebat Epictetus, violentiam pati, & vix etiam resistentiam potest; quæ supra omnia eminet, vnico soli bono infinito subdita: à cæteris independens est, aut illorum domina; idque duplici via, quâ victoriæ comparantur; videlicet virtute, quia capax Dei, & boni infiniti, repellere potest ad arbitrium, quidquid illo minus est. Virtuti astutiam ad-

iungit, beneficio intellectus, & iudicio vniuersali, quo potest bona quæque creata, notare aliquo defectu, ac proinde cum indifferentiâ amanda proponere.

His ita constitutis euidens, est inter extremas sententias nos medios, ab eâquam tribuunt nonnulli Iansenio primùm, & multò longius à Caluino differre, qui omninò inter se non conueniunt: nam Caluinus vult actus etiam indeliberatos esse liberos, eâ libertate quæ sufficiat ad malitiam peccati, quod nunquam Iansenius somniauit, cùm ad libertatem exigat perfectam rei notitiam & ponderationem: Ergo saltem hoc discrimen intercedit præter cætera quæ subiungam.

Nos vero ad libertatem exercitij, indifferentiam obiectiuam intellectus, & formalem voluntatis requirimus, (vt incipiam primam Petri calumniam amoliri) quæ nascatur vel ab obiecti finiti, vel ab ipsius principij defectu. Voluntas capax infiniti boni, solo increato clarè cognito satiari, subijci, vel necessitari potest; cæteris finitis superior est, nisi per ignauiam se deijciat. Imo quando suo infortunio, libertatem in bonum infinitum exercet, & Deum obscurè cognitum potest non amare; ex infirmitate, aut ignorantiâ potius est, quam ex vllâ libertatis perfectione: quia dimidiatam, & tertiatam, ac penè nullam bonitatis infinitæ notitiam habet, & per effusas caligines libertate aliquâ ex parte infelici, amorem infiniti boni, malo suo, vel suspendit, vel in fastidium mutat. Adeò verum est, libertati locum non esse, nisi obiecto vel principio defectus insit, & bonum quod subjicitur amandum, finitum sit, vel cum aliquo defectu mixtum, vel si infinitum sit, obuoluatur tenebris, & appetentem lateat.

Hinc ergo nascitur indifferentia obiecti, & intellectus, quæ vbique adest (si visionem beatam, aut actus indeliberatos excipias) quia nihil in obiecto est, quod rapere necessariò possit affectum. Hinc obuia est responsio ad primam Theophili calumniam contra Bannem. Affingit illi, & aliis eiusdem instituti Theologis, libertatem ponere in indifferentiâ intellectus. Ne id quidem per somnium cogitauimus: sed omnium nostrum sensus est, voluntatem cæcam sequi iudicium intellectus, quod cum indifferentiâ proponit prosequenda esse omnia finita bo-

na, imò & infinitum obscurè cognitum. Et si deliberatè agat; nullam illi posse necessitatem injici, nisi à Deo revelatâ facie viso, vt rationem bonitatis infinitæ habet. Semouc hoc obiectum, voluntas est expers necessitatis, & libertatis compos, quæ per absolutam potentiam amoueri nequeat, stante iudicij indifferentiâ, non quod illa sit ipsamet libertas, sed illius radix, ad quem libertas necessariò consequitur, nullâ vi semouenda.

Hoc fateor, malè vos habet, quia ægrè fertis opponi vobis præsidium istud hactenùs vestris argumentis inuictum. Nam quâ ratione illud impugnas? Fraude & calumnia. Ais primò, nos loco libertatis sufficere iudicij indifferentiam. Mera est impostura; aliud est libertatem nasci, & esse inseparabilem ab indifferentiâ iudicij, aliud esse omninò idem. Primum admittimus, secundum pernegamus. Quid mirum, si positâ indifferentiâ iudicij, non possit tolli indifferentia, seu libertas voluntatis? Nonne communis est etiam apud vos sententia, ita cæcam voluntatem, & subinde adeo connexam esse intellectui, vt nullâ ratione voluntas queat quidquam appetere, nisi præeat cognitio, quæ non solùm appetenda ostendat, sed etiam præscribat, quâ ratione sint prosequenda? Quâ ergo necessitate voluntatem antecedit intellectus, eadem huius indifferentiam obiectiuam, voluntatis libertas, & indifferentia consequetur.

At, inquies, Caluinus admittit indifferentiam iudicij, & negat voluntatis. Quid tum? Ergo debemus sequi Caluinum errantem? Ille gratiam efficacem censet repugnare libertati: propterèane cum Pelagio gratiam efficacem negabimus, vt in tuto sit libertas, vel libertatem negabimus, vt salua sit efficacia gratiæ? Addo, Caluinum hanc quæstionem non attigisse. Saltem Theophilus nullum ex illo affert locum, quo id significet, imo lib. 2. Institutionum cap. 3. indicat necessitatem peccandi in nobis illi similem, quæ viget in dæmonibus, vel in Deo se amante. At certum est, neque in Deo iudicij indifferentiam præire suæ bonitatis amori, nec in dæmone antecedere odium Dei se torquentis: Ergo etiam in viatore indifferentiam iudicij tollit, neque aliam iudicandi de prosequendis rationem admittit ab eâ quæ insit brutis ad mali fugam, vel boni prosecutionem. Ex quo ergo capite

constat,

constat, Caluinum libertatem euertere seruatâ iudicij indifferentiâ, cum ab exemplis, quæ adhibet Dei necessariò boni, aut dæmonis necessariò mali, absit cum libertate iudicij indifferentia?

Ergo frustrà tertia Diatriba vrges conuenientiam Bannes cum Caluino; quandoquidem hoc latissimo discrimine distant iudicij necessarij & indifferentis, vnde in voluntate nascatur par indifferentia, aut necessitas affectus; falsissimum enim est, quod obtrudis, secundùm Bannem, etiamsi ereptum sit dominium actionis, tamen iudicij indifferentiam saluam esse, imò hâc seruatâ nunquam perit actionis dominium.

Quod Diatribâ quartâ latè vrges vno verbo euersum est. *Caluinus*, inquis, *vult efficaciam prouidentiæ infensam esse libertati: at tu admittis eamdem efficaciam cum illo, vterque ergo libertatem tollit.* Sed iam responsum est: Caluinus à te relatus pag. 42. & iterum pag. 58. admittit efficaciam gratiæ stare cum libertate in primâ institutione innocentis hominis, ergo ex naturâ suâ non excludit libertatem. Falsa est etiam secunda propositio. Frustrà ergo laboras in vrgendâ conuenientiâ Bannes cum Caluino, quando quidem etsi conueniant in efficaciâ secundum statum innocentiæ, neuter tollit libertatem. Si tuorum argumentorum tantùm rationem haberemus, nihil à me dictis addendum esset: quia adeo apertè & validè soluta sunt, vt nihil supersit difficultatis ex illâ quartâ Diatribâ; verùm vt mentem huius hæresiarchæ aperiamus paucis notam, & tibi saltem penitùs incognitam, & subindè pateat, Thomistas & Catholicos omnes à Caluino distare.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Summa Caluinismi, & quibus differat à Catholicis.

ID ex eius doctrinâ assumo tanquam certissimum, nempe fidei iustificanti, quâ vnâ putat constare salutem nostram, quatuor dotes asserere. Primò vult solis electis eximiam: secundò semel illis datam nunquam perire

& corrumpi: Tertiò ſuæ ìncorruptionis afferre certam electo notitiam: quartò non aliâ ratione vult fidem ſaluare iuſtos, quam perſuaſione certiſſimâ, ſibi adeſſe has tres gratias, prædeſtinationem præteritam, iuſtitiam præſentem, & perſeuerantiam futuram. Quis ignorat fidem his quatuor dotibus inſtructam, apud Caluinum eſſe proram & puppim? Nec alia habet principia, vnde deducit quæcumque de neceſſitate, aut libertate exclusâ à negotio ſalutis aſſerit. Inde enim euidenter infert primò, peccata electorum omnium eſſe venialia: quia quamlibet grauiſſima ſint, nunquam gratiam, aut fidem incorruptam tollunt: Ergo ſunt venialia ex euentu. Ea enim venialia dicunt Catholici, quæ gratiæ non repugnant, & ſecum illam patiuntur. Vide Belarminum controuerſiâ de fide iuſtificante.

Inde inferunt ſecundò; nulla peccata poſſe ſalutis periculum creare fideli, quia nulla auferunt fidem iuſtificantem. Inde deducunt tertiò, Sacramenta à ſolis electis recipi, quia ſunt ſigna certiſſima triplicis priuilegij, iam explicati, & ſunt teſſera quâ obſignat Deus ſuis electis prædeſtinationis, iuſtificationis, & perſeuerantiæ dona. Vide Belarminum 1. lib. de Sacramentis. Hinc inferunt quartò nullum reprobum vocari ſeriò à Deo, vel recipere gratiam, aut ad illam diſponi. Ratio euidens eſt ex primo principio; quia gratia iuxta Caluinum, nihil eſt, niſi fides iuſtificans propria electo, certiſſimum faciens de ſuâ prædeſtinatione, &c. Atqui reprobus, non poteſt ſibi certâ, & verâ fide perſuadere ſe eſſe electum; neque Deus dat gratiam, vt ingerat errorem, Ergo reprobus nullam à Deo gratiam ſeriò recipit, & repugnat etiam illi in ſenſu diuiſo ſaluari, quia non poteſt illi obuenire ſalus, niſi perſuaſione verâ ſuæ prædeſtinationis: Atqui illa eſt omninò impoſſibilis; Ergo reprobo nulla ſupereſt via ſalutis.

Inde deducunt Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis electis: pro his enim mortem ſubijt, qui ſunt capaces veræ fidei iuſtificantis: Atqui ſolis electis competit huiuſmodi fides, cum nihil aliud ſit quam perſuaſio vera prædeſtinationis. Hinc tandem & vltimò, inferunt, ſicut neceſſariò damnantur reprobi, quia ſunt incapaces fidei etiam in ſenſu diuiſo; ita neceſſariò ſaluantur electi;

quia habent in se certissima signa, quibus conuincuntur, se esse electos, se non posse perire, etiamsi maximè vellent. Hæc est propria Caluini de nostra salute, de gratia, ac de libertate sententia.

Quæro à te, Raynaude, quis Catholicorum, quis Theologorum assentitur huic Caluini Theologiæ principio, & conclusionibus quæ inde deducit? Negas-ne esse veraquæ ex illo retulimus? Consule Belarminum, lege ipsosmet Caluinistas, & videbis & agnosces, me nihil illis imponere, sed te sycophantam agere, si nobis illius pestilentissimæ doctrinæ consortium improperes, & hæc sufficient ad tui libelli damnationem.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Collatio nostræ sententiæ cum altera Iansenij doctrina.

NON dubito quin ægerrimè feras, hâc Thomistarum cum Caluinistis collatione, ereptam tibi in posterum facultatem obtrudendi nobis nomen, & errorem Caluinistarum. Credo etiam tibi molestissimum fore, quod sim ostensurus, nos adhuc à Iansenio distare, vt statim ostendam, dum ad tua, tuorumque argumenta respondero. Hinc enim apud sapientes constabit, vos immeritò & ignoranter asserere Thomistas, in omnibus idem penitùs cum Iansenio sentire. Verùm vt tua ignorantia omnibus pateat alteram instituo collationem Iansenij, & nostræ, ac tuæ doctrinæ, quâ validissimè depellam, quam singulis Diatribis, ac penè paginis obijcis, omnimodam cùm Iansenio cognationem doctrinæ. Hanc etiam tibi obijcio, & quâ ratione meæ respondebis accusationi, tuam vicissim refellam. Nisi Iansenium dimidiatum agnoscas; aut si totum decurristi à capite ad calcem, non potes ignorare, illum suam ex nostrâ, ac vestra, doctrinam conflasse, hoc discrimine, vel ordine; quod in statu innocentiæ, totus est pro Molina, neque vllam Adamo datam, aut paratam gratiam in statu innocentiæ præter sufficientem, & euentu & ex voluntatis determinatione efficacem: in statu naturæ corruptæ ad

Thomistas accedit, & vnam gratiam naturâ efficacem admittit, & prædicat.

Vtrique Scholæ, his diuersis sensibus se adiungit, principiis concors, sed conclusionibus imprimis à tuis longissime abest. Quidquid Molina dicit de gratia Christi meritis comparata, transfert Iansenius in gratiam primo homini, & Angelo datam, & admittit liberrimè, quæcumque ex vestrâ sententiâ deducimus, & vos negatis. Hæc enim est summa Argumentorum nostrorum, quibus vestram gratiam impugnamus. Nisi detur alia, quam generalis & sufficiens, quæ det posse, & non velle, quæ determinationem nostræ voluntatis expectet, & ab illâ fiat efficax, & à potentiâ deducatur ad operationem, sequitur primò, gratiam sufficientem ab efficaci ex solo euentu distingui: sequitur secundò, quemlibet nostrum se discernere, & habere quo glorietur, contra illud Apostoli. *Quis est qui te discernit?* Et *quid habes, quod non accepisti?* Sequitur tertiò, prædestinationem non esse electionem gratuitam ad gloriam, ante præuisa merita, aut non esse certam, nisi ex præscientiâ; Atqui hæc ferè omnia sunt falsa & erronea, etiam apud vos.

Quid ad hæc recentiores? quid Iansenius? licet enim principio conueniant, tamen diuersissimi sunt consequentiis. Vnde Molina, & asseclæ, negant maiorem, nempè hæc tria sequi ex vestrâ gratiâ, & conceditis minorem, scilicet hæc ferè omnia falsa, & erronea esse. Iansenius verò apertè admittit maiorem, & negat minorem. Concedit, inquam, hæc omnia necessariò, & euidenter consequi in statu naturæ integræ: sed negat pro eo statu falsa esse, aut periculosa; imo contendit esse ipsissimam S. Augustini doctrinam. Hinc Angelos docet prædestinatos ex præuisis meritis, præuentos solâ gratiâ sufficienti, quam ipsi efficacem fecerunt, se ipsos discreuisse, habuisse quo gloriarentur; nec putat vllum, huiusmodi consecutionibus ex gratia sufficienti, subesse periculum erroris: quia quæcumque ex Paulo, & ex SS. Patribus, afferri solent de gratuita prædestinatione, de differentia gratiæ efficacis & sufficientis, non habent locum, nisi in natura corrupta & redempta: Ergo vestris principiis consentit, & distat consequentiis.

Eamdem concordiæ aut discordiæ nobiscum viam init;

probat fusissimè multis, non solùm argumentis, sed etiam libris, necessitatem gratiæ naturæ suæ efficacis, quam nos ex Augustino admittimus. Sed si proponas argumenta, quæ nobis objiciuntur, diuersissimè, & præsertim secundum quod à plerisque exponitur respondet: quod negamus concedit; negat, quæ concedimus. Sic eadem contra vtrosque soluam argumenta, quæ congeritis. Si gratia efficax naturæ suæ, sit ad quodlibet opus bonum necessaria; Ergo nulla datur gratia sufficiens, Ergo determinatur voluntas necessariò, nec habet potentiam expeditam ad oppositum; Ergo ad libertatem non requiritur necessariò indifferentia, Ergo voluntas necessitatem pati potest cum libertate: Atqui hæc omnia falsa sunt.

Quid ad hæc Thomistæ? Concedunt gratiam naturæ suæ efficacem necessariam esse ad actualiter bene operandum, sed negant inde tolli gratiam sufficientem, quæ dat posse benè operari, negant à gratia naturæ suæ efficaci voluntatem necessariò determinari, & non habere potentiam expeditam ad oppositum: negant pariter, ad libertatem non requiri necessariò indifferentiam, quamvis indifferentia à gratia ex naturæ suæ efficaci, liberè, & infallibiliter reducatur ad actum, non necessitando voluntatem, sed efficiendo in ipsa libertatem, non minùs quam ipsa voluntas creata: non enim Deus lædit, sed producit libertatem in voluntate creata. Quid ad hæc Ianseníus? Concedit, in statu naturæ corruptæ, esse necessariam gratiam naturæ suæ efficacem, ad quodlibet opus bonum: & admittit ea omnia quæ deducta sunt, scilicet, tolli gratiam sufficientem, à gratia efficaci voluntatem necessariò determinari, & non habere potentiam expeditam ad oppositum, & credit cum necessitate stare posse libertatem, quæ tamen omnia Thomistæ negant.

Objiciesne nobis in posterum, Theophile, cum Ianseníio consensum, demonstrato euidenter discrimine, quo perinde ab illo secundùm sensum à nobis relatum, & ipsi à multis attributum, in statu naturæ corruptæ, ac tui, in statu innocentiæ distamus. Quamvis non desint, qui eum hâc parte benignè sensu Thomistico exponant. Sed quæ hîc paucis perstrinximus, fusiùs tota Disputatione propugnabimus.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Origo libertatis confirmatur teſtimoniis & Argumentis D. Thomæ.

NE fruſtra videar Diſputationis titulo pollicitus, me D. Thomæ mentem de libertate humana explicaturum, & defenſurum; placet nedum expreſſis ex illo verbis, ſed Argumentis etiam profundiſſimis, quæ hactenus diximus de cauſis, & genuina ratione libertatis, confirmare & locupletare.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Probatur prima radix, & cauſa libertatis, interpretatione Articuli primi ex quæſtio 23. de Veritate.

QVAMVIS S. Doctor variis locis de hoc argumento diſputet; nuuquam tamen fuſius & elegantius id proſecutus eſt, quàm laudata quæſtione 23. & 24. & prioris articulo 1°. vbi naturam intelligentem tribus donat, & ornat, ex immunitate à materia repetitis dotibus, ſeu amplitudinum ſpeciebus: quarum prima euadere poſſit intellectus in omnia, ſpecierum quas recipit de rebus beneficio; vnde exurgit altera iudicij, & cognitionis, quâ de omnibus quorum ſpeciem, ſeu rationem præhabet, ſtatuit & decernit: Inde exiſtit tertia, appetitus cuiuſcumque boni fruendi, aut vtendi capax, & idoneus. Ex his tribus amplitudinum ſpeciebus, ſeu iunctim, ſeu ſeorſim ſumptis, elicit S. Doctor, & demonſtrat arbitrij libertatem. Primam proſequitur quæſtionis 23. art. 1. alteram iudicij, quæſtionis ſequentis art. 1. 2. & 3. poſtremam vero voluntatis capacitatem quæſtionis ſuperioris art. 4.

Primi loci quem modò interpretandum ſuſcipimus, hæc ſumma eſt. Cognoſcentium natura hoc differt à cæteris, quod iſtæ vni formæ inditæ addicantur, eâque conſtent; illa vero ex immunitate à materia, ad omnia latiſſime pa-

teat, omnium formis afficiatur, duplici facultate, intellectu nempe, & voluntate: quæ hoc maxime distant, quod cum vtraque in eadem substantia spirituali, vt loquitur D. Thomas, radicetur; (quo nomine, Brutum quoque aliquo modo comprehendit,) diuersa tamen sit illarum ad res comparatio. Cognitio quidem ad illas refertur, vt in cognoscente, voluntas verò vt in seipsis existunt. Prior habitudo spiritualis substantiæ est ad res quas penès se habet, non quidem secundum esse proprium, vt quidam antiquorum somniabant, qui terram, aquam, nonnisi ijsdem Elementis percipi posse fingebant: sed præhabet secundum speciem, seu rationem abstractam à conditionibus, quibuscum extra intellectum reperiuntur. Ea verò comparatio cognitionem constituit, in hoc positam, vt cognitum secundum suam rationem sit in cognoscente eius specie & similitudine informato.

Sed cum ratio rei absoluta ab omni concretione materiæ inesse possit vni substantiæ immateriali; ideo cognitio illi soli asserenda est, aliisque corporeis substantiis neganda: nam gradus cognitionis, seu actiuæ, seu passiuæ, id est, seu vim cognoscitiuam, seu intelligibile obiectum attendamus; metienda est ex immaterialitate: vt quò substantia longius à materia recesserit, eò sit aptior recipiendis, & efficacior percipiendis rerum speciebus, & opportunior etiam vt plenius intelligatur.

Vnde duo manifeste eliciuntur; cum res est eiusmodi, vt nihil habeat nisi plane immersum materiæ, sicuti lapis, qui forma constat omnino materiæ astricta, & illigata, expers est omnis cognitionis, tum actiuæ, tum passiuæ: nec ad istam potest assurgere, seu intelligibilis fieri actu, nisi crassitie materiæ detersa, spiritualis euadat, & in cognoscente recipiatur: non provt jacet in vniuerso, & natura rerum: sed secundum suam rationem absolute sumptam: ac proinde tanto nobiliori modo, quam in se, quanto magis abstracto, menti inexistet. Sed cum aliarum rerum cognitio metienda sit ex sui prima cognitione, per propriam substantiam quæ naturalis, & maxime accommodati obiecti vim & locum habeat: hoc singulare sibi Deus vindicat, sicut innuit S. Doctor, vt substantia diuina sit nedum primum: sed etiam totum, & par diuinæ scientiæ obiectum, quo cætera contineantur. Hinc;

ſolo diuinæ eſſentiæ intuitu, omnia cognoſcit Deus, & comprehendit.

Explicatâ naturæ intelligentis primâ ad res vt in ipſa exiſtunt, relatione; ad alteram progreditur, qua res vt ſunt in ſeipſis attingit: vnde variæ eliciuntur appetitus, tum naturalis, tum animalis, tum intelligibilis ſpecies. Cum enim naturam oporteat ad alia comparari, iuxta formas ſibi inditas, aut apprehenſas; inde appetitus diuerſi gradus exiſtunt, quibus ad res ordinatione neceſſariâ, aut libera referantur. Hinc primus gradus appetitus naturalis oritur omninò à libertate ſeiunctus. Nam cum ſit materiæ illigatus, nihil ſublime & excelſum reſipit; nec liberam habere poteſt ordinationem ad alia: ſed conſequentem ex neceſſitate diſpoſitionem naturalem: cuius cum non ſit ſibi cauſa, quaſi ipſe ſe ordinet & aptet in id, ad quod ordinatur; inde determinatur vnde naturalem diſpoſitionem accepit: vt videre eſt in lapide ad centrum comparato: quod illi naturam dedit generans, cauſam eſſe oportet motus, quo deorſum tendit: & ideo inquit D. Thomas, competit rebus inanimatis ſolus naturalis appetitus, omnino neceſſitati addictus.

Hinc S. Doctor gradum ſibi facit ad altiorem appetitum, cuius varios diſtinguit ordines, animalis, & intelligentis: quia ſubſtantia ſenſibilis aliqua gaudet, non omnimoda immunitate à materia: vnde fit vt aliquod reſipiat libertatis ſpecimen, & inchoamentum. Sic enim ſupernatat & eminet materiæ, vt tamen eius fœces non abſtergat omnino, nec corporis pondus euincat, & excutiat: quia, inquit S. Doctor, ſubſtantia ſenſitiua licet formas rerum recipiat, ſine materia, non tamen omnino immaterialiter, nec abſque conditionibus materiæ: cum organi corporei temperamento, & opera egeat ad ſuas operationes eliciendas. Inde conſequitur appetitus, ſpontaneus, quidem, & voluntarius, non tamen omnino liber; quamvis aliquam libertatis ſimilitudinem præferat: ne tamen vim obtineat, & ne omnino aſſequatur, impedimento eſt addictio ad organum corporeum, & ad inſtinctum, ſeu iudicium æſtimatiuæ determinatum, quo ad res fugiendas, aut proſequendas, neceſſariò impellitur, nulla optione relicta, & ſublata electione, ſpontanee quidem non liberè, & quaſi ſui potens & compos fertur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [64] - 24
PUBLIC DOMAIN

Sed quod in naturâ sensibili, organo corporeo addictâ desideratur, abunde suppetit intelligenti, ex longiori à materia recessu. Quare facultatibus instructa est, non modo incorporeis, quæ ad proprias operationes eliciendas, nedum principiis corporeis, sed nec etiam organis coagentibus egeat, quæ proinde materiæ determinationis ad vnum, primæ radicis carcere, & vinculis exolutæ, libertatem spirent: & nedum spontanee agant, sed appetitu sui domino, quem voluntatem vocamus, latissimè ad omne genus boni apertam, & pronam. Vti enim ad formam inditam, naturalis consequitur appetitus; ita ad formam sensu apprehensam, appetitus elicitus, ad formam intelligibilem, voluntas seu appetitus rationalis existit. Iis ita explicatis, & constitutis, ne quid intactum, & inexplicatum relinquat S. Doctor, ex eâdem radice immaterialitatis, varios distinguit gradus libertatis. Quantò enim immaterialior est substantia, tantò perfectior exurgit ratio voluntatis, & liberi. Quare cum Deus supremum immaterialitatis apicem teneat; illi præ cæteris substantiis spiritualibus pleniſſime conuenit voluntas cum libertate.

Sic explicatam assertionem, quatuor Argumentis Articuli corpori præfixis illustrat S. Doctor. Primum ex Scriptura depromitur, *omnia quæcumque voluit fecit*. Alterum ex beatitudinis conditione, quam certum est Deo conuenire: beatum verò definit D. Augustinus, eum qui habet quidquid vult, & nihil mali vult. Vberius & elegantius est tertium à voluntatis conditionibus, quarum nulla in Deo desideretur. Habet enim indistantiam voluntatis à subiecto: quia essentia Dei est sua voluntas: ab obiecto & fine, quia est sua bonitas: ab actu, quia operatio voluntatis est sua essentia. Addit suis Argumentis, solutionem vndecim obiectionum, quas ferè omnes dissoluit distinctione duplicis voliti, primi vt finis, secundi vt medij ad finem. Ad prius obiectum comparatur voluntas vt ad sui causam, si ab illo distinguatur, sicut voluntati creatæ contingit: secus est de diuinâ voluntate, quæ solâ ratione differt à bonitate increata, creaturas verò respicit vt effectus, & media, in quibus elucet bonitas diuina, vt cum per essentiam vna multiplicari non possit, saltem similitudinis participatione in plures diffundatur.

Ex prima huius diuisionis parte, voluntatis nempe ad primum volitum, seu ad bonitatem, vt finem à se indistinctam, Respondet ad 3. ad 6. ad 10. & 11. Argumentum. Ex altera diuisionis parte, quæ supersunt, dissoluit. Hinc enim ad 10. & 11. dicit Deum non perfici sua bonitate: secundum rem, sed tantum secundum significandi modum. Sicut enim volitum perfectio est voluntatis, ita intelligibile intellectus: in Deo autem idem est primum intelligibile, & primum volitum; vtrumque vero à Deo realiter indistinctum cum sit, perficit voluntatem secundum significandi modum, quo sensu explicat Platonem, cum ait, primum mouens se ipsum intelligit & amat. Obseruatione digna est obiectio sexta ex lib. de Regulis, de fide. Duplex est Dei voluntas, affectionis quoad internos, & effectionis quoad externos actus; quarum prima inchoat meritum, altera absoluit: Deo autem meritum repugnat: Ergo etiam male illi conuenit voluntas. Respondet vtramque voluntatem affectionis, & effectionis, Deo competere: quia vult se velle, & vult se agere quod agit; quorum vtrumque, licet in nobis adiunctum habeat meritum, à Deo tamen, salua vtrâque voluntate, meritum semouetur: quod naturæ tantum conuenit ad perfectionem enitenti. Et inde etiam ait responsione ad 7. nomen appetitus minus quam voluntatis, Deum decere: quia appetitus significat voluntatem priuatam bono, cuius desiderio moueatur: quod Deo repugnat, summa quiete & felicitate fruenti. Sed hæc facilia sunt, ad grauiora progrediamur.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Altera libertatis radix, ex iudicio indifferenti, explicatur interpretatione aliquot locorum D. Thomæ.

PROPIVS ad libertatem voluntatis accedit iudicium rationis, quam amplitudo naturæ intelligentis, ex immaterialitate, de quâ Paragrapho superiori. Inde vero elicit S. Doctor, hanc voluntatis dotem, quam late prosequitur quæstione citatâ tribus prioribus Articulis, egre-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [66] - 26
PUBLIC DOMAIN

gio discursu, cuius hîc summam damus. Cùm liberum sit, quod est sui causa, seu ex proprio principio & motu; ad libertatem indagandam, expendenda sunt motus & actionum principia, quæ in quatuor veluti classes diuidit S. Doctor. Ad primam refert, quæ sola vi extrinseca mouentur, & nihil habent quod libertati non aduersetur. Ad secundam classem reuocat motus grauium & leuium, quæ cùm partibus careant, quales videmus habere viuentia, quarum vna impellit alteram; absunt à se mouentium gradu: quamvis illorum motus consequantur ex forma sibi indita à generante, à quo dicuntur moueri per se 8. Phys, & per accidens, à remouente impedimentum motus, quo ad suum locum feruntur. Ea tamen, inquit S. Doctor, seipsis potius, quam à se ipsis mouetur. Quare nullum in his extat vestigium libertatis: quia non sunt sibi ipsis causa agendi & mouendi, sed ad id astringuntur dispositione naturali, à generante recepta.

Tertio genere locantur animantia, quæ re vera à se ipsis mouentur, iudicio naturali, & ad vnum determinato, non iudicio rationis, quale contingit homini, ex collatione agendorum. Hanc iudicij determinationem libertati noxiam explicat S. Doctor, animantium exemplis: quia videmus, quæ sunt eiusdem speciei, vnum in agendo tenorem seruare: atque ita hirundines eadem forma nidificare; vni addici operi, vt apes, quæ tantum industriam habent ad fauos mellis conficiendos: quod argumento est, eorum operationes, peinde ex iudicio de agendis determinato, vt inanimatorum corporum motus ex forma indita proficisci. Quare, sicut grauia & leuia non ita seipsa mouent, vt pleno iure dicantur sui motus causæ; ita nec bruta de suo iudicio iudicant: sed inditum sibi à Deo motum, aut iudicium æstimatiuæ determinatum sequuntur: atque ita nec sui causa agunt, nec arbitrij obtinent libertatem.

Ad quartum tandem ordinem prouehitur homo, & natura intelligens, rationis beneficio, de agendis statuens; & de suo arbitrio iudicans: quatenus exactè cognoscit finis rationes, expendit media ad finem, & conuenientiora eligit. Et ideo non solum in mouendo sui causa est, sed etiam in iudicando: atque ex illo de agendis omnia

ponderante iudicio, vera actionum humanarum libertas exiſtit.

Sed multo profundius eiuſdem quæſtionis Art. 2. in libertatis notionem inquirit S. Doctor. Tria ait concurrere ad illius vſum, nempe cognitionem, appetitum, & operationem: ſed omnia ex cognitione metienda ſunt. Quia cum voluntas ſit impetus in bonum, ſibi cognitione ſubjectum; eam ſequatur neceſſe eſt: & ſi quando videatur ab illa recedere, & diſſentire; hoc inde contingit, quod aliò appetitus, aliò iudicium ſeu cognitio referatur. Voluntas enim quod inſtat opus agendum, vnum ſpectat & vrget; & quandoque iudicium adhæret, & attendit rei, ſemotis conditionibus vniuerſim ſumptæ; quam eâ abſtractione probat, licet minus placeat; vt voluntati concupiſcentia accenſæ aduletur: atque ita ſæpe fit vt meliora vniuerſim, & particulatim deteriora ſequamur. Ita Mœchus, qui adulterium certa fide ſcit peccatum eſſe graue, iudicio rationis vniuerſali vno, altero in gratiam concupiſcentiæ pronunciat, quid bonum eſſe ſic affecto, & ex libidine accenſo, aut corrupto appetitu, quem iudicio vltimo determinatum, neceſſario conſequitur mala operatio.

Iudicium ergo non eſt penès ſuum auctorem, nec ſubinde liberum, aut verius libertatis radix; niſi quatenus de illo ſtatuere poteſt, & ſi viſum fuerit immutare: quod iuris ſoli rationi competit. Quatenus cognitione reflexa poteſt ad ſuum actum attendere, illum ponderare, & rerum conuenientiam, aut diſſentionem expendere: quod omnino ad ſubſellium rationis ſpectat, vnde repetenda eſt radix & vis libertatis. Rationis vero vſus, cum plenè ſuppetat homini; nullus brutis, vel admodum diminutus inſit: hinc aſſerenda eſt homini, neganda libertas brutis. Præferunt quidem aliquam rationis ſimilitudinem, ex communi lege, quâ ſtatutum eſt, vt eorum quæ ad ſuperiorem ordinem pertinent, aliqua in inferiorem illi proxime iunctum participatio deriuetur: atque ita præferunt nonnullam bruta prudentiæ naturalis ſimilitudinem, iudicio de re aliqua ordinato, quod æſtimatiuæ inſertum, non aliqua rationis collatione comparatum eſſe, ex hoc ait D. Thomas innoteſcere, quod facti rationem ignorent: & inde illis negata eſt facultas, ſuos ſenſus locutione explicandi.

Si dicas id gratis asseri à D.Thoma,non probari verum, in graue subijcit Argumentum, quod iudicium,si quod habeant bruta, vnum quid, vti naturæ moris est, spectent, certis metis cohibeantur: nec ad plura, multo minus ad omnia, vti ratio solet, sese extendant? Possumus D. Thomæ Assertum & Argumentum illustrare accommodato, vt mihi videtur, exemplo. Musicis modis canentium, non vna est conditio, aut solertia: quibusdam compositæ modulationis ratio constat; & si inquiratur, promptum est illis explicare: alios omnino latet: quod inde euidentissimum, quod si eos perconteris, cur huiusmodi tenorem seruent, muti omnino fient, perinde ac lucinia, eâdem de causa, quod longe diuersa sint melodiæ leges canendo seruare, & callere rationem, quam possis te poscentibus explicare. Hinc puto negatam brutis sua sensa verbis interpretandi facultatem, homini concessam: quód nobis iudicij ratio constet, quæ bruta omnino effugiat, cuius declarandæ causâ locutio instituta est.

Confirmat S. Doctor assertionem D. Augustini & D. Damasceni testimoniis, qui bruta aiunt moueri visis, quæ sibi occurrunt, aut passionibus insurgentibus: atque ita non posse ouem, viso lupo, timorem & fugam cohibere, nec canem ira accensum non latrare, & mordere. Id vero maxime obseruandum est, S. Doctorem nouem, quæ obijcit, Argumentorum solutionem, ex eâdem radice nempe à determinatione iudicij repetere. Quare cum Philosophus brutis voluntarium attribuit, id interpretatur S. Doctor vt violento aduersatur, non vt conuenit cum voluntate; & licet potentia brutorum secundum se attenta, videatur aliquod habere genus indifferentiæ, ad quodlibet oppositorum, tamen nullam habent: si iudicium quo applicantur, accedat. Et inde etiam 3. soluit Argumentum, Esto insit aliquid libertatis, & iudicij, tamen longe absunt à libertate iudicij: cum illud quo agunt, naturaliter determinatum sit ad vnum. Et ideò solutione 5. concedit potentiam ad vnum determinatam non esse; sed iudicium de agendis. Certum igitur esto apud S. Doctorem, libertatem naturæ intelligenti eximiam esse, quod immaterialis sit primùm, deinde iudicij à materia, & organo corporeo abstracti, & ad omne genus entis extensi, & porrecti.

His addendum est iudicium rationis, duplici acceptione, quâ differat à brutorum instinctu, liberum appellari; nempe, quod sit fundamentum, vel exercitium libertatis. Primum inde habet, quod non sit arctatum, ad rem vt sensibus objcitur, sed ad vniuersalem vsque rationem boni pertingat: eamque vltimo fini, aliisque boni speciebus conferat, & varias hinc inde habitudines expendat. Præter hanc acceptationem libertatis, quasi in radice, alteram attribuit S. Doctor iudicio quæst. 24. de veritate art. 6. ad 3. Quamuis iudicium sit rationis, iudicandi tamen libertatem habet immediatè à voluntate, quatenus ad minus includit acceptationem quandam tacitam voluntatis, sinentis se ab vna parte rationum impelli, & renuentis moueri ab altera. Et quamuis iudicium dici possit liberum, vtroque sensu; libertas tamen appetitus repetitur à iudicio; secundum priorem acceptionem libero: quod egregia hypothesi explicat S. Doctor, priore Art. cuius summam dedimus.

Si arca inquit, quæ est in mente artificis, esset forma materialis ad vnum modum determinata, qualis est forma nidi, impressa æstimatiuæ hirundinis; non inclinaret ad opus, nisi secundum modum quem præhabet determinatum: nec penès artificem esset domum ædificare, aut ab illâ abstinere, vel eius formam variare. Verùm quia forma domus in causâ intelligente absoluta est, nec ex se determinata vt opus exeat certa forma; hinc consequitur inclinatio libera domus ædificandæ, & facultas variandi formam, quæ omnia diximus brutis deesse, quod minus à materia recedant, & sensibus sint addicti.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Tertia radix libertatis explicatur ab appetitu vniuersalis boni.

EXPLICATA prima radice libertatis ab immaterialitate, & altera à iudicio vniuersali, accedimus tandem ad vltimam, & proximam, à D. Thoma altissimè repetitam à boni vniuersalis appetitu, quam explicat quæstionis 25. art. 4, cuius hæc summa est. Diuina & generatim quæ-

cumque voluntas, ad tria comparari potest; ad subiectum seu principium, ad actum, ad obiectum, idque duplex primum, & secundarium. Licet creata voluntas ad hæc omnia libera esse possit; certum tamen, libertatem diuinam exerceri tantum, circa postremi capitis gradum alterum, nempe secundario volitum obiectum. Nam si illam conferamus ad tria priora capita, indubitatum ait D. Thomas, summam necessitatem illi conuenire: quia indistincta omnino est, tum à principio, seu subiecto, tum ab operatione, tum à bonitate increata, quæ est illi loco primi boni & finis, quo metienda sunt media, quasi secundaria bona gratiâ finis volita. Liberum enim quodcumq; vt iam insinuauimus, defectum aliquem importat; cum esse aut non esse possit. Ille vero, aut in facultatem, aut in obiectum cadit: & cum nulli sit obnoxia diuina voluntas, omnino repetendus est ex obiecto; non quocumque, sed quod secundo loco appetitur. Illud enim tantum oportunum est exercitio libertatis, hoc nomine, quod fini necessario amando non sit necessario iunctum, ad eius consecutionem, aut fruitionem. Et inde voluntati capaci aut compoti finis, & summi boni, liber est & indifferens huiusmodi bonorum vsus, quæ rationem medij habent ad prosecutionem finis.

Paucis perstrinximus, quæ fusè & profundè tractat S. Doctor loco citato. Duo sunt, aut tres voluntatis, & cuiusque rei gradus, inter se subordinati: quorum primus & cæterorum fundamentum, est natura, alter voluntatis essentia, postremus est ipsum libertatis exercitium, quasi tertius gradus ex prioribus existens. In voluntate igitur omnes esse oportet: quia nec ipsa potest effugere naturæ vim, & nomen, cum sit voluntatis cardo, quo nitatur, & circumagatur vsus libertatis in alterutram partem vertibilis. Nam ea est rerum conditio, vt varietas & multitudo ad vnitatem, motus ad immobile, quasi ad certum principium reuocetur. Vnde vt hæ leges seruentur, oportet voluntatem liberam, ad aliquod prius, necessaria & naturali ordinatione referri, & quasi religari. Quid vero illud est necessario volitum, seu expetitum à voluntate?

Ad hoc non vna Responsio est: sed pro voluntatis varia ratione, ad minus duplex. Diuinæ quidem voluntatis,

ne dum primum, sed vnicum etiam est obiectum, seu volitum formale, bonitas per essentiam summa & infinita. Creatæ vero est bonum vniuersum, seu fœlicitas cum fuga miseriæ. Hoc enim omnibus prouisum est, & constitutum; vt expetant beatitudinem, eodemque impetu miseriam euadant. Hæc vero prosecutio boni, malique fuga, latè patet ad omnia genera, intra totius entis ambitum, quæ cum primo volito necessitudinem, seu cognationem habent indiuiduam: si quæ vero sint qualia nobis infinita, Deoque longe plura suppetunt, ab hâc necessitate soluta, quibus sepositis fælicitas immunis à miseriâ comparari, aut seruari possit, ea sunt voluntatis vt liberæ genuina obiecta aut exercitia.

Porro vnum magis Deo, quàm nobis, necessarium; & optima pars à nobis eligenda, Deo sine electione parata est, increata bonitas, qua vna fruatur, sola sufficientissima, se & alia volendi ratio, seu finis, eodem prorsus ordine, quo ipsamet essentia est principium, mediumque se & alia cognoscendi. Itaque voluntas diuina ad bonitatem increatam necessario fertur, non necessitate coactionis, sed naturalis impetus, & ordinationis; quæ nihil repugnat ex Augustino libertati: quin potius illi cardo est, quem circa liberrime voluatur, & feratur in bona creata. Quare summo bono adhærendi, & fruendi necessitas, adeo longe abest à pugnâ cum libertate, vel ab ea minuenda; vt nusquam maior sit consensio, quàm liberæ electionis mediorum, cum necessaria adhæsione finis, vt verissimè pronunciare liceat, libertatem necessitate constare, non quasi parte aut essentia (quod multis per errorem obrepsit,) sed quasi cardine, fundamento, & origine. Male enim radium soli permisceas, quod sit illi indiuiduus, & indiuulsus, suæque origini adhæreat.

Assertum nostrum demonstrat S. Doctor hoc Argumento. Finis est gratiâ sui, & vna ratio se & alia volendi: quare eadem est mediorum ad finem, & voluntatem comparatio, eadem cum vtrâque cognatio. Si quæ igitur sint, ita arcto cum fine vinculo iuncta, vt citra noxam, & excidium seiungi nequeant; nec finis comparari aut seruari possit, altero sublato; eâdem necessitate vtrumque appetitur: præcipuè inquit D. Thomas, à voluntate quæ sapientiæ regulas prætergredi non potest. Appetenti vitæ incolumitatem,

intolumitatem, eadem necessitas incumbit quærendi cibi, quia si desit, illi pereundum est.

Sed ab hoc necessitatis genere, & vinculo, liberrimus & solutissimus est Deus; quia sibi vni sufficit, parem habet suo affectui bonitatem: & hinc filium vnicum generat, qui suam exæquat potentiam generatiuam. At nulla ne dicam creaturarum paria cum Deo facit, sed ipsâmet comparatione ad Deum omnes euanescunt, in nihilum relabuntur. Vnde, quæcumque creatura quamlibet perfectissima, ponatur in thesauro omnipotentiæ inexhausto, infinitæ latent longe nobiliores, nec vllus statui potest huiusmodi creaturarum possibilium sese excedentium, finis aut certus numerus; atque ab illâ, suprà creaturas omnes, Dei eminentissimâ bonitate, nascitur summa libertas. Neque enim bonorum nostrorum indiget, neque quidquam illi accedit, aut decrescit, siue plures, siue nullas creaturas producat: quia diuina bonitas est eius generis finis, à quo omne genus boni in alia, nullum possit in illam redundare. Inde Auicenna inter Mahometanos præstantissimus Philosophus, libertatem & liberalitatem soli Deo eximiam facit, quia nullum potest illi ex rebus creatis & externis commodum accedere. Vnde tandem concludit S. Doctor, si quæ Deo insit necessitas, in se amando versari, libertimè vero de creaturis statuere.

Profundissimum hunc discursum defendit & illustrat octodecim solutionibus Argumentorum, quorum partem maximam infringit, vnâ aut alterâ distinctione, necessarij absoluti, & ex hypothesi, & necessarij à coactione, & ab immutabilitate. Difficultatem etiam insuperabilem, actus liberi terminati ad creaturam, habitudine æterna & necessariâ, quæ tamen non esse potuerit, subtilissime vrget, eâdem subtilitate dissoluit. Sed de hoc plura huius Disputationis parte tertiâ. Interim ex relatis D. Thomæ locis, certum est, quidquid hactenus de libertate diximus, aut scripturi sumus, eum complexum triplici vniuersalitate, & amplitudine, statum quoad iudicium, & appetitum naturæ intelligentis. Si has amplitudinum species cum libertate, aut inter se conferamus, certum est postremam appetitus, secunda iudicij, & hanc tertia status nobis esse notiorem: licet origine hæc prima sit, illi proximâ, altera iudicij, postrema omnium sit appetitus. Hâc addi-

tione, aut si velis digressione, illud ad minus lucri nobis est comparatum, ne nouitatis arguamur; quasi de libertate aliquid alienum, ne dum á mente, sed nec etiam ab vsu loquendi S. Doctoris inuentum, aut scriptum à nobis sit.

SECTIO SECVNDA.

Notio libertatis explicata defenditur: aduersus Theophilum & Eugenium Philadelphum.

NON possum negare, nostram de libertate sententiam, habere plura non dissimilia, iis quæ doctissimus P. Gibiuf Congregationis Oratorij scripsit duobus libris de libertate Dei, & creaturæ: immò non diffitebor me multa ab ipso hausisse; & ne quis credat, me alienis bonis & inuentis velle gloriari, totam ferè de libertate dissertationem illi post D. Thomam acceptam refero, præter ordinem & methodum, quâ meam, & ni fallor, eius mentem, ita aperte & dilucide, quasi breui tabellâ, omnium oculis subieci; vt sponte cadant ferè omnia, quæ in illum scripserunt Theophilus opere bone longo cui Titulus *noua libertatis explicatio discussa*, & Eugenius Philadelphus exercitatione Scholasticâ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Huius Responsionis causæ tres.

LONGIVS quam Apologiæ breuitas patitur, abducerer à meo instituto, si illius Scriptoris de libertate, exactam defensionem susciperem aduersus hos duos authores. Sed vix ingrati animi vitium, aut certe suspicionem effugerem, si virum religiosissimum de nobis optime meritum, hactenus quod sciam indefensum, ipsemet deserererem.

Et quamuis officij ratio, quæ iubet gratum esse aduer-

fus eos, quorum bonis donati sumus, & fruimur; has à me vindicias minime extorqueret; mihi ipsi deberē, quandoquidem in eadem naui sumus; nec dissimulare possum, vnam mihi cum illo communem esse de libertate opinionem: seu ipse ad eius mentem accesserim, seu ad meam illum sententiam pertraxerim; & nos solâ explicatione differre; vt quas ille sex libertatis partes, nempè principiorum vnum proximum, duo remota, essentiam in vi electiuâ, seu rebus eligendis superiori positam, & ab indifferentiâ absolutâ, aut temperata ordine finis, vt à proprietate legitima aut spuria distinctam, duobus libris, longius & elegantius forte quàm dilucide prosecutus est, nos compendio, pari claritate ac breuitate perstrinximus.

Certè si obseruassent illi duo Scriptores, à P. Gibieuf exactè distinctam libertatem, status vnam, alteram exercitij, priorem esse posterioris principium, & hanc vltimam esse vim electiuam, in dominio, & independentiâ rerum, & subinde actuum positam, maximè elucere in delectu mediorum ex finis intentione, mediam esse inter amplitudinem, seu vniuersalitatem appetitus boni infiniti; atque indifferentiam hanc, libertatem exercitij, seu electionis ad meritum requiri, seruari & perfici efficaciâ gratiæ, nullâ ratione minui rectitudine affectus, aut subordinatione ad Deum, & ad legem diuinam: à multis obiectionibus abstinuissent, & fortè à toto in hunc librum scribendi consilio: quia pauca sunt, aut ferè nulla, quæ libertatem sic explicatam, inter amplitudinem & indifferentiam positam, ab illa vt à fundamento, & ab ista vt à proprietate distinctam impugnent: vt breui vtriusque operis discussione expendam.

Defensionem istam præter duas causas à me dictas, hoc etiam nomine debeo; quod plures viri doctissimi & Catholici, non solum probarunt opus hoc de libertate, sed etiam impensè laudarunt. Nec dicas, hos inter esse Iansenium damnatum constitutionibus Pontificiis, & Sancyranum Abbatem fidei suspectæ hominem. Nam vltra hos duos, supersunt octo sapientissimi diuersorum ordinum Doctores Sorbonici, in quos nulla cadit erroris suspicio: nec facile crediderim esse blandientium amicorum studia, aut adulationes, potiùs quam iudicum, aut

testium iuratorum suffragia, quæ ad libri commendationem scribunt singuli. Nam in primis Episcopus Maudaurensis ex Franciscanorum familia doctissimus, *in opere à se, quâ potuit curâ & diligentiâ examinato*, ait, *tantum abesse, vt aliquid ab Orthodoxâ fide & bonis moribus alienum repererit; quin potius omnia singulari doctrinæ & pietatis ratione, secundum scripturas, Orthodoxorum Patrum sensum, & veterum Scholasticorum doctrinam, comprobasse consentanea. Ideoque dignum iudicasse, quod ad intelligendam tam suauem in nos Dei prouidentiam, vicissimque nostræ in illum libertatis ordinem & subiectionem, in lucem ederetur.*

Reliqui septem, quorum censuræ permissus est liber, Episcopo illi accinunt. P. Eustachius à S. Paulo Fuliensis Religiosus & Doctor Sorbonicus, *præclaram, de libertate doctrinam; eleganti admodum, & non vulgari stylo duobus libris conscriptis editam, asserit Cœlesti Doctoris Angelici, doctrinæ penitus conformem. Ac nescio quid vitæ pietatis, præ cæteris id genus scriptis, insigniter redolentem.* Dom. Chastelain Canonicus & Doctor Parisi. ait, *sibi persuasisse materiæ dignitatem, grauitatem styli, rationum authoritatem, & ante omnia cum principiis fidei, & doctrina Ecclesiæ conuenientiam, vt eius operis euulgationi subscriberet, & lectionem consuleret, tam pietatis quam Theologiæ studiosis.*

Dom. le S. Pere Doctor item Parisiensis, censet *Tractatum de libertate propter subtilem, piam, & maxime Orthodoxam, tam sublimis, & reconditi argumenti explicationem, velut ardentem lucernam, quam primum in multorum vtilitatem, publica editione supra candelabrum esse ponendum.* Dom. Copin Doctor Parisi. confirmat, *se in eo de libertate Tractatu omnia reperisse, non minus docte, quam pie & apposite, ad summam diuini numinis maiestatem scriptæ.*

P. Mathæus Doles Fratrum Minorum Guardianus & Doctor Parisiensis testatur, *sibi diligenter lectos hos duos de libertate Tractatus, ex melioris notæ Patribus excerptos, validissimis rationibus confirmatos. In his porrò nihil contra fidem; aut bonos mores offendisse: imo vero, multa mira eruditionis, & profundæ sapientiæ arcana, digna, qua*

prælo mandentur ad Dei gloriam, Ecclesiæ decus, & omnium virorum doctorum vtilitatem. His assentitur.

Dom. Martineau Canonicus & Doctor Parisiensis: nec contentus *approbatione*, quæ vt, inquit, *solet libris etiam vulgaribus concedi*: *addit nihil esse in eo libro mediocre, siue materiam operis, siue authoris industriam spectes. Argumentum plane diuinum esse, characterem sublimem, scribendi rationem, non sublimem modo, sed grauem etiam & eruditam; singularem denique eruditioni pietatem accedere, quâ pari gradu Lector vtrâque animi parte, ad diuina rapiatur.*

Si forte ista non tam de authore iudicia Doctorum, quàm amicorum in illum studia, & encomia contendas esse interpretanda; quid dicturus es de suffragio Domini. Haberti Theologi Parisiensis, nunc Vabrensis Episcopi, semper Molinæ partium studiosissimi, sicut pluribus eruditis scriptis testatum facit? Vt ille nulli superiorum pietate, doctrinâ, & dignitate, ita nec laudibus in librum & in authorem decedit: sic enim habet: *De Libertate commentarium perlustraui: & cum essem ferendæ censuræ prorsus impar, hoc eidem Elogium debere me sensi: partus authori pio & erudito simillimus, habet illud Pauli sacris scriptoribus necessarium, nempe formam scientiæ, & veritatis in lege. Illustre scribendi genus, si orationem; sublimis idea, si rationem & sensa ponderes; venerabilem antiquorum Patrum referens imaginem, subtilitatem Schola intactam nullam relinquit: ipsius tamen puluere detersa splendidior, eximius caracter cœlitus illustratæ, & mysteriis innutritæ pietatis emissiones spirat, & pectoribus illabitur, nec ingenia solum sed animos tentat. Inscribendus quidem æternitati labor, omnibus probandus, omnibus profuturus.*

Adeo tamen in contrariam ab iis Doctoribus mentem, abeunt Theophilus, & Eugenius, vt liber illis visus sit nihil habere nisi suspecta, pugnantia, & supposititia. Quare Doctorum 8. compertæ eruditionis, paris pietatis, minime odij suspectorum, iudicia propugnaturus, videor mihi communem causam Doctorum defendere, quibus incumbit cura libros recensendi. Sanè si istorum suffragia, qui cæteros eruditione, & integritate æquant, vilc

cunt etiam numero, ſuſpecta ſunt adulationis, quaſi authorem non ſolum immeritum laudarint; ſed erroris pene compertum, iubeant vt Orthodoxum excipere; actum eſt de cenſuris omnium authorum. Itaque refert plurimum ad Reipublicæ litterariæ, & Theologiæ decus, ac penè ſalutem, huius libri Approbationes tutari, & reprehenſiones refellere. Nam ſi huic officio deeſſem, deſideraretur aliquid huic noſtræ Apologiæ maxime neceſſarium. Neque conuenit meum de toto genere humano bene merendi ſtudium decedere Theophili maledicentiæ in omnium ordinum homines effuſæ; & ſi ſummorum Pontificum, Congregationum Romanarum, Familiæ Dominicanæ vindicias, ab eius Satyris, paramus; non minus æqua quam neceſſaria eſt defenſio Doctorum, qui libros probant: quos omnes in hocvno libro acerrime inſectatur.

Neque Philadelphum, licèt hac Reſponſione cum Theophilo iungam, parem illi, quis me velle credat. Procul à me hoc de viro ſapientiſſimo, & ab omnibus, de me abſit indicium adeò iniquum. Scio equidem, aliquibus vt inſtituto, & de libertate ſententiâ conuenire: ſed reliquis omnibus, quam immane diſtant! Id etiam fatendum, hâc ſcriptione Theophilum, non ita fuiſſe grauitatis & modeſtiæ, vt poſterioribus lucubrationibus oblitum; vnde facile agnoſcas, illum quotidie in peius ruere, & florente ætate minus quàm decrepitâ, furere ſolitum. Quod ad Philadelphum attinet, fateor, illi aliquam à Gibieuf datam occaſionem, ſecum acerbius agendi; quod ipſemet præter morem Scholæ, acrioribus interdum verbis, eos vrgeat & carpat, qui à ſe diſſentiunt. Sed non facile concedam, quod ſcribit Præfatione ad ſecundam ſuæ exercitationis editionem, *decennio antequam prodiret Auguſtinus Ianſenij, crepuſcula quædam apparuiſſe Ianſeniſmi in hoc tractatu de libertate*, quem vult *à Ianſenio & Sancyrano probatum, vt in aliorum lucubrationibus tentarent Lectorum animos, vt experimentum aliquod caperent præguſtati erroris: & ideo in illo opere approbaſſe eliminatam indifferentiam, quæ in puram putam libertatem iampridem inducta fuerat.* Addit tamen *ſe hoc teſtimonium debere ſcriptori operis, nempe incautum his retibus implicitum, aliqua cum vtroque familiaritate, &*

priuatorum scriptorum communicatione: neque tamen per-seueraſſe illuſionem, ſed renuntiaſſe Sancyrani amicitiæ.

Agnoſco his dictis Eugenij prudentiæ plurimum ineſſe, ad ſuam cauſam, & aliquid etiam charitatis in authorem: ſed prorſus nego, has de libertate cogitationes priores, poſterioribus emendatas aut retractatas. Audiui à viro inter Galliæ proceres togatos celeberrimo, ſapientiâ, integritate, & pietate Chriſtianâ, quâ ſe illi per 27. annos imbuendum tradidit, diuerſiſſimam diſſolutæ cum Sancyrano amicitiæ cauſam, ab illâ quam Eugenius vnicè refert, ad diſſentionem opinionum de libertate. Nec verius quod ſcribit, *Authore Sancyrano, Ianſenium refutaſſe ſuo Auguſtino, quod laudauerat opus de libertate.* Neque enim Ianſenio ad hoc opus fuit alieno impulſu aut conſilio: cum de notione libertatis, vt iam dixi ſecundum ſenſum à multis ipſi attributum in totum diſſentire, à nobis demonſtratum ſit. Vnde nullum nobis periculum à cenſuris, quæ Ianſenium petunt: ſicut inde nulla fuit neceſſitas, ab horum virorum amicitiâ, & conſilio reſiliendi; licet aliunde fortè datam non negem. Sed ad rem accedamus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Summa eorum quæ obijciuntur ab vtroque authore contra explicatam notionem libertatis.

QVÆ hi duo authores obijciunt, prope innumera ſunt, eaque ſuo quiſque ordine degerit. Eugenius tripartito incedit agmine, & quaſi tricipitem aciem inſtruit, primùm ſuſpectorum ſuprà 36. deinde repugnantium 70. tandem ſuppoſititiorum plurima ſine numero, & fere omnia contendit eſſe, eorum quæ ad hanc ſententiam fulciendam excogitata ſunt. Eadem fere Theophilus habet in duas partes diuiſa, quarum priore, vix vllum opinionum vitium eſt, quo noſtram de libertate ſententiam non contendat laborare. Quare vbi primo capite eius typum expreſſit, cap. 2. & ſequenti, probat rationem libertatis formalem commentitiam eſſe, & voce vniuerſi orbis damnatam: cap. 4. radicem libertatis aggreditur.

ſtirpitus euellendam. Vbi per partes hanc noſtram ſententiam impugnauit, totam vniuerſim cap. 5. erroris, cap. 6. temeritatis arguit, & cap. 7. hos errores natos aſſerit à ſiniſtrâ acceptione libertatis, quaſi eo nomine ſit accenſenda ſola libertas omnis abuſus expers. Cap. 8. & duobus ſequentibus reſpondet argumentis noſtræ ſententiæ, ab authoritate & ratione repetitis; & tandem poſt Caluiniſmum omnibus paginis improperatum, Platoniſmum obijcit cap. 12. quaſi parum aut nihil ab hæreſi diſtet methodus quam Plato adamauit, quamque in illo antiquitas mirata eſt.

Ex hâc primâ parte, alterâ concludit, & fuſe proſequitur, hanc de libertate opinionem, ab authore excogitatam, ad difficillimam Theologiæ de Gratiæ auxiliis, de concurſu Dei, de merito obedientiæ Chriſti, de ſcientiâ, & prouidentia diuina, eiuſque decretis quæſtiones illuſtrandas, malè eius votis & conſilio reſpondere; neque vllam inde lucem, ſed denſiores tenebras acceſſiſſe, ideoque prolegomeno priori quod præmiſit, multa diſſerit de ſolemni apud antiquos more recepto, ſolem nouum poſt emenſum anni ſpatium conſalutandi fauſta hac apprecatione *ſalue ſponſe, ſalue nouum iubar.* Sed cum diuina & humana libertas, profundiſſimâ caligine obuoluatur, contendit hanc nouam libertatis explicationem, has tenebras auxiſſe. Sed huic accuſationi poſtremæ ſatisfaciam Sect. ſequenti; priori iſta reſponſurus, vbi Theophilum monuero, parum tenacem eſſe propoſiti, quod ad imitationem Auguſtini promiſerat Prolegomeno 2.° ſe impleturum.

Hæc enim verba ex illo refert libro 3. capite 1. aduerſus Petilianum, *ego quando cuique, vel dicendo, vel ſcribendo reſpondeo, etiam contumelioſis criminationibus laceſſitus, quantum mihi Dominus donat, franatis vana indignationis aculeis Auditori Lectorique conſulens, non ago vt efficiar homini conuiciando ſuperior: ſed errorem conuinciendo ſalubrior.* Vtinam Theophile, vt ſtatueras, id tibi ſanctum fuiſſet; ſin pro maledictis maledicta non poteras nobis rependere, quando quidem à te etiam prouocati, ſilentium 30. & vltra annorum pertinaciſſime ſeruauimus: certe non debebas tacitos ac pene mutos, iterum iterumque *laceſſere criminationibus adeo aculeatis*

vt nihil horribilius; adeo asperis, vt nihil atrocius; adeo ab omni veritate alienis, vt nihil ad calumniæ prodigalitatem (hæc tua sunt verba) *desit.* Sed ad disputantem veniamus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Ratio libertatis explicata triplici obseruatione munitur, & inde respondetur generatim ad superiores obiectiones.

AD hæc omnia breui & valide, atque exemplo Augustini modeste, semotâ omni verborum acerbitate responsurus, hinc initium capio: de libertate, sicut de quâlibet re duplicem esse apud Authores differendi rationem, nempe à posteriori & à proprietatibus, vel ab ipsâmet libertatis naturâ, à suis causis velut à priori inuestigandâ. Sed cum à sensibus, seu à rerum sensibilium experimentis, hauriatur qualiscumque nostra cognitio; atque libertatis proprietates (qualem diximus præcipuam, ac penè solam esse indifferentiam) sensibus nostris pateant, occultior verò sit illius essentia; hinc fit plures Philosophos, & scriptores, de libertate disputasse magis, ab eâ quam experimur indifferentiâ absolutâ, quam à ratione essentiali; ad quam non possis nisi longâ & operosâ indagine peruenire. Cum igitur hæc ad libertatis notionem duplex pateat via, vel ab experimentis absolutæ indifferentiæ, vel ab ipsius causis & naturâ; qui primam viam iniuêre, minime damnant alteram: sed aliis terendam relinquunt, eamque nos imus munitum, non pro rei dignitate, sed quantum requirit necessaria defensio ad repellenda tela, quæ nostram de libertate sententiam videntur impetere.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Prima obseruatio ex comparatione libertatis cum ratione, & tres inter illas differentiæ.

NVLLVS nisi omnino rudis Philosophiæ, aut sensus communis expers, negare potest hanc libertatis notionem, ex quâ cætera, quæ nostræ Disputationi sufficiant, sponte consequuntur; eam nempe voluntati eodem loco esse, quo rationem intellectui & menti. Hanc collationem prope infinitis locis vrget Sanctus Doctor: sicut enim ratio non est in totum ipsemet intellectus: sed pars ipsius, nec omnia, aut præcipua mentis munera obit, sed aliqua; nam si vim nominis obseruemus, nihil aliud ratio significat, quàm facultatem cognoscendi discurrentem, quæ proinde longe absit à Deo, & ab Angelis, & propria sit homini, conclusiones ex principiorum assensu deducenti: ita plane libertas, aut liberum arbitrium, voluntatis pars est, non tota essentia: & si sua cuique velis iura seruare, eaque partiri, voluntatis est finem appetere, & consequi, & adepto frui, atque adhærere; libertatis est, ex finis proconcepti appetitu & intentione, media eligere, & se per illa ad finem referre.

Si hæc diuersa voluntatis, & liberi arbitrij iura, atque officia, sicut rationis & intellectus exacte distinxissent Theophilus, & Eugenius, confecta esset hæc controuersia, cuius causâ tot editi sunt libri, nec finis vllus erit scribendi. Id constantissimum apud omnes, etiam pertinacissimos sit, liberum arbitrium esse voluntati, quod menti rationem: eo tamen discrimine quod S. Doctor obseruat 1. p. q. 59. art. 3. ad. 2. rationis & mentis, seu intellectus distinctionem, & nomina atque officia diuersa à Deo, & ab Angelis abigenda, apud nos tantum valere; voluntatis autem & liberi arbitrij vocabula, & varia munera, vbique vsurpanda, & perinde Deo, & Angelis, ac nobis conuenire.

Huius discriminis causam profundissime scrutatur S. Doctor ex diuersa harum facultatum operandi ratione;

nam mens & facultas intelligens res ad se cognoscendas trahit; vnde si illarum species præsto sint, ita comparata est, vt quascumque veritates, & ex illis consecutiones, nullo discursus adiumento, vnico intuitu capiat, & hoc ipsi ad maximum defectum imputandum esset (quo omnino Deum & Angelos carere necesse est) si opus illi esset discursu ad parandam quarumcumque rerum notitiam. Ab illis igitur exulat rationis, id est, facultatis discurrentis vis, & nomen. Sed quæ illis vitio verteretur, præcipuum est notitiæ humanæ præsidium, ratio ab intellectu diuersa, hoc discrimine, quòd intellectus principia per se nota attingat, ratio multiplici actu inde deducat conclusiones. Voluntatis autem & liberi arbitrij nominum, & officiorum distinctio, licet par illi, quæ rationem inter & mentem intercedit, hoc tamen distat, quod sit omnis defectus expers, neque Angelos, neque Deum dedeceat. Nam appetitus, & voluntatis indoles est, affectu ferri in res extra se positas, quarum vitio, non voluntatis imputatur, si ames, vt libuerit, aut etiam odio habeas, quod dignæ non sint, quæ necessario amentur, & interdum etiam odio quàm amore sint digniores.

Hoc primum discrimen nascitur ex duobus aliis, quæ intercedunt conclusiones inter & media; quod illæ propriam, & inde receptam habeant veritatem, à principiis & causis quidem deriuatam, sed cum illis necessario coniunctam: vnde fieri nequit, hanc conclusionum veritatem ignorari, si principia capiantur, & comprehendantur causæ: mediis verò, quâ formalissime media sunt, iuxta probabiliorem sententiam, nulla subest propria & interna bonitas, sed solius ratione finis, & bonitate amantur: eodemque prorsus modo se habent, quo imagines, quas cultu religioso, aut ciuili, prosequimur propter prototypi præstantiam, aut sanctitatem, à quâ veluti ab extrinsecâ formâ afficiuntur, & dignæ fiunt, quas colamus. Sic amputatio alicuius partis corporis, nihil habet boni quo ametur, sed plurimum mali; eligitur tamen ad salutem totius interdum corporis, quod periclitatur, nisi putridum membrum resecetur. Hanc opinionem de mediis internæ bonitatis expertibus, acriter propugnat hic author, bono consilio: nam præter quod probabilissima est, plus cõfert ad affectuum nostrorum pu-

ritatem & sanctimoniam : vt sicut in mediis nihil præter finem, ita nec in creatis quidquam præter Deum amemus: quod summæ perfectionis est, ad quam plurimum hæc opinio conducit. Vnde est excusandus author, si forte egerit paulo acrius in contrariæ sententiæ sectatores.

Et quamuis aliquam mediis bonitatem concedamus cum Thomistarum nonnullis; differt tamen 3. discrimine à conclusionibus, quod non sit cum bonitate finis necessario coniuncta, sicut veritas demonstratur conclusionis cum suis principiis; sed ad summum liberam eum fine cognationem habet, non dissimilem consecutioni, quâ probabiles opiniones ex locis Topicis, seu præmissis verisimilibus Dialectica deducit Huc pertinet distinctio mediorum ab Asturicensi & Nazario tradita, & ab illis accurate explicata Tractatu de libertate Christi, quam mirum in modum illustrant. Quædam inquiunt, sunt media ex rei naturâ ad finem necessaria, & vix ab eius consequutione distincta, qualia sunt erga Deum, & finem vltimum, illi adhærere affectu, obediendi voluntate, adeptione, & voluntate nunquam ab illo seiungi per peccatum, aut damnationem: huiusmodi vnionem & consensum, media vocare licet, quod nos Deo vt vltimo fini, quasi quædam vincula alligent; magis tamen reuera pertinent ad amorem necessarium finis, quam ad libertatis exercitium, situm in vera electione.

Hæc enim est tantum mediorum alterius generis à priore, nempe eorum, quibus cum fine nulla omnino ab essentia, & quasi perpetua connexio intercedit; sed tantum libera, & ad summum accidentaria, & ex aliquâ extrinsecâ positione necessaria: qualis est mors Christi in cruce ex præcepto Patris, pretio sanguinis humanum genus redimentis. Longe enim diuersa est cum fine vltimo, seu cum Deo summe dilecto, & possesso, in cruce moriendi, aut parendi præcepto Patris, & nunquam ab eius voluntate discedendi necessitas Christo imposita: mors Crucis, si propria eius merita attendas, purum medium est, omnis expers bonitatis internæ, nec per se cum salute humani generis connexum, consensio autem cum diuinâ voluntate, & peccati fuga, res sunt cum Deo indiuiduæ, & vt ante dictum est, magis ad finem pertinent quam ad media, de quibus proprie est electio, & liberta-

tis exercitium; Ergo nulla licet Christo & Beato adsit indifferentia ad peccandum, aut dissentiendum Deo, nec dum imperanti, sed etiam consulenti, aut significanti, quid sibi futurum sit acceptius; libera tamen erit mors crucis Christo obeunda ex præcepto.

Sed quî id fieri potest, cum mors iusta obedientiæ si obeatur, peccato, si recusetur, ita sit annexa, vt nulla ratione seiungi possit? Sed in primis hoc qualecumque vinculum mortis in cruce cum obedientiâ, aut peccato, accidentario aduenit, ac proinde rei naturam non mutat; neque ita obedientiam cum morte permiscet, quin mors crucis semper sit medium, id est, electionis materia: ipsa vero obediendi, aut non peccandi voluntas, magis ad finis partes; quam ad genus mediorum pertineat: Ergo integra ad mortem crucis subeundam supereſt libertas, nulla ad peccandum, aut Deo iubenti dissentiendum. Cur ita? Causam iam insinuaui; quod mors medij nullo modo per se, sed ad summum accidentario, & præcepti vinculo cum fine connexi rationem habeat, & seruet: & ita affectus sit animus Christi, & Beati etiam impeccabilis, vt soli fini adhæreat, nullâ vero ratione medio in se, & ex se: immo paratus sit illud deserere, & odisse, si ratio finis exigat.

At inquies, nulla ad hanc mortem crucis præceptam, reliqua est indifferentia: Ergo perit omnino libertas. Distinguo Antecedens: nulla supereſt indifferentia, absoluta & effrenis, concedo, nulla temperata ordine finis, nego. Et præter iam dicta & dicenda, quæ hanc solutionem confirmant, hoc maxime vrget, quod Christus, aut Beatus, non magis à consilio Patris, vel minimo nutu, quàm à præcepto potest recedere; vnde ipse clamat *quæ sunt ei placita facio semper.* Quare qui non aliam voluntatem agnoscunt, præter indifferentiam absolutam, parum res suas promouent; cum præter Sacræ Scripturæ fidem, & contra apertam SS. Patrum mentem, volunt Patrem æternum nihil Filio præcepisse, nisi addant, nihil consuluisse: immo summa cura illi suam voluntatem occultasse, ne eius libertatem omnino perimeret: quia nulla maior subesse poterat in implendis, quæ Pater significasset sibi fore gratiora, quam in iis quæ præcepisset. Quare vt nostro liberatori suam vindicemus libertatem, ad-

mittenda est omnino distinctio mediorum insinuata, & indifferentiæ absolutæ ac temperatæ ordine finis.

Neque ea responsio ad huiusmodi argumenta, differt à communi solutione Thomistarum: nam præter quod, ex Nazario, & Asturciensi hausimus distinctionem mediorum, ad propositum maxime necessariam; cum instant aduersarij nullam inesse Christo indifferentiam, nec proinde libertatem ad mortem iustàm crucis ferendam, aut omittendam, distinguit Aluares, omissionem crucis sumi posse, vt habet rationem priuationis, aut puræ negationis: concedit posse omitti præceptum Negatiue, non Priuatiue, id est, vt cadit sub ordine finis, hoc enim secundum, idem est, quod peccare, & non posse peccare. Hæc responsio cum nostra coincidit, sicut & illa Bannes, & Zumel, qui dicunt Christum posse omittere præceptum Materialiter, non Formaliter, id est, fuisse indifferentem ad rem præceptam secundum se, non reduplicatiue, vt cadit sub præcepto.

Potest explicari hæc solutio, exemplo conclusionis probabilis, quæ à necessariá differt; quod isti intellectus assentiat, tum vt est à præmissis, tum etiam vt in se ipsa, absolute attenditur. Nam qui demonstrationem habet, iudicat rem in se veram esse; conclusioni vero probabili Angelus assentitur, vt habet formam propositionis modalis, & iudicat rem, aut consequentiam, esse euidenter probabilem; non tamen adhæret conclusioni, aut consequenti absolutè, ne se periculo falsitatis implicet.

Ita voluntas recta, & impeccabilis, non vult media necessariò & absolute vt in se sunt (quod vocat Bannes, media, aut rem præceptam Materialiter, Aluares Negatiue, nos absolutè vt in se sumpta.) Sed vult media, seu rem præceptam, Formaliter, Priuatiue; & vt subsunt ordini finis. Et illa necessitas si quæ sit, non est nisi accidentaria, nisi secundum quid: quæ nihil impedit libertatem. Ex his constat, nostram de libertate sententiam, nihil differre à communi doctrina Thomistarum. Sed de hoc argumento plura sect. sequenti.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Aliæ comparationis partes rationis cum libertate.

VT ad noſtra redeamus vnde paulo longius receſſimus, tres differentias annotauimus inter libertatem, ſeu vim electiuam, & rationem, vt eſt facultas diſcurrens; quod hæc propria ſit homini, illa vero nobis ſit cum Deo, & Angelis communis; vnde oritur 2. & 3. differentia, quod concluſionibus ſua inſit veritas, inquiſitione & cognitione digna, & cum principiis neceſſario coniuncta, quibus comprehenſis nequeat latere: media vero propria bonitate careant, & tantum ratione finis amentur, vel ſi quæ illis concedatur bonitas, non ſit tamen fini neceſſariò coniuncta, alias in finis conditionem & ſortem tranſirent.

Hæc de differentiis liberi arbitrij, & rationis: conuenientiæ plures ſunt, & libertati illuſtrandæ aptiores, quarum prima & reliquarum ea eſt origo, nempe finem, aut finis appetitum id eſſe libertati, quod rationi principia, vel principiorum aſſenſum; ac proinde ſicut præmiſſarum aſſenſus eſt cauſa efficiens Phyſice concluſionis, ad quam, ſi euidens ſit, neceſſario determinat etiam quoad exercitium: ita intentio finis electionem, ne dum moraliter, ſed etiam Phyſicè producit. Ex hâc conuenientia infringuntur plures recentiorum obiectiones contra Scholam noſtram, & ea potiſſimum, quâ contendunt Gonzalem, conſtitutâ Præmotione in actibus indeliberatis, vel in intentione finis, quæ ad ſummum non poteſt eſſe niſi moralis motio, recedere à ſententiâ Præmotionis Phyſicæ apud nos recepta: Patet enim hoc argumentum nullum eſſe, ſicut & illud, quod repetit pluries Eugenius contra Gibieuf, eum poſitâ præmotione in intentione finis, *nihil habere commune cum Scholâ noſtrâ, quæ nunquam huiuſmodi Præmotionem admiſit*: id enim falſi conuincitur exemplo Gonzales & plurimum Thomiſtarum Capreoli, Soti, qui diuiſionem gratiæ in operantem & cooperantem, apud diuos Auguſtinum & Thomam frequentem, interpretantur de intentione finis, quæ nos applicat ad perfectam conuerſionem, & electionem, eo prorſus modo, quo

assensus principiorum, intellectum constituit aptum, ad inferendam conclusionem. Sed hæc responsio illustrabitur sequentibus conuenientiis.

Quarum tertia est hæc; finem sicut & principia scientiarum, duobus modis sumi posse, primo absolute, secundo vt continent, aut præhabent conclusionem, & electionem mediorum. Si principia sumantur priori sensu, pertinent ad habitum primorum principiorum; posteriori vero sensu spectant ad scientiam. Ita finis appeti potest vt quid bonum absolute, nullo respectu ad media: vel quatenus de illo consequendo cogitamus, ex efficaci intentione illius potiundi, nos ad mediorum delectum admouemus. Ex hâc conuenientiâ solui possunt plura, quæ obijciunt aduersarij, vt suspecta, aut pugnantia de libertatis notione, quæ totidem modis explicari potest, quot actus, vel habitus demonstrationis. Sicut enim discursum quidam ponunt in præmissarum assensu, vt virtute continet conclusionem, alij in deductione conclusionis ex præmissis; quidam verò vtrâque parte componunt: ita Author de libertate disserit. Vno loco libertatem explicat per amplitudinem status, altero per exercitium electionis, alibi ex vtrâque, tanquam ex partibus componit, re eadem, verbis diuersa est doctrina.

Quarta conuenientia est rationis, & libertatis in fundamento immobili, & actu necessario. Hoc fundamentum de libertate, nempe totam niti aliquo actu naturali, & necessario, sicuti ianuæ motum cardine immobili, D. Thomas probat nouem generibus argumentorum, quæ accurate collegit, & acriter impugnauit Aureolus, & valide defendit Capreolus in 4. distinct. 49. quæst. 3. vt ex illâ disputatione liceat agnoscere, ad commendationem, & gloriam opus esse, acri æmulo aut fido amico: vtrumque sortitus est D. Thomas passim in Capreolo & Aureolo, maxime de hâc controuersiâ, quæ est totius libertatis cardo, eumque ponit S. Doctor in aliquo amore naturali, quo deinde nos ipsos mouemus ad exercitium, & vsum libertatis. Hinc apud illum distinctio voluntatis, vt induit rationem naturæ ad vnum bonum summum & vniuersale determinatæ, vel vt habet rationem liberi ad multa. Hinc etiam expediuntur plures difficultates, & repugnantiæ obiectæ nobis, quasi velimus libertatem stare cum

summâ

ſummâ & abſolutâ neceſſitate. Sed facilis eſt Reſponſio: Aliud de fundamento, aliud de actu libertatis ſentiendum; fundamentum libertatis ſummam exigit neceſſitatem; ſecus eſt de actu & exercitio. Vnde etiam apud Deum, libertas in creaturis producendis, nititur amore neceſſario increatæ bonitatis, cuius communicandæ cauſa fiunt creaturæ.

Hinc etiam exiſtit 5. conuenientia rationis, & libertatis: quod vtriuſque fundamentum ſit à naturâ, ſeu à Deo authore gratiæ & naturæ, qui nos determinat, & agit ad aſſenſum principiorum, & amorem & intentionem vltimi finis, quibus nos ipſos agamus ad reliquos actus vitæ humanæ & Chriſtianæ, eodem prorſus ordine, quo ad motum cordis à generante agimur, & conſtituimur noſtri potentes, vt ad reliquos actus & motus vitales nos agamus. Duplex enim à Philoſophis, maxime à Peripateticis, & Thomiſtis, diſtingui ſolet genus actionum vitalium, quibus licet id commune ſit, elici & prodire actione, à vitali facultate, hoc tamen differunt primi generis actiones, ab aliis ſecundi ordinis, quod ad illas admoueamur, & agamur ab agente immoto, atque ita conſtituti in actu, ad reliquas nos moueamus, & applicemus. Quare ſi priores poſterioribus conferuntur, dicuntur fieri in nobis ſine nobis, aliæ vero nobis iure ſingulari adſcribuntur: quia ad illas nos admouemus cum deliberatione & conſilio. Hinc diſſoluuntur innumeræ obiectiones vtriuſque Authoris contrà noſtram ſententiam, potiſſimum de conuerſione, quæ poteſt attendi, vt gratia operans & cooperans, ſeu vt pura intentio finis, & vt induit rationem electionis: priori acceptione, eſt in nobis, ſine nobis, eſt fundamentum libertatis, ſed caret illius exercitio; quod adiungitur per gratiam cooperantem, per electionem, & per actus, quos elicimus ex intentione finis: ad illos quaſi paſſiue, ad iſtos libere dicimur nos habere: quod ex ſequenti conuenientiâ fiet manifeſtius.

Sexta ergo inter rationem, & libertatem conuenientia eſt quod ad finem vltimum, & ad prima principia, comparemur quaſi ad virtutem ſuperiorem, cui oporteat parere, & ſubijci, & quaſi ab illa pati, magis quam in illam dominari, & agere. Atque ex illâ dependentiâ &

ſubordinatione ad ſummum bonum, naſcitur poteſtas & dominium, & ius imperandi, aut vtendi mediis priuatiſque bonis. Hinc facile eſt defendere multa, quæ reprehenduntur in Authore, qualia ſunt, nos à fine pati, potius quam in illum agere, & dominari; nos ad illum quaſi paſſiue habere; quæ vera ſunt, ſi conferatur ordo ad finem, & ad media: quia illi ſubijci nos oportet, iſtis dominari.

Atque vt primam obſeruationem concludam, & viam parem ad ſecundam; addo hanc ſeptimam conuenientiam, in hoc poſitam; quod ſicut principiis, maxime cum prima ſunt, & immediata, citrà omnem diſcurſum aſſentimur, ex ſolâ terminorum notitiâ, neque de illis vlla dubitatio eſſe poteſt, aut diſceptatio, niſi ex merâ tarditate noſtri ingenij, vel propter ignorantiam, aut proteruiam aliorum, quí certa aút euidentia quæque neſciunt, aut negant: ita de bono, aut fine vltimo vniuerſim, & de ſummo atque increato, nulla deliberatio aut electio, nullus libertatis actus, aut vſus eſſe poteſt, niſi à cœcitate mentis, aut infirmitate animi. Ideo Reſponſione ad priorem librum Theophili obſeruatum eſt, nunquam exerceri libertatem citrà defectum, vel rei quam ſpectat libertas, quæ amore neceſſario adeo non eſt digna, vt prætermitti, aut odio haberi non poſſit, vel ſi obiecto & bono, quod liberum arbitrium exercet, nullus inſit defectus, debet imputari agenti libero, quod interdum ignorantiâ, interdum infirmitate laborat; & ex altero, aut ex vtroque capite, deficit in æſtimando, aut proſequendo, iuxta ſua merita ſummo bono.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Altera obſeruatio de duplici libertate.

HINC ad ſecundam obſeruationem progredimur, quâ Aduerſariorum argumenta infringimus; duplicem eſſe libertatem, aut illius inueſtigandæ duas eſſe methodos, quas hi Authores, quibuſcum diſputamus, cum graui veritatis diſpendio permiſcent; quod nolint aduertere, aut diſſimulent, à nobis inſinuatam libertatis di-

stinctionem; quæ cùm nulla esse possit, nisi aliquis interueniat defectus, vel rei de quâ liber est actus, vel principij à quo elicitur; hinc manifestum est, duplex esse genus libertatis, vnum ex meritis obiecti, cui non debetur necessarius amor; alterum voluntatis vitio, aut si velis infirmitate. Hoc differunt maxime illæ duæ libertatis species, quod prima, quæ est à defectu obiecti, & à voluntatis in illud dominio, sit perfectio quam vocant Theologi, ex Anselmo, simpliciter simplicem, quæ Deo conueniat, quâ denique cuique subiecto potiri præstet, quàm carere; alterius vero speciei libertas, quæ ex ignorantiâ mentis, aut ex infirmitate voluntatis nascitur, longissime abest à primi generis libertate. Licet autem huiusmodi defectus, non tollant funditus libertatis, & meriti aut demeriti vim; mancam tamen efficiunt: neque ad naturam, aut definitionem libertatis pertinent. Dum sumus in mortali corpore quod animam aggrauat, quamdam in amando summo & infinito bono, imperfectam libertatem experimur, quæ non à rei conditione, sed nostro vitio nascitur: quod summum & infinitum bonum, aut nullo modo, aut obscurissime cognoscamus: nec magis vires ad illius amorem, quam ad apertam cognitionem, dum in viâ sumus, nobis sufficiant.

Ex hâc libertatis distinctione, natâ ab obiecti aut principij defectu, patet deceptio Theophili, qui vnam libertatis rationem constituendam vult esse à nostrorum defectuum experimentis. Et quia Author quem defendimus, aliam tentauit viam, & semotis, quibus obnoxij sumus, & libertatem inficimus, vitiis, eius naturam à suis principiis, id est, à naturæ intelligentis præstantiâ, & rerum creatarum, aut mediorum nullâ aut infimâ nobilitate, alte petijt, & germanam & genuinam eius imaginem expressit, inclamat, *commentitiam, hæreticorum erroribus corruptam, Platonis insomnijs conflatam, pigmentis fucatam, denique nihil aliud esse, quàm mendacium, & mysterium iniquitatis.* Sed hâc secundâ obseruatione, & distinctione duplicis libertatis veluti spongiâ delere facile est huiusmodi conuitia.

Fateor *non omnibus datum esse adire Corinthum*, & rerum causas agnoscere, suisque eas metiri principiis. Sed si hanc ad libertatem viam ineamus, & paulatim ab ex-

perimentis, & præiudiciorum præstigiis secedamus, euidentissimum erit, quas libertatis dotes aut partes apponit Theophilus, vt *indifferentiam absolutam ad bonum & malum, libertatem ad finem vltimum,* esse defectus, quibus semotis, nihil pereat veræ libertati, sed longe purior & perfectior euadat. Si experimentis locum demus, vix licebit agnoscere veram libertatis originem & essentiam, quæ reuera nasci non potest, nisi ex præstantiâ naturæ intelligentis, summi & infiniti boni capacis, ac proinde superioris aliis quibuscumque bonis, in quæ habeat dominium, quod digna non sint, quibus subijciatur, aut quæ amet necessario, sed libere si velit, illis vtatur.

Hæc vera est libertatis imago, quæ Deo, Angelis & hominibus conueniat. Quæ vero nascitur ex altero capite, nempe ex principij liberi impotentiâ, & gnorantiâ; licet nullam, nec ausim, nec velim dicere, certe imperfectissima est. Ex hoc quasi bicipiti fonte, haurimus defectum esse libertatis, indifferentiam ad summi boni amorem, quem longe præstaret necessario amari, & deliberationem de vltimo fine, de quo vt de re omnino certâ & iusta, sicut dicebat Sanctus Cyprianus, conueniret nullam esse, & fieri consultationem. Hinc etiam nostro malo bonum vniuersale, & infinitum, atque increatum (quod re vnum est) nempe Deum Optimum Maximum diuidimus in bonum vniuersim, & abstractè, quod satiet appetitum, & bonum concretè, nempe Deum. Quod hæc duo re ipsâ vnum, sic diuidantur, nostræ ignorantiæ & imbecillitatis est, non conditionis, & naturæ summi boni. Hinc fit mentem, & subinde voluntatem, seiuncto bono vniuersali à diuinitate, posse in illud ferri, ista prætermissa. Hinc aliquam experimur, & seruamus libertatem: sed mancam, sed periculosam, quæ nostro malo prona sit, & sufficiat ad peccatum: sed si veris disputare liceat, felicius nobiscum ageretur, si boni vniuersim & increati, perinde apud nos, sicut re ipsa est vnitas indiuidua, ita nec vnum ab altero, etiam cogitatione seiungeremus.

Sed quam votis concipimus, & quæ reuera nostræ naturæ consentanea est, boni vniuersalis, & increati, cognationem, toto suo opere, prosequutus est Author, quem Theophilus, & Eugenius infinitorum errorum reum peragunt, quod attentâ magis naturâ libertatis

quàm corruptelâ, quod boni vniuersalis spectatâ potius vnitate, quam diuisione à nobis ex ignorantia in malum nostrum conficta, originem libertatis repetat à capacitate, quâ voluntas summi, id est, increati boni compos esse potest; progressum ab adhæsione, & adeptione inchoatâ, eiusdem boni, à qua possumus excidere; absolutam vero perfectionem, à consecutione quæ eripi nequeat.

Hi duo Authores existimant, inde à nobis negari vllam peccatoribus inesse libertatem, dum à Deo recedunt, & ipsum abnegant, vel iustis & piis, dum postpositis creaturis, Deum amant, & constituunt sibi vt summum bonum, & vltimum finem. Verum illis prius, vt suo, & Lectoris labori, tot argumentis parum necessariis sibi conscribendis, aliis legendis, nobis vero refellendis parcerent, attendendum fuisset, quod nunc monuimus, Deum dupliciter posse appeti, nempe sub ratione boni, abstracte, aut concretè vniuersalis: in illum ferri peccatores, & aliquâ seruata libertate sub priori respectu; iustos sub posteriori, maxime qui habent adiunctam impeccabilitatem. Hæc igitur sit summa obseruationis secundæ nostræ, quâ plures infringuntur obiectiones, duas esse libertatis, quasi species, & rationes, multis capitibus distinctas; quarum vna sit perfectio simpliciter, altera secundum quid; illa posita sit in dominio supra rem, & ex rei defectu; 2. nascatur ex principio imperfecto, quod ignorantia & infirmitate laborat; illa potentiam peccandi, indifferentiam ad vltimum finem, & de illo deliberationem vix patiatur, certe non co ntineat; ista vero admittat: vnde prior Deo competit, & Beatis, posterior peccatoribus, & imperfectis.

His omnibus duo addo ad solutionem plurium argumentorum: nempe hanc secundam obseruationem reuocari posse ad superiorem, iuxta septimam conuenientiam, cui est addenda octaua insinuata superius; eo libertatem conuenire cum ratione, quod sicut ista nata est deducere conclusiones ex principiis secundum legitimas regulas, non vero illis prætermissis, quod defectui & vitio magis, quàm rationi ascribitur; ita etiam libertatis est eligere iuxta finis ordinem, eiusque defectus est, illum in eligendo ordinem prætergredi. Secundum huic obser-

uationi addendum est, male reprehendi Authorem ab vtroque Scriptore, quod libertatis dominium in res constituat, potius quàm in actus nostros: nam reuera ita est. Res appetimus vt fruamur illis, aut vtamur; vnde ratione rerum, dominium in actus nostros habemus: & hunc ordinem immeritò aduersarij mutant in præposterum. Quare indifferentia in finem vltimum, & quàm experimur in summo bono amando, non est ex vero dominio in rem, nec pertinet ad primam speciem libertatis, quæ est perfectio simpliciter: sed ad alteram, quæ est multis defectibus inuoluta; quos si semoueamus, purior & vegetior euadit libertas.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Obseruatio vltima.

SED inclamant aduersarij hanc libertatis notionem nuperam esse, ignotam Patribus, & Philosophis, inuentum vnius hominis, totius orbis voce damnatum. Ego contra, hâc vltima obseruatione contendo, frequentissimam apud omnes, etiam imperitos: & nullum vitæ humanæ aut scientiæ genus stare posse, nisi eâ œconomiâ vtatur, quam de libertate explicuimus. Nam sibi quælibet scientia, aut professio, vnum obiectum & finem constituit tanquam immotum cardinem, quod ponatur pro confesso & comperto, de quo nefas sit dubitare an existat, & deliberare an illud obiectum, aut bonum amare aut prosequi opporteat, imò summè ametur, nullâ eius affectui aut bonitati præfixâ metâ, nisi quam virium infirmitas apposuerit: atque vbi huiusmodi fini, aut summo bono illius ordinis te subieceris, & adhæseris, necessariâ ad minus dilectione quoad specificationem vt vocant, illius causa reliqua omnia peragas, & illius veluti nomine, tuo imperio subijcias. Illa est veræ libertatis à nobis explicatæ genuina imago, quam omnes vitæ humanæ professores imitantur.

Res exemplis, quàm oratione fiet apertior. Consule Medicos, Magistratus, Artifices, & quoscumque denique, aliquod vitæ humanæ, aut sanctæ genus profess[os];

& omnes ad vnum testabuntur, se eam imitari naturæ aut gratiæ œconomiam, quæ libertatis notione à nobis explicatâ continetur. Et ne per plura excurram, exemplum quo vtitur D. Thomas ad rem nostram sumamus à scientia & arte Medica. Illa sibi obiectum ponit corpus sanabile pro comperto & adeo confesso, vt si quis de illo dubitet, artis medicæ fundamenta conuellat. Sibi etiam pro summo bono valetudinem curandam assumit, illi se subijcit, illam vellet immortalem, nulli morbo obnoxiam, si vires votis sufficerent. Illius causa reliqua molitur, eius affectui, aut incolumitati nullum nisi ex impotentiâ, cæteris omnibus medicamentis, quæ parat, modum imponit, prout ad sanitatem seruandam aut restituendam conducunt. Licet valetudo corporis, ne dum finitis, sed etiam bonis mediocribus annumeretur; vbi tamen eam sibi medicus variis remediis curandam constituit, vt suæ artis finem quasi vltimum, nisi ab officio recedat, nequidem illi dubitare licet, an cura sit habenda valetudinis; sed quid facto opus sit, illius seruandæ causâ: sanitati adhæret vt bono summo, ac necessario, cætera libere eligit, ponit, aut sumit; vnam sine modo, vnice amat, aliis omnibus modum, ex illa quasi ex certâ regulâ adhibet. Eodem ordine reliqui homines res suas peragunt, singuli certum vitæ genus deligunt, finem sibi in illo ordine constituunt, ad quem consequendum, reliqua omnia admouent, trahunt, semouent. Necessaria adhæsio ad bonum constitutum, est veluti ianuæ cardo, quo circumagitur, & ingressum permittit, aut prohibet, domum accedentibus.

Quid noui comminiscimur? Quid monstri ferunt Scholæ nostræ, si totius vitæ humanæ & Christianæ cursum, si libertatem innatam, aut ex gratiâ ascitam, ad illa exempla familiarissima exigamus, & componamus? Hoc nobis tanquam aperta hæresis obijcitur, quod non solum disputare, sed etiam viuere doceamus, quod vitare illorum vitia studeamus, qui vt inquit Seneca *de parte vitæ deliberant, de tota nunquam*: quod hominis, aut Christiani institutionem, his partibus, nempe finis & medij, ad libertatis exercitium eo ordine necessariis, velimus constare, quibus professionum nulla carere potest, nisi funditus euertatur. Hic enim omnibus communis est

finis amor, & ad professionis præstantiam multum refert, hunc amorem prorsus esse necessarium, vnde expeditior & liberior existat, reliquorum vel mediorum delectus & vsus. Hunc ordinem præscribunt homini sapientes quâ ratione regitur, & SS. Patres Christiano, qua Spiritu Dei agitur omnino tenendum, si status libertatis consentanea iura velit seruare.

Quid ergo mali est, si vtriusque naturæ & gratiæ ordinis optemus libertatem perfici, dum vitam humanam & christianam instituimus, eâdem œconomiâ quam quisque hominum seruat, dum suo probe fungitur officio, dum rationi, sapientiæ, legi æternæ, Deo vt vltimo fini, & summo bono adhærere iubemur? Hominem probum & Christianum, sicut medicum tuendæ sanitati, sicut optimum principem tranquillitati publicæ, & saluti subditorum? Atque ex illa adhæsione ad bonum cuiusque summum, quod maxime amatur & necessario, nascitur libertas & imperium in alia, sicut pollicetur Seneca his verbis. *Vis tibi omnia subijcere, subijce te rationi:* & Epicurus *Philosophiæ seruias oportet, vt tibi vera libertas contingat.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Respondetur ad primam partem Theophili de libertate.

VIx quidquam occurrit in bene longo Theophili opere, quod his tribus obseruationibus non diluatur. Sed illarum vim placet experiri hoc Articulo, examine illorum quæ habet totâ Parte priore sui operis.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Ex superioribus obseruationibus refellitur caput secundum.

VBI Theophilus primo Capite totius libertatis progressum iuxta mentem nostram perstrinxit, multis

impugnat notionem eius formalem, & nouitatem illi imponit. *Nescitur*, inquit, *cuius sit hæc libertas*. Sed eius originem à boni vniuersalis, seu abstractè, seu concretè sumpti capacitate, aut adhæsione repetiuimus; quam sine dubio oportet apertissimam esse, quandoquidem eo ingredi, & subire potest bonum vniuersale & infinitum; ex cuius desiderio, aut fruitione, proueniit independentia à bonis finitis, &c. Huic vero libertatis notioni attestatur ratio, eamque confirmant & imitantur, omnia vitæ humanæ & Christianæ officia, & instituta.

Nec valet, quod obiicit Theophilus, omne infinitum fore liberum; neque enim qualiscunque capacitas infinita opportuna est libertati; sed ea tantum, quæ est comparata ad bonum appetendum, & fruendum, & quæ sit vis mouendi ad exercitium, qualis soli voluntati conuenit; ideo illi eximia est libertas.

Sed inquies nulla amplitudo par est potestati ad agendum, & non agendum, in quâ positam volumus libertatem. Bene est; sed omnino manca est illa potestas, si reticeas eius originem à capacitate boni infiniti, vnde independens sit à mediis, & ad illa indifferens. Sicut reuera ianuæ motum in vtrumque latus diminutè explicares, si taceres proficisci à cardine immoto: ita libertatis ex potestate in vtramque partem, tacito fine & bono vniuersali, dares non minus mancam definitionem, quam discursus, si conclusionis deductæ memineris, oblitus præmissarum, vnde infertur.

Hinc etiam secundum conuellitur Argumentum, quod amplitudo sit infinitas quædam, & immensitas ad libertatem inepta. Ita est, si amplitudinem vage sumas; secùs si contrahas ad boni vniuersalis fruendi appetitum, quo fimus Dei & nostri, eiusque fruitione *intramus in gaudium & in potentias Domini*, qui fit omnino noster, & reciproce nos in eius sortem transcribimur: atque ea est vis voluntatis & libertatis.

Hinc facessit in fumum 3. Argumentum, & nostram sententiam corroborat. Diuina libertas nostræ exemplar est, & ex amore Dei necessario nascitur consummata felicitas, expers omnis indigentiæ, ac subinde independentia à quibuscumque bonis creatis; hinc indifferentia ad ea in lucem proferenda, vel intra possibilium ordinem continenda.

Vrget nos Theoph. pagina 50. & quærit, quâ ratione iuxta noſtram ſententiam liberum ſit Deo, ſalvâ immutabilitate, velle, aut nolle mundum condere. Ab illo indiſſolubili nodo me longe facilius, quam ipſe expediam, ex meis principiis, ratione independentiæ ab obiecto, & bono creato, à quo cum nihil, nequidem actus ſpecificationem, ſicut nos ſolemus ab obiectis, Deus deſumat; ſed omnia creaturæ conferat: hinc poteſt immutatus dare eſſe aut negare. Atque ad hanc libertatis independentiam profundiſſimus modernorum Thomiſtarum Ioannes à ſancto Thoma confugit, quaſi ad anchoram, vt è vortice illo emergat, quo omnia ingenia abſorbentur. Neque Theophil. naufragium commune effugiet ſuâ indifferentiâ actiuâ; quia ſimilem concedit voluntati creatæ, quæ tamen immutata, non poteſt idem velle aut nolle. Nos ad independentiam, in quâ volumus, ſitam libertatem, recurrimus; quæ in ſupremo gradu, qualem Dei libertas tenet, eximit à quâcumque obiecti etiam ſpecificantis actum dependentiâ; vnde fit ratione illius independentiæ, eundem Diuinum actum poſſe immutatum, volitionis, aut nolitionis rationem induere.

Ad infringendum quartum Argumentum annoto, quod ſuperioribus & ſequentibus lucem affert maximam; mempe amplitudinis nomen, rebus omnibus mole & virtute ingentibus commune, voluntati propriiſſime conuenire, quod illa maximè grandeſcat, aut minuatur ex obiecti affectu, quo in eius magnitudinem, vel anguſtias tranſit; & omnes denique illius conditiones induit, iuxta illud Auguſtini. *Si terram aut Deum ames, terra, aut Deus eris.* His addo voluntatem in amplitudine aut capacitate conſtitutam, poſſe ad bonum par ſibi, & ſuperius, vel ad impar & minus ferri: Si ad primum conferas, cui nata eſt, & debet ſuam amplitudinem; illi neceſſariò adhæret: quia eius capacitatem quanta eſt implet; illique deuincitur perpetuo, à quo ceſſare nequeat, niſi deſint vires ad perpetuum conatum, vel ignorantia mentem occupet. Si vero bonum ſit minus voluntatis amplitudine, liberè in illud fertur, & tum datur electioni locus. Ergo conuenientiſſimè origo, & eſſentia libertatis explicatur amplitudine voluntatis, comparatæ ad par ſiue infinitum, vel ad impar, & minus bonum; ſeu libertatem alligationi,

seu necessitati opponas : vtramque enim amplitudo excludit, alligationem quidem, quatenus fertur in bonum infinitum, cuius amplitudine gaudet ; necessitatem autem, vt versatur circa bona particularia, & se minora. Et ad finem quidem vltimum semper actiue & vitaliter fertur, ita tamen vt ad amorem eius per se necessariò determinetur, ad minus quoad specificationem ; sicut mens ad principiorum assensum, & viuens ad cordis motum; deinde se ad media & bona creata moueat, vt mens ad conclusionem.

Hinc euanescit Argumentum quartum de amore beatifico, qui merito dicitur actio Dei, sicut motus cordis, & assensus principiorum, est Dei authoris Naturæ. Ille tamen est omninò necessarius ; quia comparatur ad bonum par, imo maius voluntatis sinu quamlibet capaci, & vasto : nec liberum huiusmodi actum dicimus, nisi primo sensu, vt libertas alligationi opponitur, non necessitati, qua ratione generatio Verbi & processio Spiritus Sancti liberæ dicuntur, quia limitationem aut alligationem excludunt, non necessitatem. Hâc distinctione libertatis, oppositæ alligationi seu seruituti, aut necessitati, soluuntur innumera, quæ passim ab vtroque Authore objiciuntur: quibus refellendis nihil est opus immorari.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Refellitur tertium Caput.

NEc minus validè tertium quam superius caput refellitur, explicatâ notione libertatis, & nostris obseruationibus munitâ. Nam damnationi nostræ sententiæ, tanquam nouæ, ab vno singulari authore excogitatæ, quam voce totius vniuersi in nos pronuntiatam comminatur Theophilus, planè intercedit comparatio libertatis cum ratione distinctio duplicis, libertatis, & vsurpatio nostræ ab omnibus vitæ humanæ institutis, quàm frequentiùs à sapientibus & imperitis receptam esse contendo, illâ quam ponit in æquilibrio, in indifferentia absolutâ, in potestate bene aut male agendi.

Initio nostrarum obseruationum monuimus, antiquos

Philosophos SS. Patres, & Theologos, inaccessum libertatis arcanum duplici quasi calle adiuisse; nempe à posteriori & ab experimentis, à priori & à causis. Plures vtrumque iter calcarunt; & qui vni illorum tantum institerunt, certum est, non damnasse illos qui secuti sunt alterum; neque inter se dissensisse, quamuis de libertate diuersa scripserint. Quare ne videar Sanctos Patres & sapientes inter se ad prælium committere, quasi de libertate dissidentes; dico verbis in speciem pugnare, reipsa conuenire: quia pro comperto habebant, libertatis vsum aut exercitium nullum esse, nisi aliquis insit defectus, vel rei de quâ est actus liber, vel à quo elicitur principio, quales sunt omnes qui ex eius ignorantiâ aut infirmitate nascuntur. Et illius generis sunt, quæ Theophilus recenset, quasi libertati essentialia, vt æquilibrium ad bene vel male agendum, indifferentia ad vltimum finem, &c.

Libertas à dominio in objectum, ex eius defectu orta, est vt diximus, perfectio simpliciter simplex, nota à priori, à nobis explicata per causas, & illustrata pluribus exemplis. Libertas nata ex agentis defectu, est perfectio secundum quid: hanc plures Philosophi & Patres explicarunt per æquilibrium, & potentiam indifferentem ad bonum & malum, ad finem & ad media: quia huiusmodi experimentis à posteriori libertatem inuestigabant (& quod maxime obseruandum est) pugnabant aduersus Hæreticos, & Ethnicos, qui sublatâ humanâ libertate, fatum inducebant: & ad conuincendos huiusmodi impios, efficacissimum erat argumentum à posteriori, ab experimento libertatis ad bonum & malum flexibilis, quam euidenter aduersus proteruos & contumaces euincebant: sicut posset quis vim discurrendi ab erroribus & sophismatis, & vitam à morbis confirmare. Efficacissima est hæc comprobatio libertatis ab experimento etiam defectuum qui illi annascuntur & adhærent, sicut ægritudines vitæ, & errores menti ad verum natæ & institutæ.

Cæterum si antiqui Patres, qui ante Pelagium & D. Augustinum scripserunt, hanc à posteriori viam sectati sunt, alteram à priori vix attigerunt, causa in promptu est: quod ortâ Pelagianorum hæresi, non est vltra dubitatum, quod Manichæi & alii hæretici negabant, an esset

vlla libertas; sed quid esset, & quid, gratiæ auxiliis adiuta & destituta posset. Vnde oportuit mutari de libertate disserendi, aut pro libertate pugnandi rationem; & relictis à posteriori, & ab experimento argumentis, quæ contra hæreticos erant efficaciſſima, & in speciem Pelagianis fauebant; opus fuit altius causas libertatis inquirere, & seiungere quæ à seipsa, ex obiecti meritis exigeret, quæ aliunde vitio principij, & eius ignorantia, atque impotentia accreuerant illi. Nos vtramque methodum iniuimus, & constituta distinctione duplicis libertatis, à defectibus rei & principij repetita, Patrum Sententias dissidentes conciliauimus, & cum D. Augustino & D. Thoma, hanc controuersiam (absit verbo inuidia) profundius & accuratus expendimus.

Quare immerito Theophil. pag. 76. obijcit, *nos audaci immutatione nominum, recessisse à SS. Patrum Regulis, & in eorum lapsos errorem, de quibus S. Hilarius dicit, naturas nominibus adimere, quia nomina non possunt auferre naturis.* Dicit *nos oblitos illius quod monet Tertullianus de carne Christi cap. 13. omnia periclitabuntur, aliter accipi, quam sint, si aliter quam sint cognominentur. Fides nominum salus est proprietatum.* Sed immeritò hæc in nos congerit. Quæ enim mihi verba, aut exempla dabit, ita explicandæ, libertati apta, erudita, & paria iis quæ ex D. Thoma desumpsimus? Nam æquilibrium, præter quod est minus illustre exemplum, quam rationis & discursus, quam omnium artium & institutorum vitæ humanæ, quibus libertatis Oeconomiam oculis omnium subiecimus; minus etiam familiare & commodum est, quam portæ circa cardinem immotum sese mouentis exemplum. Æquilibrium magis causæ officit quam prosit. Quis enim vmquam audiuit, actum suæ potentiæ noxam potius asciscere, quam ab illâ perfici & absolui? At si velis totam libertatis vim, in absoluta indifferentia, in æquilibrio positam, non potest negari actu huiusmodi indifferentiam resolui, & auferri, dum in alteram partem deflectitur voluntas. Non improbo æquilibrij comparationem à multis vsurpatam: sed assero minus nostris eruditam & accuratam.

At inquies, aliena est à SS. Patribus, accedit ad errorem hæreticorum nostra de libertate notio. Non recuso,

quamcumque placuerit Theophilo pœnam imponere, si explicatam à nobis libertatem, & in amplitudine positam, diuisio ad par & impar bonorum appetitu, cum independentia ab isto, cum necessaria ad illud tendentiâ, aut adhæsione, monstrauerit ab vllo hæreticorum traditam, & ab Ecclesiâ, vel ab vllo Doctorum damnatam, si Patres Societatis excipiat.

Tantum abest vt Argumentum ab electione, quod vltimum illo cap. objicit, timeamus; quin illud vrgemus maxime; & volumus liberum arbitrium, aliud nihil esse, quam vim eligendi ex ordine finis; sicut ratio est facultas inferendi Conclusionem ex Præmissis. Sed negamus electionis libertatem tolli ex subordinatione ad finem, nisi illud medium sit ex natura rei necessarium, sicut prima obseruatione explicuimus. Cæterum malè nos nouitatis arguunt, cum non minus antiqua, quam arcta, & legitima sit cognatio libertatis cum ratione, cum fine quo fruimur, & cum imperio in media, quibus vtendum est; ab iis enim omnibus existit Notio Libertatis à nobis explicata, quam immeritò dicit à nullo vnquam fuisse excogitatam ante Authorem à se impugnatum.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Radix Libertatis propugnata aduersus quartum & quintum cap.

THEOPHILVS ab Augustino edoctus *compendium esse effodere radicem*; quam de libertate protulimus, *vnaque inde progerminantem formalem libertatem vario argumentorum genere conatur*, vt inquit, *stirpitus euellere:* sed reuera ne quidem minimam eius fibram, aut pilum vellicauit. Nam vt fucum faciat Lectoribus, nostram Sententiam dimidiatam, & ex parte repræsentat, nempe vt hostem feriat quem finxit. Obseruatione nostra secunda conuellimus, quæcumque verbosissimè hoc 4. & 5. cap. scribit: ibi enim annotauimus radicem libertatis, vt communis est ad omnem naturæ intelligentis statum, non esse repositam in actuali subordinatione, & adhæsione ad Deum; sed in appetitu & capacitate summi Boni,

siue abstractè sumas, siue concretè, vt vni Deo competit, cuius compotes simus aut capaces. Si perfecta sit libertas, eligit & finem prosequitur ex aliqua Dei iam amati, & prægustati dulcedine & adeptione: si vero manca sit, & infirma libertas, eius Radix & Origo est à potentia comparata ad summi boni fruitionem, quo vno, cum satiari possit; & illi vni debeat adhærere, quasi sui oblita ab illo recedit, sectatur bona creata, illis capitur, quasi non esset maior, & ad maiora nata.

His quatuor verbis contriuimus, quæ contra libertatis Radicem opponit. Hæc enim est summa Argumentorum, quæ per 16. aut 20. folia prosequitur. Radix vnica libertatis iuxta nostram Sententiam est adhæsio cum Deo, siue Deus super omnia summè dilectus, siue in via, siue in patria. Atqui hoc est absurdum & impium, Ergo, &c. Primam propositionem habet pro confessa: quare totus est in secunda propositione confirmanda, eamque probat his quatuor Argumentis ab absurdo. Si Radix libertatis sit amor Dei super omnia, primò poterit dari Radix libertatis sine formali libertate, si ponamus (quod non potest negari) Deum voluntati se amanti imponere necessitatem, ad res creatas odio vel amore prosequendas. Deinde aliud magis absurdum inde consequitur, nempe dari libertatem formalem ante Radicem: quia amor Dei, qualem experimur & elicimus dum sumus in via, liber est & meritorius: Ergo formalis libertas antecedit Radicem. Immo admittenda omninò est in peccatoribus, & Damnatis, sine vlla Radice libertas; nam alterum istorum omnino asserendum est, vel improbos & Damnatos nullius peccati reos esse, si omnis expertes sint libertatis; vel dum peccant, amorem Dei super omnia elicere, quem volumus vnicam esse Radicem libertatis. His addi potest quartum Argumentum ex 5. cap. si adhæsio cum Deo per summum bonitatis eius amorem, vnica sit Radix libertatis, nulla dabitur, nisi, vt docet Caluinus à gratia & à charitate profecta, à quâ si excidamus, perit omnino liberum arbitrium.

Pertinebat sanè ad curam & ad prudentiam Theophili, vt sapientis architecti, firmius fundamentum suis Argumentis astrueret: omnia enim nituntur prima Propositione, nempe vnicam libertatis Radicem esse subordina-

tionem ad Deum, per amorem super omnia, quam sibi necessario concedendam putat. Sed nos illam pernegamus: iam enim secunda obseruatione diximus, dum in corpore sumus, nos malo nostro diuidere summum bonum vniuersim (quod vocant formale) à summo bono increato, quod vnicum omnium bonorum genus pleniſſime complectitur; ex ea vero distinctione consequitur, nos seruato affectu summi boni formalis vniuersim, deserere, imo & auersari vnicum bonum simpliciſſimum, cui vni fruendo nascimur, quo vno possumus satiari. Si vero ad finem vltimum abstractè, & bonum increatum concretè prosequendum, adeo lata nobis pateat via, quid mirum si experiamur libertatem ad media, nullo ordine seruato, & indifferentiam nullo fræno aut limite coercitam? Quæ sanè non magis ad libertatis essentiam pertinent, quam ipsamet indifferentia ad vltimum finem, quo vno affici eoque determinari præstaret.

Certum ergo sit adhæsionem ad Deum firmam & solidam esse Radicem libertatis, sed non vnicam & solam, quod Theophilus assumit quasi à nobis concessum: cum tamen Radicem libertatis generatim vt communis est ad omnem naturæ intelligentis statum, seu gratiæ, seu peccati, seu fœlicitatis, aut miseriæ consummatæ, ponamus appetitum & boni vniuersim, per modum intentionis finis voluntati impressæ ab authore naturæ & gratiæ, eodem modo quo diximus, ab ipso esse assensum principiorum, & motum cordis, vt ex primis operationibus, nos admoueamus ad alias, quæ inde consequuntur, quales sunt operationes liberæ, bonæ quidem ex appetitu summi boni increati, aut saltem boni honesti; vel malæ ex appetitu boni generatim: vnde prodire possunt peccata nostra, dum sumus in viâ, & Dæmonum, & Damnatorum.

Euerso principio, Argumentorũ Theophili, frustrà cætera videbimur expendere, nihil enim opus est Respondere ad id quod primo loco obijcit; posita adhæsione ad summum bonum, posse Deum cogere voluntatem, seu illi necessitatem imponere, & tunc fore Radicem libertatis sine libertate formali, quod habet pro absurdo. Imprimis possem contendere, an voluntas cogi queat, vel sit necessitatis patiens; id vero quod satis sit ad solutionem Argumenti,

menti. Respondeo repugnare necessitatem voluntati, stante indifferentiâ iudicij, & facultate eligendi, qualis seruatur cum ordo finis, aliquod medium eligi præcipit. Ad aliud absurdum nempè libertatē formalem dari ante eius radicem, respondeo nullum dari actum liberum, quem non præcesserit naturalis, & necessarius; nequidem in Deo, apud quem omnis libertas est ab amore sui necessario: & ideo prius voluntatem agere necesse est vt naturam, quam vt liberam: nec minus repugnat actum liberum sine necessario dari, quam conclusionis assensum sine præmissis, aut ianuæ motum sine immoto cardine, vel gratiam cooperantem sine operante.

Ad 3. Argumentum de peccatoribus, & damnatis iam responsum est, non carere libertate formali, nec eius radice, nempe appetitu summi Boni, & vltimi finis abstractè, ex quo intento, aut concupito ferri, potest in multa illicita specie tenus bona, quæ voluntati deprauatæ lenocinentur. Neque ad huiusce Argumenti solutionem, necesse est disputare, an potentia peccandi sit à Deo, quod cum Vasque asserit & acriter propugnat Theophilus: sed certè multo longius à Deo crediderim semouendam peccati potentiam, quam mortem, cuius se authorem negat, & quam alia huiusmodi mala, vt corruptionem sublunarium rerum, & ferri rubiginem, quorum omnium originem minimè à Deo, sed vel à nihilo, vel ab ipsa materiæ indole repetunt SS. Patres; sed præ omnibus mali culpæ causam (quæ nihil nisi nomine differt, à peccandi potentiâ) à solâ voluntatis è nihilo eductæ origine ac defectu asciscunt. Quâ vero ratione à Deo remoueas culpam, non video, si ab illo contendas esse formaliter peccandi potentiam, ideſt voluntatem quâ defectibilis est.

Sed reuerà simile est prodigio quod subiungit ex Vasque, *potentiam peccandi à Deo esse, secùs vero actus liberos, & morales* (addit Theophilus) *quoscumque actus Vitales*, quod inquit, *huiusmodi actus dicant denominationem à principio intrinseco, non ab extrinseco, sicut potentia peccandi, ex quo esse potest, nempe à Deo; nulla vero ratione actus liberi & vitales* Ita Theophilus, sed haud scio an pejor sit eius assertio, vel probatio. Certè nihil potentia

peccandi vel defectibili, est in rebus creatis deterius, aut propius peccato, cuius est origo, nihil altius & nobilius est actu Vitali libero & morali, quo boni simus & studiosi. Viderit ergo Theophilus an Gloriæ Dei consulat, cum in illum refert potentiam, vel potius impotentiam peccandi, quâ carere est summa fœlicitas & potentia: & ab illo subducit, nobisque in solidum ascribit, actus omnes vitales liberos: quos cum vllâ ratione neget à Deo esse, in nos refundit tanquam in originem boni, & Deo mali potentiam imputat.

Vltimus conatus, quo libertatis radicem extirpare aggreditur, est damnatos & dæmones, obseratâ per obstinationem capacitate summi boni, nihil peccaturos: quod falsum esse censet, & multis probat, ex illo maximè Prophetæ, *superbia eorum qui te oderunt ascendit semper!* imo assentitur illis, qui volunt Dæmones posse moraliter, & studiosè bene agere. De hâc Quæstione multa Theologi, Tractatu de Angelis: Nos vtramque partem probabilem esse censemus, & illam præferimus, quæ noua peccata à Damnatis fieri admittit. Licet enim nihil boni moralis possint elicere, neque omninò à peccatis collectiuè cessare, tamen liberum illis esse potest, à quolibet diuisiuè abstinere: & hoc satis est, vt singuli actus mali sint noua peccata; sicut de venialibus communior est sententia, non posse à nobis omnia collectiuè vitari, nec vllum diuisiuè necessariò, sed liberè admitti.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Vindicatur nostra sententia ab erroris nota aut temeritatis contra Caput 5. 6. & 7. Theophili.

MVltis conatur vterque Author, aliquam erroris aut temeritatis suspicionem nostræ sententiæ inurere, quæ fere omnia nostris obseruationibus diluuntur. Quæ 1. cap. suæ exercitationis vt suspecta arguit Eugenius, non sunt diuersa ab iis, quæ 3. Capitibus citatis congerit Theophilus: Ideo vtrique breuiter satisfiet hoc paragrapho.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3 [106] - 66
PUBLIC

Imprimis argumentum quod vltimo loco attigimus quo Caluinismus impingitur eâdem obseruatione diluitur. Caluinus non aliam agnoscit libertatem quam gratiæ, à quâ vbi excidimus per peccatum, perit liberum arbitrium: Atqui eadem nobis est mens cum Caluino; quandoquidem non aliam damus libertatis radicem, quam amorem Dei super omnia ex charitate. Sed vtraque Argumenti propositio falsa est; nam ex Caluino nunquam fuit sanior libertas, quam stante innocentiâ primi hominis, quam tamen ex Bellarmino Controuersiâ de statu primi hominis, volebat constare integritate naturæ, non donis gratiæ. Sed quidquid sit de mente Caluini, quam nihil moramur; falsa est 2. Propositio: nam ex Authoris, & ex nostrâ sententiâ, licet adhæsio cum Deo perficiat libertatem, non tamen in eâ sola sita est: sed eius origo altiùs repetitur à capacitate summi boni & Dei: per gratiam autem sumus compotes non tantum capaces Dei, donamur Spiritu sancto, & subinde totâ Trinitate fruendâ. Nihil ergo nobis commune cum Caluino.

Non minus est aperta ex eâdem 2. obseruatione, altera calumnia, nempe iuxta nostram sententiam, tolli in totum à libertate potestatem æquilibrem, & in vtramque partem flexibilem. Aliud enim est huiusmodi potentiam auferri omninò, aliud est temperari ex ordine finis, & voluntatis rectitudine, ex quâ si contingat aliquod medium non posse prætermitti, an pereat omnino libertas, an salua sit, nec possit verè illud medium eligi quod aliquam habeat necessitatis speciem, quæ minuat indifferentiam in æquilibrio positam, primum illorum nullus vnquam nostrum dixit; alterum vero contendimus, etiam si tum absoluta & effrenis desit indifferentia, non tamen temperatam desiderari, quæ satis sit ad libertatem. Et in hoc est posita nostra controuersia, de quâ hactenus ne quidem verbum legi apud Theophilum, adeo vbique à nostra disputatione aberrat.

Hinc etiam eluitur 3. macula, nempe cohæsio libertatis cum necessitate: neq; enim animaduertit, quod pluries dictum est, à necessitate esse libertatem vt à suâ origine, sicut à cardine immoto ianuæ lationem, quâ hinc & inde mouetur. Quis enim neget eo liberiorem esse Deum, in-

creaturis amandis aut producendis, quo firmius sibi adhæret & se necessariò amat? Ergo non pugnat, sed optimè conuenit necessitas in radice libertatis, cum ipsa libertate, sicut germen cum suo fructu.

Hinc 4. labes abstergitur, libertati coactionem obesse non necessitatem: id enim de radice libertatis asserimus, non de eius essentiâ & actu. A radice coactionem abigimus non necessitatem, ab actu vtramque semouemus: nam diuinæ etiam libertatis Radix, est amor quo se necessariò amat, sicut & nostræ est finis intentio, aut summi boni concretè vel abstractè sumpti necessarius affectus, saltem quoad specificationem.

5. Huius sententiæ notam quod peccatores fraudemus libertate dum peccant, deleuimus. Id enim omninò falsum est, saltem quando sumus viatores, & apud me etiam peractâ viâ in statu damnatorum.

Postrema quinti Cap. Parte à numer. 12. per 10. paginas ad finem vsque, quasdam labeculas aspergit, quibus notandis totus sit labor, quia referre aut indigitare, refellere est, & delere. Malè illum habet acumen illud, *omni*, inquit, *pistillo retusius*, quo distinguimus quasi diuersa moueri à se ipso, & se mouere, & hoc vltimum Deo competere, cum progreditur ad creaturarum productionem, aut regimen: primum vero illi repugnare, nec cuiquam conuenire à se ipso moueri, & se toto, seu per se 1. quin ab alio moueri oporteat. Et hinc Aristoteles conscendit ad demonstrandam vnius primi motoris omnino immobilis existentiam, quod se moueat, id est, se toto agat & se accingat operi à nullo nequidem à seipso motus; *omnibus enim mobilibus mobilior*, non mutabilior est, Sapientiæ 7. Moueri etiam à seipso est imperfecti, quod ad actum feratur, quo careat: ergo id quod est totum in actu, non potest à se ipso moueri, licet dici possit mouere se. Et hoc vnum vult Auctor, quod est verissimum: gratis igitur illi litem mouent.

Potest etiam hæc calumnia, cum aliis quæ sequuntur, & passim occurrunt apud Eugenium, dilui distinctione insinuatâ actuum vitalium; quorum quidam à nobis fiunt vitaliter agentibus, vt motus cordis, & actus penè indeliberati: alij autem fiunt à nobis nos ipsos mouentibus &

applicantibus, cuius generis sunt omnes actus liberi, & meritorij, quos tamen necesse est, prioris ordinis actus antecedant, sicut præmissarum assensus præit illationi conclusionum. Vnde amor Dei vel vltimi finis, & summi boni, siue abstracte, siue concrete sumpti, duplex est aut in duplici gradu constituitur, vel attendi potest; primo vt habet rationem primi actus & indeliberati, 2. vt aliquid habet admixtum electionis: posteriori respectu meritorius est & liber, secus autem, priori, nec propriè est actus deliberatus & meritorius, sed dicitur fieri in nobis. Hanc distinctionem actuum, non facile infringet Theophilus, nec falsi, multo minus erroris, aut temeritatis arguere potest.

Amorem concupiscentiæ, quo nostrum commodum optamus, & prosequimur, vitiosum dicimus, si propriuni bonum vt finem vltimum positiuè quæramus, prætermisso aut post-posito Diuino: secus si ad Dei bonitatem saltem negatiuè referamus, id est, eo affectu Beatitudinem nostram concupiscamus, quo non subducatur à relatione in Deum vt finem, quod tum fit, cum nullum bonum creatum ita ardenter quærimus, vt diuino nec affectu, nec effectu anteponatur: atque hoc sensu interpretandus est affectus concupiscentiæ, & spei Christianæ actus. Sola Christi sanctitate extrinseca, nos iustos fieri, vt ab vnicâ, aut præcipuâ formâ error est hæreticorum huius temporis: à Christi vero sanctitate, ad nos vt à capite in membra, aliquid deriuari valoris moralis, quo magis simus accepti Deo, & Orationes nostræ sint efficaciores, nullus Catholicorum negarit. Et hoc solum sanctificationis genus admisit Auctor, non excluso, sed adiuncto interno, gratiæ sanctificantis, quæ nobis infusa adhæreat.

Toto capite 6. quam erroris arguerat Theophilus, temeritatis accusat sententiam, iisdem fere Argumentis: in primis damnat quod ab adhæsione ad Deum, libertatem vt à Radice de sumamus; cum ab indifferentiâ iudicij repetant D. Thomas, Ægidius, & alij. Sed iam calumniam deteximus, nos ab adhæsione cum Deo libertatis perfectionem quidem desumere; essentiam vero aut originem, à capacitate boni increati, aut si malueris boni vni-

uersim summi & infiniti; vnde consequitur iudicij indifferentia; quia bona creata aut finita, voluntati ratio proponit tanquam minora suo appetitu, quem nequeunt implere & satiare: ac proinde præstet, illo bono carere quam frui, vti vero liceat si libuerit. Ergo indifferentia iudicij est à summi boni capacitate, cui implendo sunt imparia, quæ proponuntur bona particularia, cum huiusmodi indifferentiâ. Omnem libertatis speciem, seu contrarietatis, seu contradictionis admittimus. Ita tamen, vt eam quæ ad malum perinde atque ad bonum prona & comparata est, minimè sit essentia, aut pars libertatis, sicut etiam nec potentia peccandi.

Putat Theophilus cum graui temeritatis nota immutatum libertatis obiectum; quasi nulla sit ad finem, sed ad media. Hoc commodum habet nostra de libertate Notio, vt omnes aduersarij calumnias, sicut sol tenebras dispellat. Cum libertas sit voluntati, quod ratio seu facultas discurrens menti; certe non minus ad libertatis vsum, & actum præmitti oportet finis intentionem, boni communis appetitum, aut aliquem actum inde liberatum à voluntate vt à natura elicitum, quam ad præmissarum conclusiones assensum, ad actus vitales motum cordis. Quid in hâc comparatione potest mali, aut temeritatis nomine suspectum esse? Verum quidem est (vt eidem exemplo hæreamus) posse finis intentionem, induere modum electionis quodam voluntatis actu in ipsam reflexo, sicut ratio interdum de primis principiis discurrit: sed hæc nihil officiunt his propositionibus generatim verissimis, ad libertatis vsum, finis appetitum, sicut ad conclusiones præmissarum assensum requiri.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Suspecta vindicantur & pugnantia conciliantur ab Eugenio obiecta.

QVÆ Eugenius primo & secundo cap. suæ exercitionis obijcit, vt suspecta erroris, vel vt pugnantia inter se, coincidunt cum iis, quibus respondimus, vel ad controuersias sectione tertia tractandas pertinent. Quare paucis decurremus è suspectis 14. 22. è pugnantibus quæ obijciuntur quorũ facilem solutionem,& concordiã monstrabimus ex nostris obseruationibus earúmque,proinde confirmandæ veritati,nouum experimentum faciemus.

Imprimis nihil verius, & Catholicum magis, iis quæ primo & secundo loco, inter suspecta, & pugnantia apponuntur: nempe intentionem finis, seu amorem boni, & increati boni, dici conuersionem, quæ *fiat in nobis sine nobis*, & quæ locum habeat Præmotionis, *quod apud Thomistas*, inquit, *inauditum est:* quia non esset præmotio nisi moralis, nec distingueretur ab electione & concursu simultaneo.

Hæc omnia sunt occupata obseruatione nostra, primâ maxime conuenientiâ,secunda & quarta,Rationis cum libertate,& hic adhibenda est distinctio actionum vitalium, quæ licet omnes prodeant actiuè, quædam tamen dicantur à nobis fieri sine nobis, non quidem nullo modo operantibus, sed nos ipsos applicantibus. Cuius generis diximus esse motum cordis, assensum præmissarum, & intentionem finis. Harum primi generis operationum vi, & beneficio nos accingimus, & applicamus ad operationes posterioris generis, quales sunt deductio conclusionum, electio mediorum, quæ nedum moraliter, sed etiam Physicè procedunt à superioribus: & ideo possunt ad istas comparari, vt præmotio Physica Dei.

Et hoc sensu diximus diuisionis ex D. Aug. & D. Thoma gratiæ in operantem & cooperantem explicari primam partem à Thomistis plurimis, de intentione finis, & actibus indeliberatis, quorum beneficio nos ipsos agimus: & conuenientissime Præmotio ponitur in

illa intentione finis. Nam cum duæ sint hæ dotes præcipuæ Præmotionis, quod eximia sit primæ causæ & effectrix libertatis, & ad hoc agat, cum summa suauitate, & pari efficaciâ; hæ omnes proprietates mire conueniunt intentioni vltimi finis: nam illa est radix electionis, ac proinde libertatis. Deinde cum principium eo sit altius, quo finis quem respicit est vniuersalior, & vltimus finis omnium sit vniuersalissimus, ad primam causam pertinet illius vltimi finis intentionem immittere.

Nec obest, quod obijcit Eugenius, Præmotionem hoc modo explicatam non fore distinctam realiter à concursu simultaneo: nam præter quod multi Thomistæ hoc concedunt, nec distinguunt hos duos concursus, seu gratiam operantem, & cooperantem, nisi formaliter, eo modo quo creatio & conseruatio distinguuntur: addi potest intentionem finis, seu conuersionem, vt est in nobis sine nobis, distingui saltem modaliter, vt est libera electio, & vt nos semouet à creaturis, quâ explicatione multa suspecta vindicantur, aut pugnantia conciliantur.

Eadem distinctione actuum vitalium, submouetur 5. & 7. suspicio, & repugnantia 13. 21. & 55. Quamuis enim finis intentio cum electione multis conueniat, pluribus tamen differt: & hoc maxime discrimine, quo illi quinque nodi dissoluuntur, nempe quod sit ab authore naturæ, & gratiæ, & à fine, vt à causis superioribus, quibus subijci, & ab illis pati oporteat: electio autem sit à nobis ex imperio in media. Hinc fit, vt si intentionem electioni conferas, voluntas magis passiuè dicatur se habere, quam actiuè ad intentionem: & hoc sensu explicamus primam propositionem suspectam; voluntas non est causa libera, imò nec efficiens intentionis; & septima voluntas intentionem non facit, sed recipit: quia pertinet ad primum genus operationum vitalium, ad quas nos passiuè habemus, si conferantur ad actiones secundi generis, quo sensu Aristoteles dicit cognitionem per sensum, aut per intellectum, comparatam ad actionem appetitus, & potentiæ loco motiuæ, esse quoddam pati: quia nihil cognosci potest, nisi receptis ab obiecto cognoscendo, speciebus

Eodem sensu est explicanda propositio 17. inter pugnantes. Deus nos ad intentionem mouet, non autem ipsi nos;

quia licet actiuè à nobis prodeat, ſicut motus cordis: non tamen ad illam nos applicamus liberè, aut deliberatè, ſicut ad electionem. Idem eſt ſenſus propoſitionis vigeſimæ primæ, hominem per intentionem finis, mouere ſeipſum vt recipientem: eadem interpretatio poteſt adhiberi aliis propoſitionibus.

Ad eundem ſenſum eſt reuocanda inter ſuſpectas Propoſitio ſexta, hominem mereri, eo actu nempe intentionis, cuius non eſt cauſa libera, & quem recipit tantum, vt habet ſeptima Propoſitio. Conciliari autem poteſt Propoſitio inter pugnantes 12. & 15. Nam intentio finis bifariam ſumi poteſt, ſicut præmiſſæ, vt dictum eſt tertiâ conuenientiâ rationis cum libertate; primo vt eſt purè actus in nobis ſine nobis, ſecundo vt eſt origo libertatis & electionis, ac ſubinde meriti: primo ſenſu non eſt meritorius, ſed ſecundo. Quid magis Catholicum hâc interpretatione, quæ poteſt ad alias propoſitiones adhiberi? Eâdem diſtinctione actuum, adiunctâ alterâ libertatis explicatâ noſtrâ ſecunda obſeruatione, deffendi poſſunt inter ſuſpectas Propoſitiones tertia & quarta, & inter pugnantes multæ conciliari, quibus dominium libertatis dicitur eſſe in actus ratione rerum, non in res ratione actuum.

Hoc enim diximus differre intentionem ab electione, quod illa reſpiciat finem, cui nos ſubijci, non dominari oporteat; iſta vero ſpectet ad media, quibus imperandi, & vtendi ius habeat: vnde dictum eſt illa obſeruatione ſecunda Dominium libertatis in actus, oriri à Dominio in res, in quas propriè exercetur, & inde proficiſcitur ius & poteſtas in actus. Ideo propriiſſime dictum eſt Propoſitione tertia non debere tribui libero arbitrio dominium actuum ſuorum, ſcilicet ratione ſui, ſed ratione obiecti. Et eodem ſenſu dictum eſt Propoſitione quarta, non pertinere ad libertatem ſimpliciter dominium actuum, qui directè in Deum tendunt: aliàs haberetur verum dominium in Deum. Hinc etiam conciliatur Propoſitio inter pugnantes ſeptima, nos non alligari operationibus noſtris, ſed rebus: & octaua hominem non eſſe propriè ſui, ſed aliorum Dominum, nempe quibus vti poteſt & dominari. Vide obſeruationem ſecundam, à quâ hæc omnia lucem maximam accipiunt.

PARAGRAPVS SEXTVS.

Superiorum prosequutio.

EADEM comparatione libertatis cum ratione, maximè septimâ conuenientiâ, deffenduntur 8. 9. 10. 11. & 12. Propositiones inter suspectas, & inter pugnantes 11. & 12. Eâ enim obseruatione, & conuenientia annotauimus, quod sicut de principiis per se notis, nulla propriè demonstratio esse potest, maxime à priori, ea tamen aliquando nitimur Argumentis confirmare, nostræ ignorantiæ aut eorum quibuscum agimus, tarditatis aut proteruiæ causa: ita de fine in quocumque ordine vltimus sit, nulla consultatio aut deliberatio, nec subinde electio, aut libertas; vt est perfectio simpliciter simplex, admitti potest nisi per accidens, ex ignorantia & impotentiâ.

Et hoc euidentibus exemplis ex tertia nostra obseruatione confirmat Author: neque enim licet Medico dubitare, an sanitas corporis sit aliquod genus boni; hoc enim pro confesso, & pro comperto ponit: neque etiam illi fas est deliberare, an sit curanda, & quo gradu, aut perfectionis modo sit expetenda, aut conferenda ægro. Vbi enim ista in dubitationem & consultationem reuocat; personam exuit Medici, & omninò alienam ab illa assumit. Hoc vnum illi licet inquirere & statuere, quibus remediis salutem restituat, aut quibus præsidiis seruet. Non putat Author iustius homini, aut Christiano magis concessum de vltimo fine, de Deo vt summo bono amando & prosequendo, quam medico quatenus est medicus, de sanitate tuendâ dubitare & deliberare: sed totum consultationis & libertatis negotium reuocandum esse ad mediorum delectum, quibus Deo obsequamur, potiamur, & placeamus, & si quæ sit de summo bono, & vltimo fine, & Deo, cui vtrumque eximium est, colendo & adhærendo strictè sumpta deliberatio, & consultatio, exuendam hominis aut Christiani personam, sicut Medici, cum amorem sanitatis inter indifferentia reponit: vel hanc inquisitionem non habere strictam rationem electionis; neque posse excusari, aut defendi huiusmodi consultatio-

nem, vel ab amore summi boni cessationem, & otium, nisi à nostrâ ignorantia, & infirmitate; vnde oritur aliqua libertatis species; quâ melius est carere, quam potiri.

Hanc Doctrinam complectuntur quinque Propositiones assignatæ, quas Eugenius reponit inter suspectas, & repugnantes; at ego nihil illis video magis pium, & Christianum, & ne dicam solum sanctitati, sed etiam rationi, Philosophiæ, imò omnium hominum, etiam imperitorum sensui consentaneum. Quare de fine deliberatio & consultatio esse nequit nisi accidentario, ex duplici capite, vnde aliqua potest esse principiorum conclusionis probatio.

Verum quidem est, si nec finis sit vltimus, sed intermedius, qualis est artis medicæ, & cuiuslibet instituti, cuius finis subordinatur Deo vt hominis & Christiani vltimo fini; sicut principia, quæ non sunt immediata, probari posse ex superioribus, à quibus deriuantur: si vero sint prima & per se nota, & si vltimus sit finis, tum certè neque probationi, neque consultationi locus est, à rei vt dicitur natura, sed quid simile demonstrationi, aut consultationi admitti potest, aut tentari, si principia immediata, & finis vltimus confusè cognoscantur, & ignorantiæ infirmitas accedat, quæ finem vltimum etiam notum prohibet perpetuò prosequi & amare: tum enim sine dubio ignorantiæ & infirmitatis habenda est ratio; & excusandus est ille, qui intermittit finis amorem & prosequutionem. Numquam tamen nobis licet ita præpostere agere, vt bonum nostrum constituamus loco vltimi finis positiue, & Deum quem eligimus amandum, eo referamus, vt medium aliquod, aut finem, quem vocamus intermedium. Et ille est sensus 5. & 9. Propositionum, quas immerito suspectas habet Eugenius.

Vt plures alias vindicemus à suspicione erroris, vel dissonantiæ, recolendum est ex superioribus, libertatem in amplitudine positam, non quâcumque, sed appetitus eliciti, qui duce cognitione, fertur in bonum iuxta merita sua prosequendum, & amandum; necessario, si æquale sit, aut majus sinu voluntatis, & illi implendæ par; libere, si minus sit & impar. Respectus ad bonum par aut superius, constituit statum libertatis oppositæ limitationi &

alligationi; cui tamen bene conueniat cum neceſſitate; & immutabilitate: alter reſpectus ad bonum impar, facit libertatem exercitij oppoſitam neceſſitati. Prima libertas ſtatus, radix eſt & fundamentum ſecundæ libertatis exercitij: & quo illa eſt firmior, & magis neceſſaria, eo iſta eſt expeditior, & magis independens.

Ex iis facile eſt in bonum ſenſum trahere, quod inter ſuſpecta ponitur num. 16. Generationem Filij eſſe exemplum, quo monſtrari poſſit, neceſſitatem infallibilitatis aptari ad liberum arbitrium, ſine libertatis diſpendio. Nam libertas exercitij, cuius diſpendium volumus vitare, oritur à neceſſariâ, & immutabili adhæſione, ad ſummum bonum, per cognitionem, quâ Verbum in Diuinis generatur, & per dilectionem, quâ procedit Spiritus Sanctus. Atque hæ proceſſiones dici poſſunt liberæ libertate ſtatus, oppoſitâ limitationi & alligationi: quia vtraque in cognoſcendo & amando, ſummam habet amplitudinem & neceſſitatem; idque ſine diſpendio libertatis exercitij, vt opponitur neceſſitati; quandoquidem eſt illius radix & fundamentum. Hoc ſenſu explicata Propoſitio 16. nihil habet ſuſpecti: ſicut nec ſecunda quâ aſſeritur, cauſæ liberæ creatæ conuenire immobilitatem aliquam, reſpectu boni ſummi & increati, cum quo habet cognationem, vel eius potiundi capacitatem, independenter à Diuinâ motione.

Sed hâc vnâ amplitudinis explicatione conciliantur plures quæ videntur, Eugenio inter ſe pugnare propoſitiones. Et primò quidem ea quæ reponitur tertio loco, amplitudinem libertatis eſſe ex adhæſione ad Deum, & tamen requiri ad malum meritum. Supra enim diſtinximus voluntatem comparatam ad ſummum bonum abſtractè, & concretè, vt ineſt Deo: prima capacitas requiritur, & ſufficit ad peccatum; ſecunda illud excludit.

Hinc etiam expeditur repugnantia ſecundæ Propoſitionis, qua videtur negari, & aſſeri Beatis Libertas; vtrumque enim verum eſt diuerſo ſenſu. Amor beatificus vt fertur in Deum, liber eſt libertate ſtatus, oppoſitâ alligationi; quia tranſit in Dei immenſitatem: vt fertur in creaturas, eſt liber libertate exercitij oppoſita neceſſitati.

Hinc etiam conciliatur ſexta Propoſitio, libertatem eſſe

coniunctam cum immutabili necessitate, & esse distinctam à libertate exercitij, eâque superiorem, quandoquidem est illius origo.

Hinc etiam facile est defendere nonam Propositionem, voluntatem non patere latius quam libertatem, si vtramque iungas, nempe exercitij & status: & quælibet illarum potest suo modo diuidi, in libertatem contradictionis, quæ tamen magis propria est libertatis exercitij, atque hinc habetur concordia 10. Propositionis.

Hinc etiam resoluitur Propositio 47. intentio enim finis supponit voluntatem capacem boni paris & minoris, & illud amat necessariò, ad istud vero indifferens est, & se determinat vt ad medium, per quod finem consequatur. Quare determinatio non est propriè ad media, sed ad finem per media assequendum. Nam licet finis necessariò ametur, vt est in se, libere tamen in illum ferimur, vt est per hoc, aut illud medium consequendus. Et ille est sensus 47. Propositionis, quæ nihil repugnans habet, sicut nec Propositio 59. quâ dicitur liberum opponi alligato, non cuicumque, sed alligato ad bonum aliquod particulare & limitatum. Nam adhæsio ad finem vltimum, & bonum infinitum, constituit illud genus liberi oppositi alligato, quia transfert voluntatem in amplitudinem boni infiniti, cui nos alligat & subijcit.

Eâdem obseruatione facilè conciliatur contradictio vltimæ Propositionis, quâ Deus dicitur liber in processionibus æterni Filij & Spiritus Sancti, & tamen dici nequit Pater æternus liberè se communicare Filio: quia libertas prima parte Propositionis opponitur alligato, seu limitato, & secunda opponitur necessario; Processiones autem Diuinæ necessariæ sunt, & tamen non sunt limitatæ, sed infinitæ, vndè verum est liberas esse processiones, nec tamen liberè fieri.

ARTICVLVS QVINTVS.

Defensio rationum pro nostra sententia, aduersus Caput 7. & 4 sequentia Theophili, & aduersus Caput 3. exercitationis Eugenij.

THeophilus latè expendit & refellit à cap. 10. ad 11. vsque primæ partis, & Eugenius cap. 3. suæ exercitationis, Argumenta quibus nostra de libertate sententia munitur; quæ nos paucis & validè sumus defensuri, potissimum illa quæ à Scripturâ & SS. Patribus repetuntur.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Explicatio libertatis constituta, Scripturæ & Patribus consentanea.

ET sane immeritò vterque Scriptor temeritatis, erroris, & omnium male sanæ doctrinæ vitiorum, accusat nostram sententiam, quæ ad minùs id habet commodi, quod Scripturæ verbis omninò consentanea sit, eaq; ad litteram facili, & obuio sensu interpretetur, nulla adhibitâ metaphorâ: quo aduersarij confugiunt solo priuatæ sententiæ præiudicio. Vnde Argumentum assumimus ineluctabile pro nostrâ sententiâ, quod in illos hâc formâ instruo.

Id de libertate sentiendum est, quo semel constituto, salua sunt, & consentiunt quæcumque Philosophi ratione naturali inuestigarunt, & SS. Patres ex Scripturâ hausserunt, de naturâ, & proprietatibus libertatis: Atqui notio libertatis à nobis subiecta, fidem cum ratione, SS. Patres cum Philosophis conciliat, sensum literalem seruat locorum Scripturæ, quæ libertatis nomen præferunt, qualia sunt 2. Corinth. 3. *Vbi Spiritus, ibi libertas*, & Ioan. 8. *Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis*: Ergo probanda est, & ab omnibus admittenda, maxime ab interpretibus Scripturæ sacræ, quibus ea regula præcipua est, vt significationem propriam, & vim verborum ser-

rent, maximè si ita SS. Patres explicauerint, nec aliquod absurdum inde sequatur.

Quare controuersia cum Aduersariis in hoc posita est, an his locis adhibenda sit metaphora, vel retinenda proprietas libertatis, cum agitur de libertate gratiæ à peccato, & gloriæ à miseriâ. Theophilus, & Eugenius contendunt libertatem à peccato, & à miseriâ, metaphoricam esse, nec dari veram, nisi libertatem naturæ à necessitate, quam ponunt in indifferentia absolutè, siue ad finem, siue ad media, siue ad bonum, siue ad malum, quæ nequeat tolli, aut minui, citra dispendium libertatis. Quare hæ tres libertates conueniunt tantum nomine tenus, reipsâ diuersissimæ sunt, etiam genere. Nos contra asserimus differre, vel sub vno genere, sicut species perfectæ ab imperfectis, vt v. g. sapientia à scientiâ, quod illa sit cognitio rerum per altissimas causas, ista vero sit per quascumque etiam infimas: vel distinguuntur sub vnâ specie secundum gradus inæquales, & diuersos perfectionis modos; sicut homo, dum puer est, differt à seipso adolescente, & ætatis virilis. Nostra autem sententia sic explicata potest validè confirmari ex superioribus, maximè, ex obseruatione secundâ.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Libertatem à necessitate, à peccato, à miseriâ, triplicem esse veræ libertatis speciem probatur.

LIbertas naturæ secundum se, est initium libertatis ortæ à capacitate summi boni, abstractè vel concretè amati: libertas autem gratiæ à peccato, est eiusdem libertatis progressus, ex amore summi boni, non abstractè, sed concretè sumpti, vt determinatur ad bonum increatum, cuius amore, & fruitione imperfectâ perficitur, & impletur capacitas voluntatis: per libertatem tandem gloriæ ab omni malo, & miseriâ, consummatur & absoluitur capacitas voluntatis: Atqui huiusmodi progressus & differentiæ pertinent ad eandem notionem libertatis, vel tanquam species sub genere, vel tanquam gradus inæquales eiusdem speciei; Ergo omnes illæ differentiæ

libertatis, propriæ & veræ sunt, sine vlla Metaphorâ.

Confirmatur, libertas eadem est cum solo incremento perfectionis, si ex iis quæ illi adueniunt, transeat à libertate secundum quid, ad libertatem simpliciter, id est, si minuat, aut omninò tollat defectus principij elicientis actus liberos, id est, infirmitatem & ignorantiam, & confirmet libertatem, quæ nascitur ex perfectione voluntatis, ex dominio illius in obiecta positam; quibus sublatis defectibus perficitur vera libertas: Atqui ita se habet, quod libertas gratiæ, & gloriæ, addit libertati naturæ: Ergo vtraque pertinet ad idem genus, vel ad eandem speciem veræ libertatis naturalis. Maior euidens est, Minor etiam facilè probatur ex eâdem obseruatione secunda: quia gratia & gloria nos intimè vniunt, & alligant Deo vltimo fini & summo bono, & ex illâ adhæsione, quo firmior est, & magis necessaria, existit perfectius dominium, maior independentia: Ergo etiam verior & perfectior est libertas circa cætera quæcumque bona.

Hanc demonstrationem confirmant testimonia expressa SS. Patrum, præcipuè Augustini, Anselmi, & illorum, qui post hæresim Pelagianam, aut contra illam scripserunt. Multa referri possunt ex Augustino; sed apertiora sunt duo loca, primus Epistola 89. vbi asserit *voluntatem esse liberam, quia sana; & eo saniorem esse, quò est diuina gratia subiectior.* 2. Locus est de correptione & gratia cap. 11. vbi gradus libertatis metitur per recessum à peccato, & primam libertatem ponit posse non peccare, quâ fruebatur primus homo, & quâ modo caremus; qui ad minus, non possumus peccata venialia vitare: & ideo vocat Author libertatem primi hominis puram, quia erat immunis ab omni necessitate peccandi, vel à propensione ad peccatum: quæ cum nobis insit post naturæ corruptelam, dicimur habere libertatem quodammodo impuram. Quâ explicatione conciliare est facile Propositiones 33. & 34. inter repugnantes.

Augustino adiungere possumus Anselmum, eius imitatorem vbique, & maxime definitione libertatis, quam his verbis subiicit cap. 13. Dialogi de libero arbitrio: est *potestas seruandi rectitudinem voluntatis, propter ipsam rectitudinem; & rectam esse ait hanc definitionem*, ideſt, vt inquit,

vt inquit, *adæquatam rei definitæ*, ita declarat. Potestas est genus libertatis, differentia est *seruandi*, quâ distinguitur à potestate videndi, & ambulandi, & *rectitudine* discernimus libertatem à potestate seruandi aurum, & quidquid non est rectitudo: per additamentum voluntatis segregatur à potestate seruandi rectitudinem aliarum rerum, vt virgæ aut opinionis. Per hoc autem quod additur propter rectitudinem ipsam, diuiditur à potestate seruandi rectitudinem voluntatis propter pecunias, aut quodlibet aliud, vel ex naturali impetu, vt cum canis amat suos catulos, aut dominum qui se alit.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Duplex SS. Patrum interpretatio refellitur & tertia statuitur.

HIs & similibus Patrum locis tres possunt adhiberi interpretationes, duæ extremæ, & paris, vt censeo, falsitatis, & forte periculi, postrema media, & tuta, cui adhæremus, eaque conciliamus dissidentes in speciem Patrum de libertate sententias. Nonnulli sic explicant D. Augustinum, quasi vnam libertatem agnoscat à gratiâ, & à rectitudine, à quâ quisquis exciderit, expers sit liberi arbitrii. Huic interpretationi videtur Caluinus adhærere, & quod est pejus, nonnulli Catholicorum qui hunc sensum damnant, censent in illum inclinasse D. Augustinum, quibus Eugenius cap. 3. §. 7. annumerat Caietanum 1. parte quæst. 70. art. 3. vbi ne verbum quidem de libertate, sed eo Articulo disputat D. Thom. an Cœli sint animati. Vbique Theophilus falsò nobis hunc sẽsum affingit; quasi negemus habere peccatores quidquam libertatis, quod istâ careant gratiæ: quare ille censet illis locis, quibus D. Aug. de viribus liberi arbitrij contra Pelagianos disputat (& hæc est altera explicatio) agere de libertate metaphoricâ, quod nullâ ratione dici potest, nisi velit D. Augustinum controuersiam grauissimam ad quæstionem nominum reuocasse, & præuaricatum fuisse causæ Dei & Ecclesiæ, & victoriam vltro hæreticis concessisse. Vnde hæc responsio displicet Eugenio.

Quare, si de verâ libertate agant illi Patres, necessariò admittenda est nostra interpretatio, quâ illos sic explicamus, vt libertatem gratiæ & gloriæ, seu rectitudinis, quæ ex adhæsione ad Deum, vt summum bonum, & vltimum finem, inchoata per gratiam, aut consummata per gloriam existit; præcipuam esse, non solam speciem libertatis, etiam à necessitate, aut perfectissimum eius gradum. Quid enim magis libertatem refipit, aut eius propriam rationem seruat, quam id à quo absoluitur, & in nobiliorem libertatis speciem, aut modum transit, nempe in libertatem, quæ sit perfectio simpliciter simplex, semotis omnibus principiis & defectibus, quæ nihil ad libertatem pertinent? Nam sicut supra pluries dictum est, adhæsio ad finem, quo arctior est, aut magis necessaria, eò liberiorem facit libertatis progressum, sicut ianua faciliori negotio, & minori strepitu, in vtramque partem voluitur circa cardinem immotum, & oleo delibutum.

Atque hâc nostrâ interpretatione conciliamus Patres qui contra Manichæos, & contra Pelagianos scripserunt; quibus iuxta aduersariorum mores, & errores, mutandum fuit pugnæ genus. Contra Manichæos qui in totum liberum arbitrium tollebant, vrgent SS. Patres libertatem à posteriori, ab experimentis indifferentiæ absolutæ notam, & flexibilis in bonum & malum: contra Pelagianos vero, qui plus æquo liberum arbitrium attollebant, D. Aug. & alij Patres alia argumenta expediunt, repetita à causis libertatis, ab adhæsione ad finem per gratiam, & gloriam. Consentiunt ergo SS. Patres, si libertatem Naturæ, gratiæ, & gloriæ gradibus distinguamus; sicut hominem differentijs ætatis.

Quare Theophilus immeritò pag. 187. arguit contra nos nullam fore libertatem naturæ, aut peccatoris, si libertas gratiæ, & gloriæ, sit vera species, non metaphorica libertatis: neque enim magis valet Argumentatio, quam si quis contendat hominem ætate virili, aut adulta, non esse nisi metaphoricè hominem, si puer, aut adolescens sit verus homo: quasi semotis pueritiæ defectibus pereat natura hominis. Nullum ergo est periculum ne pereat libertas; si eius defectus quos à sui principij ignorantiâ, aut infirmitate habet, minuantur, aut omninò semoueantur per statum gloriæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3 [122] - 82
PUBLIC

Non censeo terendum tempus, aut defatigandum Lectorem examine noni, & 10. Capitis, quibus fuse respondet Theophilus Argumentis pro nostra libertate. Quia nihil habet singulare, quod nostris obseruationibus non infringatur. Deinde sententiam Auctoris defendo, quatenus mecum conuenit, non singula eius Argumenta; nisi forte illa, quæ à nostris parum, aut nihil differunt: quale est 2. capitis noni de triplici libertate naturæ, gratiæ, & gloriæ, sub vno genere, vel sub vnâ specie gradibus distincta.

3. De libertate Beatorum planè succumbit, eiusque solutio plura habet vitia quàm verba. Nam præter quod negat contra mentem D. Augustini, libertatem à peccato, & à miseriâ per gratiam, & gloriam, esse veram speciem, aut perfectionem libertatis, quæ est principium meriti; sibi manifestè contradicit: admittit libertatem Beatorum versari tantùm circa ea, de quibus Deus nihil illis præscribit: & deinde subiungit hæc verba; *ea verè est magna & summa in eis perfectio libertatis, quod semper libertas eorum iuxta Diuinas sanctiones exerceatur, nec vnquam à signato diuinitus tramite exorbitet* Quis hæc duo conciliet? nulla inest libertas Beatis, nisi circa ea, de quibus nihil illis Deus præscribit; & summa est eorum libertas à signato tramite diuinitus, nunquam exorbitare. Pluries Theophilus Aduersario inconstantiam dictorum, & pugnantiam improperat: sed qui in alieno oculo festucam videt, trabem in suo non sentit, aut dissimulat. Reliquâ parte eiusdem Capitis, responsione ad 4. & ad 6. rationem, vexat Authorem nostrum, quod dixerit, nullam esse legitimam consultationem de Deo amando, nec veram libertatem in eo eligendo, aliaque id genus, quæ ex parte defendimus Paragr. superiori, adhibita nostrâ 3. obseruatione: aliqua addemus paragr. vltimo.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Defenditur Platonismus Auctoris, & aliqua explicantur Platonicè dicta.

PLatonismus passim Auctori à Theophilo & Eugenio obiicitur, tanquam manifesta & grauis rerum Theo-

logicarum corruptela; quod non facile conceſſerim, licet ea diſſerendi ratio longe abſit à receptâ in Scholis, quæ Ariſtotelem diſcipulum Platoni Magiſtro anteponunt.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Platonis cum Ariſtotele & Socrate Collatio.

DE vtrâque ſcribendi, & docendi methodo multa egregia habet Picolominæus: & adeo à Platonis imitatione, aut Philoſophandi methodo damnanda abhorret; vt illam ad minus æquet Ariſtotelicæ. Vnde non conſequitur, quod videntur Theophilus, & Eugenius pro confeſſo ponere; ſi quid Platonis ſtylum ex libro Authoris reſipiat, perperam dici, & ſubinde explodendum eſſe, aut ridendum. Durior ſanè eſt hæc cenſura; nec magis æqua, quam ſi quis Barbarus, & antiquæ, & hodiernæ ſimplicitati Scholarum aſſuetus, exquiſitiorem in ipſomet Theophilo, & Eugenio ſermonis quam curant elegantiam damnaret, quaſi rerum Diuinarum ſacrilegam tractationem. Æquitatis ſanè horum cenſorum fuerat, cuiuſque ſcriptoris arbitrio permittere, quem ex Antiquis mallent imitari: & ſummæ moroſitatis eſt, aliis negare, quem tibi vindices ſtylum, quo etiam certus ſum te gloriari: niſi forte velis alios ſitu Scholarum ſordeſcere, te vero illarum ſentes verborum lenociniis, vt ipſe loqueris, amœnare.

Sed quidquid ſit, iniquior eſt Platoniſmi accuſatio; quaſi quoddam ſit piaculum Platonem Chriſtianum facere, ſicut D. Thomas exhibuit nobis Ariſtotelem, vel in ſe ita mutauit, vt vir quidam dignitate illuſtris, & Apoſtolico in concionando munere illuſtrior Thomam baptiſatum Ariſtotelem vocaret. Feliciſſimè nobiſcum ageretur, & Philoſophiæ Chriſtianæ maximum decus adderetur ex illâ Platonis imitatione, quale forſan optare magis liceat quam ſperare. Nam ſi Platoniſmum magis per ſe ſpectemus, quam quod de illo ſtatuitur ex vulgari & falſa modernorum opinione, nihil ſanè ad ſtudium & progreſſum vitæ Chriſtianæ conducibilius excogitari poteſt illâ, res diuinas tractandi à Platone vſurpata methodo:

vt demonstrare facile est ex D. Bonauentura, qui vt alio loco à nobis obseruatum est, docet hominem Deo triplici facultate instructum, mente scilicet, quæ vni veritati inquirendæ & cognoscendæ attendat; irascibili appetitu, qui impedimenta ad vitam probè instituendam virtute perrumpat; concupiscibili, qui terrenis abdicatis totus diuinis afficiatur & adhæreat. Aristoteles cum Peripateticis mentem veritatis inquisitione excolendam suscepit: Socrates cum Stoïcis, & Cynicis, abiecto sciendi studio, vnam virtutis moralis, appetitus irascibili regendi, & vitæ studiosæ curam habuit: Plato his omnibus multo altius conscendit, & ad Euangelij consilium ac finem, propius vni rei nempe diuinorum contemplationi se addixit, concupiscentiæ seu voluntatis, Diuini amoris flammæ accendendæ causâ.

Ac subinde, vt ex eodem Bonauentura, hoc egregium addam; cum Scrip. Sacræ soleant distingui tres sensus; vnus ad literam, qui res vt sunt, & se habent explanat; alter ad mores formandos, qui agenda & fugienda doceat; & 3.ſ Anagogicus, qui affectum accendat, & rapiat ad diuina, & dum in corpore degimus, nos cœlitum societati assuefaciat. Certum est hanc tripartitam Scripturæ interpretationem inductæ Philosophorum diuisioni satis appositè respondere: sicut interpretatio ad litteram Aristotelicæ Philosophiæ; Moralis Socraticæ, & Stoïcæ consentit; ità Anagogica quâ præstant D. Dionysius, Nazianzenus, Maximus Augustinus, & antiqui ac recentes Mystici cum Platone conueniunt.

Hæc Platonismi paucis explicata ratio, ab aliorum Philosophorum Scholis, & Sententiis apertè satis distincta, loco esse potest validæ nostri Authoris Apologiæ. Nam procul semouet iniquum illud quo grauatur præiudicium: habet aliquid Platoni simile, Ergo in totum abijciendus est; quæ consecutio? Nolo enarrare quæ in illa accusandi, aut damnandi ratione, absurda & impia existant, ea enim per se satis manifesta sunt discrimine styli & methodi Platonis à cæterorum Philosophorum institutione.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Quæ ex Platone afferuntur, Scripturæ & Patribus consentanea esse.

NVNC semoto hoc præiudicio, aut potius errore, videndum est, an à grauitate & mente Platonis recedant, quæ eius more, & stylo fucata carpuntur, & quasi sine sensu, ac mente soni grandieloquentiâ traducuntur. Ego contra censeo, nihil fuci, nihil vacui inesse, imo in recessu plus habere, quam fronte & stylo præferat. Omnia consentire, selecta verba, grandes Sententias, ex Augustino, aliisque Patribus grauioribus & Philosophis haustas? Quid enim illo libertatis nostræ à Deo ortæ, & in illud redeuntis progressu scripsit, quod D. August. & D. Thom. secunda secundæ quæst. 81. non sit complexus etymologia Religionis à religando dictæ? Quod Ioannes 1. c. Euangelij non asseruerit, cùm omnes in Deo creaturas extitisse, & in eo vitam fuisse, seu vt alij loquuntur, & ipse D. Thomas, creatricem essentiam? Quod additur visionem beatam reditum esse ad Deum, & quamdam in Diuinam naturam transformationem, vera mens est & sententia Apostoli, cum dicit nos progressos *à claritate in claritatem, in eamdem transformari imaginem tanquam à Domini Spiritu?* Ita enim in diuinam sortem transcripti, *vnus cum Deo Spiritus* euadimus; & in hac plenitudine constituti cum Propheta exclamamus, *quid mihi est in cœlo & à te*, &c.

Certè nihil in huiusmodi mysterio libertatis carpit Theophilus, quod ex Scripturâ & SS. PP. haustum non sit. Neque alia ratione refellit, quam quòd Ioannes Gerson id genus dicta in Rusbochio reprehendat duplici Epistola ad Bartholomæum Carthusianum. Sed scire poterat ex Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, Rusbochium defensum fuisse à Dionysio Carthusiano, rerum spiritualium peritissimo: obseruare autem debuerat, quod prudentissimè addit idem Bellarminus, id solitum accidere Scriptoribus de mystica Theologia, vt eorum dicta obnoxia sint censuræ, ita vt reprehendantur à multis, & à

pluribus vindicentur; quia non eodem sensu omnes interpretantur. Neque quod adiungit Theophilus vitio vertendum est, pleraque Rusbochij verba vsurpata: nec verius est omnibus displicuisse Rusbochium, eo saltem nomine quod de re, quæ dilucide tradi poterat, adeo implexè, & per ambages disseruerit. Quâ enim ratione dici potest, omnibus displicuisse, suâ de Theologiâ mysticâ scribendi methodo, quam tot viri contemplationis studiosissimi ante ipsum & ab eius obitu sint secuti? Quos inter eminet Dionysius. Et illam secuti sunt D. Bernardus, D. Bonaventura innumeris libris, Albertus Magnus de adhærendo Deo, D. Theresia, alijque ex eius Schola Theodidacti.

Sed ad quid de re manifesta per tot ambages loqui? Certè non agis æquum censorem dum alios teipso meliores, putas nihil experiri, quod tibi non sit obuium, & compertum. Neque altius contemplatione, & propius ad Deum assurgere, nec ardentius diuinorum amore flagrare, nec quidquam degustare deliciarum cœlestium tibi inconcessarum, aut alia loqui posse, quam quæ tuis meditationibus sunt tibi familiaria. Hoc perinde absurdum quis esse non videat, ac si rudem rerum naturalium contendas, non minus peritè de rebus Physicis, quam Aristotelem posse disserere; aut viatores qui per fidem & in ænigmate peregrinantur à Deo in corpore, posse de rebus diuinis beatarum mentium intelligentiam, & eloquentiam adæquare. Sanè si Theophilus alijque non illi dissimiles, qui cum à limine Theologiam Mysticam salutarunt, probè se nossent; vltrò faterentur, & præ se ferrent, earum rerum ignorantiam, quæ gustu & sapida sapientiâ percipiuntur, & longissimè exulant, à perstreperâ & garrulâ disputatione: collatione autem eorum quos Deus huiusmodi donis dignatur, & per varios orationis gradus ad se prouehit, reputarent se pueros, idiotas, & ab illis maximo distare interuallo.

Non reputo me huiusmodi diuina quæ patiuntur & docentur puriores animæ, altiùs Theophilo penetrasse. Hoc tantum differimus, quod ignorantiam meam vltrò agnoscam; ille hoc vitium mecum sibi commune, altero singulari, & grauiori cumulet, nempe nimiâ sui fiduciâ, & temeritate damnandi, quæ non capiat. Mihi contrà,

si quandoque contingat huiusmodi authores legere, imitor Socratem, qui perlectis Heracliti libris, modestissimè dixit, *quæ ex illis intellexi, mihi prorsus admiranda videntur: sed mirabiliora censeo quæ non potui capere.* Sed hanc Socratis modestiam & prudentiam non est quod sperem, te aut tui similes imitaturos, quæ non solum suprà vestrum captum, sed etiam vobis inexperta, commentitia censetis. Exemplo sit ille qui assumptâ personâ, & mutuatus nomen Carmelitæ Burdegalensis Carmelum ipsum, ideſt montem visionis & contemplationis euertere nititur longo opere contra Theologiam Mysticam scripto: suppositititium ratus esse & commentitium more Theophili quidquid non capit, aut non est expertus, quâ regulâ vix vlla esse potest, quæ magis à verò abducat.

Exciderat penè memoriâ, vnum quod ad hoc caput de Platonismo pertinet, & vterque scriptor mirè exagitat dictum de sapiente, & iusto, illi Deum quâ finem vltimum ita intimum esse, vt cum à Deo in se illapso mouetur, à seipso moueri censeatur: nempe vbi Deus sibi in sedem & templum delegit ac consecrauit, vbi se illi fruendum dedit, in eumque immissus est Spiritus Sanctus & illapsa Trinitas, sic in Dei consortium transit, & à Deo in se recepto, vt vltimo fine primoque principio mouetur, vel in ipsum refertur, censeatur à seipso moueri, vel ad se omnia referre.

Hoc dictum grauissimi erroris damnatur; cum tamen à sensu, & vsu scripturæ non absit. Quid enim sibi volunt illa verba Scripturæ? *Omnia propter electos*, & illa Pauli alio loco ad fideles? *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Si quid ad electos, vel ad Christum referatur & pertineat, id iuris habent à Deo in se præsente. Sed cum non vno gradu Deus insit rebus, & nobiliori per gratiam illapsu, animas iustorum quam cœlum ipsum inhabitet; rursus humanitatem Christi dignetur per vnionem hypostaticam, augustiori quam electos præsentiâ; & tandem in ipsâmet Diuinitate altiori & magis incomprehensa circumcessione inhabitet; hinc fit vt ad Deum omnia referantur, siue nostra, siue Christi: eo tamen ordine, quem profundissimè designat Apostolus, quem sequitur Author, & immerito carpunt Theophilus & Philadelphus, vt inferiora ad electos, isti ad

Christum, Christus ad Deum referantur. Consentanea est igitur Scripturæ verbis & sensui hæc loquendi formula, Deum vt est finis & bonum electi, ita intimum electo, vt ipsi accenseatur, & beneficio Dei in se habitantis electus sit finis omnium, cuius gratia conditus sit mundus & seruetur. Nam vbi Deus se primum illi fruendum dedit, ius habet vtendi rebus omnibus, & illas ad se vt ad finem referendi.

SETCIO TERTIA.

Responsio ad alteram operis Theophili partem, & ad reliquas Philadelphi censuras.

SVMMA veri bonique cognatio in eo maxime elucet, quod non minus sanæ doctrinæ, quam virtutis ratio conuenientiâ constet, idest partium consensione, quæ ad officium & ad rei incolumitatem pertineant. Si quæ earum desideretur, vel aliis repugnet, argumento est, rem boni verique rationem non esse consecutam. Hinc Author & vindex sententiæ de libertatis naturâ à nobis explicatâ, visus est sibi illam immoto fundamento stabiliisse, quod opportuna sit ac ferè necessaria explicandis quæstionibus difficillimis de libertate Dei & nostra: vnde Argumentum arripit validissimum, ab huiusmodi conuenientiâ libertatis explicatæ cum fidei dictatis. Nos inter explicandam libertatis notionem, huiusmodi harmoniam & conuenientiam attigimus libertatis Christi cum sua sanctitate, & libertatis increatæ cum attributo immutabilitatis; posuimus autem principia quibus conciliatur nostra libertas cum gratiæ efficaciâ, & certâ Dei præscientiâ. Verum hoc conuenientiæ præsidium & Argumentum, quo inuicta est nostra de libertate sententia, nihil non moliuntur vterque Author, vt sibi vindicent, nobisque eripiant. Contendunt igitur hâc notione libertatis, offundi ac densari tenebras rebus fidei, & à quæstionibus Theologicis non depelli. Id nos experiemur de quatuor controuersiis primùm de libertate Christi, deinde de libertate

increatâ, terrio de noſtrâ vt ſubeſt gratiæ & auxilio Dei, & tandem vt ſubeſt præſcientiæ diuinæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

De libertate Chriſti.

HANC primo loco apponimus Diſputationem, quod iam ferè profligata ſit ſuperiori Parte? Et deinde viam munio tutiſſimam & certiſſimam ad reliquas, vt ſuperiùs dicta mirè confirmet, & cum dicendis infrà conciliet. Quid enim ad hanc concordiam libertatis cum præcepto paterno, ſeu impotentiâ ab illo diſſentiendi & peccandi deſideres, præter ea quæ ſtatuimus ad hunc nodum euincendum de duplici indifferentia abſoluta & temperata ordine finis, & de duplici genere mediorum, quæ libertatem exercent? Hæc vero immota eſſe fundamenta, argumento eſt quod ſecunda Parte cap. 5. vbi Theophilus hanc verſat controuerſiam, nihil afferat contra noſtram concordiam & ſententiam, niſi quæ ſuperiori Parte ſoluta ſunt: vix vllus ſupereſt nodus vindice dignus.

At non ita feliciter agitur cum Theophilo, & iis qui non aliam libertatis rationem agnoſcunt, quam in abſolutâ indifferentiâ conſtitutam, quâ voluntas poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poſſit agere & non agere. Et ne vel minimùm huiuſmodi indifferentiam lædat, aut coarctet, & Chriſto ſeruet, vix vlli rei parcit: præcepta tollit à ſubſtantia actus & à circumſtantiis: ita deinde timet libertati filij non ſolum ab imperio, ſed à minimo nutu Patris, vel à viſione beatâ, vt non patiatur quidquam eorum, quæ liberè ac ſubindè meritoriè peragit, ſibi Patrem conſulere, vt quid melius, vel indicare quid ſibi gratius foret, aut ſi quid iuſſerit vel conſuluerit, non aliundè ſeruari libertatem, niſi quod permiſerit ſi vellet gratiam, ſeu exſolutionem conſiliorum, ac præceptorum rogare, pro ſua reuerentia exaudiendus, & ipſe ab huiuſmodi precationibus liberè abſtinuerit.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De consiliis Christo datis à Patre æterno.

NON dicam, quot & quanta oporteat Theophilum, & recentiores absurda deuorare, & comminisci, vt Christum libertate donent, quâ potuit occupare præcepta, & petere vt sibi imponerentur, vel abstinere ab illorum dispensatione petendâ. Sed vbi eò peruenere, & rem suam deduxerunt; quid tandem promouerunt? Seruarunt ne libertatem Christo suæ libertatis vindici? Imò nouis illum, & grauioribus vinculis, & compedibus implicuerunt.

Hoc enim postulato recentiores conuenio, vultis ne Christum suo Incarnationis primo instanti, nouisse quid sibi facto opus esset, & apud se statuisse, aut à consiliis & præceptis distulisse dispensationis gratiam petendam cùm vrgerent, & reipsa hoc vltimum elegisse, vt totâ vitâ hæserit, & ad singula momenta cum aliquod præceptum & consilium instaret, liberam electionem distulerit petendæ aut recusandæ dispensationis? Quid istorum censes Christo conuenientius, & magis placuisse? Certè quocumque confugias præcipitia occurrunt. Si velis ignarum, & consilij inopem hæsisse suspensum; quid potest dici alienum magis à Sapientia diuina increata? Si autem velis primo instanti, quid sibi imposterum per totam vitam, & singulis momentis faciendum esset statuisse, illum libertate donas vnico vitæ suæ momento, reliquis omnibus necessitati & seruituti addi is, tùm maximè, cùm ad mortem quæsitum, vltrò se obtulit satellitibus, damnatus ad crucem sententiæ iudicis assensus est, in crucem agendus carnificum se crudelitati permittit. His vero omnibus meruisse nostram redemptionem, qua ratione defendes, si inito consilio ab instanti conceptionis, nullius petendæ dispensationis omnem sibi imposterum parendi præcepto paterno abstulerit libertatem, ea tantum potitus, cùm consilium suscepit de dispensatione nulla petenda, quo momento, non morti proximus debuit exclamare, *consummatum est*, sed cum primum cœpit, &

desijt vnà cum libertate omne meritum?

Hæc absurda pleraque alia, vrgent eos, qui totam libertatem volunt in solidum indifferentiâ absolutâ cõstare, quæ D. August. diuina & præsaga mente occupauit cap. 15. de præd. Sanctorum. *Nunquid metuendum fuit ne accedente ætate, homo ille peccaret libero arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat, ac non tantum magis erat, quanto magis peccato seruire non poterat?* His verbis parum se sollicitum monstrat illius indifferentiæ absolutæ, cuius sine dubio multùm deperibat Christo à sanctitate increata, & præcepto paterno. Ad eam vero indifferentiam, disputationibus contra Pelagianos nunquam confugit Augustinus, licet eâ sit vsus contra Manichæos, atque huius altissimi consilij causam aperuimus parte superiori lib. primi, quod indifferentia libertatis sit proprietas essentiâ notior nostris experimentis, & ideò illam vrget aduersus Manichæos, qui liberum arbitrium funditùs tollebant: vnde à posteriori concludit, malè negare libertatem cuius proprietatem, seu indifferentiam experirentur. At contra Pelagianos, qui plus æquo liberum arbitrium attollebant, & in absoluta indifferentia situm esse contendebant, alia expedit arma, & argumenta D. Augustinus: & obseruatum à nonnullis, vt libertatem nostram cum gratia & præscientia diuina, & Christi libertatem cum præcepto paterno conciliaret, nunquam iniecisse mentionem huiusmodi indifferentiæ, quæ recentioribus omnibus in his controuersiis prora est & puppis: adeo diuersa abeunt via, ab illa quam D. August. nobis aperuit, & primus calcauit.

Hinc velim in antecessum agnoscat nonnullus Modernus se per summam imperitiam harum controuersiarum (ne quid grauius dicam) scripsisse, nihil nobis superesse in his Disputationibus omni genere Argumentorum, & armorum destitutis, nisi conuitia quibus pugnemus. Profecto authoritas D. Augustini, à vestro pugnandi genere, & à vestro sensu alieniissimi, euersio præceptorum & consiliorum, ne Christi libertas, & subinde eius meritum ac nostra redemptio pereat, nihil conuitij respiunt, sed vim habent Argumentorum ineluctabilium, quæ quisquis non sentit, nec capit, nescio quid sentiat; qui dissimulat, sophistam agit, non sincerum Theologum. Vi-

derit ergo ille scriptor, quo loco sit reponendus, cùm nos his Argumentis, aliisque propemodum infinitis nihilo debilioribus instructos, magnâ sui fiduciâ asserit, solis conuitiis nos secum agere & pugnare.

Sed ad Theophilum redeamus: tria ex illo totâ hâc Disputatione de Christi libertate obseruo animaduersione digna, è tribus difficultatibus quibus hæc controuersia continetur, vnam fugit de consiliis, seu de perfectione maiori sectanda, à duabus malè se expedit, & Argumenta quibus libertas Christi lacessitur è duobus capitibus repetita, vnde existit impotentia Christi ad peccandum, seu dissentiendum Patri consulenti, aut præcipienti, nempè ab vnione Hypostatica, & à visione & charitate beatifica, quæ nullum vel minimum peccatum, aut defectum patiuntur, nullo modo soluit.

De consiliis, seu de maiori perfectione sectanda, inter recentiores acerrima est, & incredibili contentione partium desperata ferè controuersia. Nam cum ex Theologis quadruplex perfectionis gradus constituatur, primus omnium & infimus communis omnibus iustis, & necessarius ad salutem peccati grauis impatiens, quo charitas pereat; alter singularis hominibus sanctioris vitæ, qui excludit præter graues, leues etiam culpas studio & affectu admissas; Tertius Deiparæ eximius, expers omnis peccati venialis ex surreptione; quartus denique omnium supremus, & beatis mentibus singularis, qui ex bonis propositis optimo semper adhæret: ab isto gradu recentiores nonnulli, nihil dubitant Christum deijcere, eius libertatis seruandæ causâ, cui nullum ferè locum relinquerent, si astringeretur optimo cuique. Fortè huius erat sententiæ concionator ille mihi non omnino ignotus, cui vt certâ relatione scio, die Festo sancti Ignatij, abreptus laudandi æstu, huius generis quem vocat Theophilus *fatuum amorem & blasphemiarum scaturiginem, in D. Thomam*, istud excidit, D. Ignatium ascito, & vsurpato hoc insigni *Ad majorem Dei gloriam*, & suis filiis ac societati relicto, quâdam ratione supra Christum assurexisse: quod Christus plures actus elicuerit temperantiæ, iustitiæ & reliquarum virtutum, seu moralium, seu infusarum, propriâ cuiusque honestate contentus, at D. Ignatius, quidquid ab illo susceptо consilio, maioris Dei glo-

riæ vbique prosequendo actionum, honestarum produxerit, euexisse ad illum supremum maioris gloriæ Dei gradum. Deum immortalem! si sciuisset Theophilus Dominicanorum aliquem quid simile de suo Parente, aut Magistro dixisse, aut cogitasse vnquam, quas in nos Tragædias excitasset? quas Diatribas scripsisset?

Sed ad rem: ab hac de consiliis difficultate abstinuit consulto Theophilus, nempè quia sensit sibi insuperabilem, an scilicet Christus meliora aut perfectiora, aut certè gratiora Patri semper debuerit sectari, an prætermittere potuerit. Bernaldes recens & eruditus ex Societate Scriptor, à Prudentio relatus censet data Christo à Patre consilia, *permitto tibi quæ libuerit eligere, hac indulgentiâ vt quidquid tibi placuerit, etiam minus bonum, ac perfectum gratius mihi futurum sit:* quia licet vnum opus sit absolutè alio melius, si tamen Dei consilium aut beneplacitum accedat, minùs bonum perfectius sit quocumq; alio. Sane qui ita consulit, facias quod libuerit, quia mihi gratius est futurum, ridet & ludit: omne consilii genus prorsus euertit: quia consilium ex Aristotele 3. ethicorum cap. 2. est rei electio perueſtigatæ: vnde repugnat eum dici consulere & suadere, qui in neutram partem inclinat, nihil præscribit, omnia arbitrio relinquit eorum quos suscepit suis consiliis regendos, & instituendos. Sed ad quid Bernaldes hoc commentum finxit? Quia existimauit hâc subtilitate se euasurum difficultatem, quibus alios videbat oppressos.

Quidam enim vt libertati Christi consulant, eximunt illum à lege sectandi meliora & gratiora Patris: quod sine non caret aliquâ specie temeritatis. Nec placet quod alij dicunt, integrum fuisse Christo, à consilio & præcepto petere dispensationem, vel quod Prudentius putat probabilius, consilia & præcepta petiisse sibi imponi. Nam contra primum instat Bernaldes, non potuit Christus ignorare quid perfectius, & gratius esset Patri, an petere dispensationem à consilio, & præcepto, an vtrumque implere. Nam si dicas id nesciuisse facis ignarum, non cuiuscumque rei; sed sibi necessariæ, quæ ad officium pertineat: si velis nouisse quid esset acceptius Patri, nec tamen elegisse; facis à Patre dissentientem: si dicas non potuisse prætermittere; aufers illi libertatem, alterutrum eligendi, si à meliori, seu à consilio non potest magis recedere, quàm à præcepto.

At dices, si ita sit, vt Christo necessitas incumbat æmulandi charismata meliora, Ergo ex solâ charitate omnia egit: quia illa est, perfectissima virtutum, reliquas vero nec infusas, nec morales vnquam ad opus adhibuit; quibus omnibus frustrà illum Theologi instruerent, si otiosæ essent futuræ. Respondet Prudentius Christum omnem iustitiam impleuisse, idest, omnium virtutum etiam naturalium ex proprio cuiusque motiuo actus exercuisse, iisque nostram salutem comparasse. Neque de hoc est dubitandum, vt certum sit quod negabat memoratus concionator, Christum non fuisse semper ex perfectiori motiuo operatum; quia nunquam inferiorem virtutem admouit ad opus, nisi ex imperio charitatis, eiusque consortio ad summum perfectionis gradum prouexit. Vnde si arguas: Perfectius est operari ex motiuo supernaturali quàm ex naturali, distinguit Prudentius; si agas ex motiuo naturali quasi solitariè, concedendum est, secus verò, si supernaturale, non cuiuscumque virtutis, sed ipsiusmet charitatis motiuum adiungas.

Sed si velimus Christum astringi perinde consiliis, ac præceptis paternis, nec dispensationis petendæ demus copiam, quid supererit libertatis in illis implendis? Prudentius, vbi acriter variis Argumentis impugnauit, ac penè euertit hoc dispensationis perfugium, istud sibi seruauit, quod Christus in antecessum petierit sibi huiusmodi consilia, & præcepta imponi. Si contra illum instes hanc libertatis defendendæ rationem, nulli SS. Patrum venisse in mentem, vltrò fatetur nullum id tradidisse, sed neque etiam negasse; & hoc postremum sibi sufficere: sed mirum est tacuisse SS. Patres, rem vnde tota salutis œconomia pendeat. Vrget autem aliud Argumentum suprà insinuatum, eo tantum momento Christum libertate potitum fuisse, quo petiit sibi huiusmodi consilia & præcepta imponi; illa verò impleuisse summâ necessitate, vbi semel petiit sibi huiusmodi præcepta. Probari potest, illo instanti caruisse libertate: neque enim ignorare poterat quid horum esset gratius Patri, & perfectius, vel petere vltrò præcepta, vel expectare sibi à patre imponi, & cum necessario iuxta mentem Prudentii, eligat quod perfectius est, eo momento addicet se parti perfectiori sine libertate.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Opinio Theophili de impeccabilitate Christi reiicitur.

HAs omnes difficultates grauissimas fugit, aut dissimulat Theophilus, quæ magis vrgent, & quatiunt indifferentiam absolutam, quam Argumenta à præcepto repetita. Et illud quidem de impeccabilitate ex vnione hypostaticâ ferè contemnit: quia ea impeccabilitas non alia, inquit, exigit à Deo auxilia, quam quæ viatoribus conferuntur, vt ex scientiâ mediâ congrua sint & efficacia, auertendæ Christi voluntati à peccato, vel defectu per dissensum à Patre: & si quæ gratia inefficax ad hoc præuideatur, adhibendam aliam efficaciorem & magis congruam.

Mirum est profectò ausum Theophilum hæc scribere; sed stupendum magis, passos libri censores hæc edi suo suffragio confirmata. Quid igitur si hanc peccandi potentiam Christo contulit tantum sanctitas increata, & vnio hypostatica; nihil vltrà electorum ex Angelis, & hominibus sortem habuit, quos voluit eximi à peccato hâc gratiarum ex scientiâ mediâ, & euentu efficacium administratione: Ergo ex hoc capite extrinsecam tantum habuit immunitatem à peccato, nullam cum peccato intrinsecam repugnantiam: quod vix saluâ fide potest dici. Christus ipsemet asserit nihil opus valentibus medico, sed malè habentibus. Quid vero aliud est illa series gratiarum efficacium auertendo peccato ex scientiâ mediâ quæ incongruis & inefficacibus, vnde infallibiliter sequi præscitur peccatum sufficit oportuniores, tanto malo, quod impendet amoliendo? Quid, inquam, huiusmodi auxiliorum apparatus, quo perinde Christum ac nos munit Theophilus ne à gratia vnionis hypostaticæ excidat; sicut nec nos à gratia sanctitatis? Vult ergo Christum habendum esse sicut nos, morbis obnoxium, & nisi remediis fulciat impeccabilitatem ex vnione hypostaticâ credit esse ruituram.

Multo cautiùs multoque prudentius Suarez, ex illâ impeccabilitate

impeccabilitate Christi, censet potentiam Dei nunquam illi adesse paratam ad concurrendum cum illâ concursu indifferenti, cum instat præceptum negatiuum, cuius nequit Christus actum oppositum elicere. De præcepto autem positiuo censet, cùm dupliciter violari possit, nempè actu positiuo, & pura omissione, Christo non adfuisse omnipotentiæ influxum paratum ad actus oppositos præcepto: de omissione non vult omnipotentiam illi adfuisse; quia illud præceptum impleuit per actum positiuum liberum, ergo habuit facultatem, & potentiam antecedentem ad omissionem; quia non exigit qualitatem aliquam positiuam, sed potius negationem aut suspensionem actionis.

Verùm licet hæc Suaris sententia longè absit à temeritate Theophili, non tamen iuxtà sua principia defendit Christi libertatem, nec quoad omissionem, nec quoad actum positiuum. Non quidem quoad omissionem, quia non censetur fieri liberè, nisi adfuerit Christo paratus à Deo concursus ad vtrumque, nempè ad omissionem & actum: Atqui non potuit Deus præbere Christo, aut parare concursum ita indifferentem, si actus oppositus præcepto sit peccatum.

Declaratur vis Argumenti. Aliud est omissio pura, aliud omissio libera: primum non petit concursum ad carentiam actus, secundum autem licet non exigat influxum, requirit tamen accinctam, & expeditam ad ponendum si velit actum, quod Christo deest; dùm enim omittit, vel potuit actum positiuum elicere, vel non potuit; si hoc primum asseras, aufers Christo libertatem; si secundum velis, habuit omnipotentiam paratam cum concursu indifferenti ad bonum & malum. Plura videri possunt apud Prudentium de Christi libertate contra Suaris & Theoph. sententiam. Sed quodnam operæ pretium refert Theophilus ex illâ primâ responsione in speciem impiâ & absurdâ; cum nihil conferat ad solutionem Argumenti ex 2. cap. & alterius generis impeccabilitate à visione beatâ? Nam ad illam fulciendam nihil possunt inseruire huiusmodi alexicaca composita, ex auxiliis beneficio scientiæ mediæ congruis.

Alia autem ratione illud Argumentum excipit: concedit Christo imposita præcepta, quæ citrà culpam non

poterat prætermittere: sed impeccabilitatem nihil obfuisse, quin liberè illa obseruaret, licet ab illis implendis abstinere (seu quod idem est peccare) non posset. Sed quid tum, fiet indifferentiæ actiuæ, Christo inter peccandi impotentiam & necessitatem parendi posito? Nulla supereſt nec subindè quidquam libertatis. Sed Christo ad has angustias redacto triplicem viam aperit ad libertatem. Quamuis enim generatim ad mortem ex præcepto, & ad obedientiam astringeretur; tria tamen supererant eius arbitrio permissa, quorum nihil nec præcepto, nec consilio denuntiatum est. Libera imprimis & indifferens relicta est substantia actus parendi, nullæ illi circumstantiæ temporis, vel intentionis actus, nec rationes, nec motiua quæ impellerent ad parendum præscripta sunt. Et quamuis daremus pondere potestatis paternæ cogi voluntatem Christi ad obsequium necessarium, relicta esset libera ad obedientiam vita, nempe à voluntate Christi ita affecta & comparata, vt de morte ex præcepto subeunda gauderet, eam vltrò electurus, nisi electionem occupasset imperium patris, *quod*, inquit, *barbarè dicitur facere de necessitate virtutem*, quod est velut è saxo oleum, & ex ipsâ necessitate exprimere, & extundere promptam & liberam voluntatem.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Refelluntur variæ Theophili solutiones.

HAc solutionum congerie, quas ex diuersis authoribus assumpsit, videtur mihi imitari peritos duces, qui fugato, ac deleto exercitu, quod supereſt ab internecione militum ex fugâ, conantur retrahere ad reparandam pugnam. Consilium, & conatum laudo, quod etiam victus de genu pugnet. Sed ad quid illa inseruiunt, nisi illustrandæ victoriæ, & veritati? Cum videamus aduersarios vi Argumentorum oppressos, nonnisi diuerticula, & effugia quærere. Sanè satius fuerat negare cum Lorcâ, vllum Christo impositum à Patre mortis subeundæ præceptum, quam illud admittere, quod nihil de circumstantiis, de causis, aut ipsâ substantiâ actus præscribat. Cui enim

similem facit Deum Theoph? Hero operas præcipienti suis vernis, nihil curanti, quo animo pensum persoluant, quia suum commodum quærit à seruis, non virtutis studium. Ita vult Deum suis præceptis cum Christo, & nobiscum agere, vt rem fieri præcipiat, quâcumque ratione affecti pareamus.

Nam cum vult Christo mortem præceptam seu semotis circumstantiis, motiuis, & substantiâ actus obedientiæ, velim dicat quò huiusmodi præceptum cadat? In mortem inquies subeundam nudè. Ita nè etiam vt quid commune est, non solum bonis, & improbis hominibus, sed brutis malum? Qua ratione nihil habet boni, neque honesti, nec citrà culpam posset ab homine obiri nullo apposito motiuo honestatis; à quâ nudam dicit Theophilus præcepto Patris Christo impositam. Sed mirùm sanè fuerit Deum curasse mortem præscribi Filio, vt quid commune est cum brutis, & neglexisse grauiores circumstantias, qualis est supplicii loco publico, inter duos latrones ad maiorem infamiam. Sanè illud genus præcepti incredibile est, nec Christus nos docuit illud genus obedientiæ suo Patri exhibitæ, vel à nobis præstandæ, cùm dixit, *sicut præcepit mihi Pater, sic facio*, & ne credas solis præceptis vrgeri, nec consiliis locum vllum esse, alibi dicit, *quæ sunt ei placita, facio semper.*

Sed quam aliena est à mente Theophili, illa in horto ad Patrem precatio, à tribus Euangelistis diuerso tenore verborum relata, vt videantur vno consensu voluisse Theophili exceptiones refellere? Asserit circumstantias temporis, intentionis, nullomodo præscriptas à Patre, sed permissas Filij arbitrio: at contrà sic Patrem alloquitur ex Mathæo, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quid illa formula verborum significat, nisi rei præceptæ circumstantias? Contendit rem volitam, seu volendi rationem, & motiua non fuisse præscripta: at contra Christus ex Marco *non quod ego volo, sed quod tu*; quibus verbis rem sine dubio volitam, & volendi rationem complexus est. Contra tertiam exceptionem quæ substantiam actus eximit à præcepto: sic Lucas inducit orantem, *non mea, sed tua voluntas fiat.* In id vnum conspirarunt Euangelistæ, vt perfectam voluntatis Christi cum paterna consensionem quoad res volitas, & rationem volendi;

quoad ſubſtantiam actus & circumſtantias referrent: atque hoc abſoluto obedientiæ exemplo nos docerent, quâ ratione diuinis præceptis, & conſiliis parere nos oporteret.

Sed contra Theophilus contendit, nihil horum præcepto, aut conſilio, indictum Chriſto, vt ſalua ſit indifferentia abſoluta. Sed reuera non eſt tanti, vt tot locorum Scripturæ, tot exemplorum diſpendio redimatur: & ſanè mirum fuerit Chriſtum inſpexiſſe decretum Patris; & in eo mortem cum omnibus circumſtantiis ſibi ferendam, nec debuiſſe illi aſſentiri; cum nos diuinæ voluntati ex ſolo euentu notę, oporteat ſubiicere, & quidquid decreuerit, æquo, & forti animo ferre, nè ab eius decretis, vel minimum recedamus.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Enodatio difficultatis ex vera ſententia.

EX his ergo omnibus euidens eſt, vix Chriſto noſtræ libertatis vindici, ſuam conſtare; nec ſubinde obedientiæ meritum, & pretium noſtræ redemptionis, ſi ſententiæ Theophili mordicus adhærere velimus: ergo ineunda eſt nobis via, quam ſuprà aperuimus. At quid, inquit, fiet libertati, ſi indifferentia abſoluta aſtringatur vinculis æneis, & ineluctabilibus neceſſitatis, qualis eſtà præcepto, à viſione beatâ? Quaſi ſublatâ, ac diminutâ illâ indifferentiâ abſolutâ, quę vnicam ad peccandum potentiam continet, omnis pereat indifferentia, & mera ſuperſit neceſſitas: nec præſto ſit vera eſſentia libertatis, in independentiâ à mediis poſitâ, & eligendi facultas media ex fine, & ex illo indifferentia temperata, quæ omnia clarè & fusè explicuimus.

Ad huius ſolutionis ſenſum traximus reſponſionem Thomiſtarum ad eamdem difficultatem, vt nihil opus ſit eadem repetere. Vnum tantum ſupereſt Argumentum quod ſoluamus. Suppoſitio conſilii, aut præcepti antecedit actum, quo vtrumque impletur, & ex illâ ſuppoſitione conſequitur eâdem neceſſitate, quâ impoſſibile eſt Chriſti voluntatem à paterno conſilio, aut præcepto

dissentire: Ergo perit omnimoda libertas.

Ad hoc Argumentum, quo tota controuersia deducitur, Nego eâdem necessitate fieri rem præceptam, quâ Christus non potest peccare, aut dissentire à Patre; quia res præcepta, quæ est materia libertatis, est purum medium, accidentario fini coniunctum, quatenus ad momentum illi inseruit, ac proinde si quam habeat necessitatem, est ex merâ suppositione cui seruatur dominium, & vsus, imo indifferentia ad illud, cum subordinatione ad finem, quæ illam expurgat à fœce peccati, & malæ electionis: Ergo nihil nocet libertati. Et hanc cumulatè habet Christus, etiam si præcipiantur actus, aut per visionem beatam præsciantur. Quid ergo timemus libertati, quasi excidium illi immineat, ab illo recessu à peccato?

At inquies eâdem necessitate eligitur medium quo euitatur peccatum, & contumacia in præceptum. Nego illud Ant. quia necessitas ad rem præceptam, est secundum quid suppositionis, ad fugam verò peccati, est necessitas simpliciter: ratio differentiæ petitur ab illâ distinctione duplicis medij; quorum vnum est per accidens ad tempus iunctum fini, cuius generis est res præcepta, aliud est per se connexum, aut potius pars finis formalis, qualis est fuga à peccato & consensio cum Dei voluntate: Ergo ad illud, non istud, seruatur libertas.

Declarari potest hæc solutio summè obseruanda, exemplo sæpissimè vsurpato, rationis & libertatis, quas diximus multis conuenire, sed hoc maximè differre, quod ratio vt plurimum ex præmissis inferat conclusiones æternæ veritatis, quibus assentiatur necessario, idque dupliciter, primo vt ex præmissis euidenter deducuntur, deinde vt in seipsis veræ sunt, & æternę veritatis. Libertas vero ex fine eligit media liberè, quia non sunt necessario connexa fini, sicut conclusiones ex suis principiis determinatæ: quare in electione duplex elucet libertas opposita duplici necessitati, quâ ratio assentitur conclusioni, tum vt deductæ, tum absolutè in se consideratæ. Libertas vero medium eligere potest vtroque sensu liberè, nec interdum potest aut debet amare vllâ ratione necessariò: non quidem vnquam absolute, sed nec interdum etiam vt fini subest: sicut enim ratio (vt idem exemplum ad rem aptissimum vrgeam) conclusionem probabilem, cum ex

principiis incertis deducit, nunquam vi illius medij potest certo de se veram absolute sibi persuadere, sed dubia semper & anceps hæret, & formidolosum alterutri parti assensum præbet; quia videt illis posse subesse falsum: si tamen formet propositionem modalem, potest certo & euidenter probabilem statuere, licet interdum nec ipsius probabilitatis habeat euidentiam.

Idem de mediorum electione omnino dicendum est: posse sicut probabilium assensum in tria diuidi genera; vel enim attenduntur, vt subsunt fini, vel vt in se habent propriam, & innatam bonitatem. Hac secunda acceptione nunquam necessario magis amantur à voluntate, quam ratio probabilibus certum præbeat assensum: vt subsunt vero fini, tum sicut de conclusione probabili diximus, interdum cognosci euidenter probabilitatem, aliquando vero probabilem haberi de ipsâmet probabilitate assensum; ita hæc media amari possunt cum omnimodâ indifferentiâ, & nullâ prorsus necessitate; interdum potest esse necessitas, sed tantum suppositionis, quæ habeat adiunctam libertatem ad ipsa media, vt absolutè in se considerantur. Voluntas impeccabilis, ad rem præceptam habet absolutam libertatem electionis, & amoris medij, adiunctam necessitati secundum quid, qualem diximus conclusionis probabilis absolutè consideratæ, vel vt euidenter est probabilis: & hâc libertate potiuntur Christus & Beati, alterâ gaudent viatores, quæ respondet assensui opinionis probabilis, cuius nequidem probabilitatis euidentia habetur. Sed de his plura articulo tertio.

Sed vt breuius, & fortè apertius, hæc omnia perstringamus, distinguenda sunt tria genera conclusionum, & totidem electionum. Primi generis conclusiones demonstrationibus comparantur, cum earumdem ex præmissis necessariis deductio euidens est, & subinde veras in seipsis esse constat, & vtriusque certum assensum ratio præbet. Secundi generis conclusiones sunt omnino oppositæ superiori, cum nec illarum illatio ex præmissis, nec veritas euidens est, sed ad summum probabilis cui proinde ratio nequeat certò assentiri citrà erroris periculum. Tertij generis conclusiones sunt mediæ, quarum illatio ex præmissis euidenter probabilibus necessaria est, sed in se sunt tantum probabiles, ac proinde indubitatum assensum nec ro-

quirunt, nec patiuntur citrà temeritatis aut falsi notam.

Electio si propriè sumatur duplex tantum est, & respondet duobus postremis ordinibus conclusionum probabilium, quarum illatio, & veritas ineuidens est, vel illatio euidentiam habet ex præmissis probabilibus, sed incertæ sunt veritatis. Electio viatorum de re præcepta à Deo, aut de amore Dei, libertatem habet vtroque modo, de re præceptâ, vt subest fini, vel in se absolutè consideratâ, quod aliis verbis explicant Thomistæ, est libera electio nobis de re præceptâ, seu materialiter, seu formaliter, siue negatiuè, siue priuatiuè sumatur. Electio verò Christi, & Beatorum similis est conclusioni tertiæ & mediæ, quæ habet rationem propositionis modalis, seu quæ euidentem habet illationem, sed veritatem non omnino certam, cui proinde intellectus non præbeat firmum, & certum assensum. Ita Christus & Beati rem præceptam formaliter vt subest ordini finis eligunt, amant & volunt aliquâ specie necessitatis secundum quid, ex suppositione: ipsas verò res in se neque amant, neque oderunt necessario, sicut intellectus rei quam videt euidenter probabilem, nec assentitur, nec dissentitur necessario, & citrà omne dubium, ne se periculo erroris exponat. Quare sicut conclusio secundum illationem probabilis euidenter, incerta magis pertinet ad conclusiones probabiles quam necessarias; ita ad libertatem pertinet vtrumque genus electionis explicatæ: & cum Christus & Beati eliciant de re præceptâ assensum, similem illi quem habet ratio de re probabili in se, licet illationis sit euidentis, cui necessario adhærere nequeat, ita voluntas etiam impeccabilis, rei præceptæ liberè, non necessario adhærebit: & hæc satis de Christi libertate plura in hanc rem cum de nostrâ.

Articvlvs Secvndvs.

De Libertate increatâ.

Quo diuinæ & increatæ voluntatis, quam humanæ Christi altior est libertas, eo difficilior est eius comprehensio & explicatio. Si quid tamen lucis rei obscurissi-

mæ accedere poteſt, haurienda eſt omnino ex libertatis notione à nobis hactenùs explicata: quæ plura ſine dubio habet, quibus hæc difficultas inſuperabilis vtcumque capi, aut emolliri poſſit. Sicut natura cognitionis ex potentia & obiecto natæ, & ex vtriuſque ſimilitudine profectæ, ad ineffabilem verbi diuini generationem, ex D. Thomæ principiis nos manu ducit, hoc Argumento, vt quo perfectior cognitio ſit, ad nobiliorem aſſurgat obiecti cum facultate ſimilitudinem; & cum verbi diuini à Patre per ſui notitiam generatio, ſupremum intelligentiæ gradum teneat, eo tandem perueniat oportet, vt obiecti ſeu principij generantis, quod ſit obiecto fœcundum, cum verbo ſeu termino intellectionis ſimilitudo ad naturæ & ſubſtantiæ vnitatem deducatur. Ita de libertate diſſerimus, cum vera & germaniſſima oriatur ex duplici capite, ex voluntatis præſtantiâ, & rei quam attingit inferioris & imparis vitio ſeu defectu; quo altioris ordinis eſt voluntas, eo futura eſt libertas magis abſoluta ab obiecto, & amplioris in illud dominij: Ergo immota & inuariabilis quoad velle & nolle, mutare, poteſt ad arbitrium quaſcumque res creatas.

His principiis viam munimus ad arcanum increatæ libertatis, in hoc poſitum, quod Deo nihil internum & vitale adeſſe aut amoueri queat, res tamen ad extra pro ſuo arbitrio ponat & aſſumat, è nihilo extrahat, aut in nihilo detineat. Quî vero id poſſit fieri, rem fateor eſſe ſupra humanæ & creatæ mentis captum. Hic ſolùm controuerſia eſt cum Theophilo; quæ duarum notionum libertatis, an noſtra quam per independentiam voluntatis à rebus explicamus, an indifferentia actiua quam ipſe vnicè vrget, aptior ſit ad explicandum illud ineffabile libertatis increatæ myſterium, quod inuariabilis adlibitum velit aut nolit res ad extra producere.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Refelluntur Theophili aliæque diuersorum opiniones.

IMPRIMIS necesse est conueniat nobiscum Theophilus, actum liberum Dei non esse positum, neque in denominatione extrinseca à productione, aut non productione rei, vt vult Aureolus relatus à Capreolo in 1. dist. 45. quæst 2. contra conclusionem secundam & tertiam: neque etiam dicit solam relationem rationis, siue consequatur ad actum diuinum, vt videntur innuere nonnulli; seu respectus ille voliti liberè consequatur ad terminum ad extra productum, quod videtur velle Vasquez, & eodem modo hunc respectum liberè voliti explicare, quo relationem creantis Dei in tempore, vel vniti Verbi cum humanitate, quæ sine dubio oritur ex solâ mutatione creaturæ. Neque explicanda est huiusmodi denominatio liberè volentis, per aliquam denominationem Deo quidem intrinsecam, quâ dicitur liberè velle, & agere secundum consilium voluntatis suæ, quæ tamen intrinseca formalitas possit abesse à Deo, & sit desitioni obnoxia; quod falso Theologi recentiores ascribunt Caietano Prima parte quæst. 19. art. 3. quem vero sensu explicant Nazarius, & Ioan. à Sancto Thoma. Huius vero opinionis aut potius erroris est Conradus postrimus Caluinista, & ad illum magis quam Cajetanus accedunt Fonzeca & Salas.

Tota ergo veritas Catholica, & incomprehensa difficultas in hoc est posita, quod libertatis diuinæ ità intrinseca sit ratio & denominatio, vt omnino immutata in se mutet obiecta, illa velit, nolit, producat, aut non producat. Hanc verò difficultatem Theoph. secundæ partis cap. 6. reiecta nostra sententia de libertate, ità ex sua putat se profligare. Libertas diuina posita est in indifferentia actiua sicut nostra: Atqui nostra voluntas libera ex vi suæ indifferentiæ actiuæ omnino immutata & necessaria quoad actum primum, potest pro libito terminari ad hunc actum secundum, primo elicitum, potius quam ad oppositum, ad quem profundendum æquè terminari potuisset, si li-

buisset ex priuilegio causæ liberæ : Ergo voluntas diuina ex vi actiuæ indifferentiæ sine vllâ mutatione sui, potest liberè terminari ad creaturas extra ponendas, aut non ponendas.

Sed hoc, inuoluere est potius, & augere, quam expedire difficultatem: nam quamuis demus (quod dubium, fortè falsum est) voluntatem creatam ex vi actiuæ indifferentiæ, mutatione & præmotione quoad actum primum, elicere ad libitum actum secundum; certum est in hoc differre voluntatem nostram per actum secundum completum, à voluntate diuina liberè attingente creaturas, quod denominatio liberè agentis, exprimat directè actum vt formam constituentem & determinantem nos liberos; obliquè verò actum primum, seu indifferentiam actiuam: contra verò nequit Deus dici liberè velle, tanquam à ratione formali primo, & expresse significatâ à creaturâ ad extrà positâ, & à suâ voluntate obliquè tantum importatâ, alias vera esset sententia Aureoli, quæ totam Dei libertatem & respectum liberi, constituit in externâ immutatione creaturæ: contra quam opinionem ita argumentatur Capreolus loco citato conclusione tertia.

Ex Diuo Thoma primi contra gentes cap. 28. potentia quæ se habet ad opposita, & est illis superior, non agit nisi ad vnum determinetur, vel à se vel ab aliquâ re extrinsecâ, [quasi à materiâ, & à casu, vt sol plures effectus continens interdùm oppositos, ratione materiæ ad vnum determinatur: Atqui diuina voluntas indifferens est ad opposita, nempè ad esse rerum, & non esse, à quibus tamen independens est, quia contentus est suâ bonitate, & nullâ re extrinsecâ eget, ac proinde omnibus rebus creatis superior ad illas indifferens, ac proinde liber cum summâ independentiâ: Ergo non potest illas determinatè producere, aut non producere, nisi habeat voluntatem internam, quæ id statuat & disponat: & cum sit interna ac proinde à subiecto omninò inuariabilis, liberè tamen obiectum, sibi subijciat; hæc duo concilianda sunt, quæ vix attingit Theophilus suâ Argumentatione: Deum non dici liberè velle à creaturâ extrà se posita, sicuti voluntas nostra ab actu secundo in se recepto, quasi à formâ directè significata per hanc liberè agentis denominationem; sed à primo actu necessario quoad entitatem ratione subie-

cti, qui tamen liber sit, quoad volitionem & nolitionem rei.

Paragraphvs Secvndvs.

Ratio Libertatis diuinæ explicata ab independentia.

Mvlta habet Ioan. à S. Thoma Disp. quarta de voluntate, articulo 3. & 4. & 5. vt probet denominationem liberè agentis competere Deo ratione actus secundi interni quoad libertatem omnino necessarij, qui tamen liberè terminatur ad creaturam. Id vero ex nostris principiis probamus duobus Argumentis, quorum primum ex superioribus sic potest formari. Libertas posita in solo dominio rerum, non actuum potest immutata in se, res quarum habet dominium immutare ad arbitrium, seu illa velle aut nolle producere: Atqui non repugnat dari voluntatem dominam rerum, non actuum, & id genus libertatis perfectissimum, & Deo dignum est: Ergo potest diuina libertas immutata, exerceri per rerum mutationem. Prima propositio euidens est, quia tota mutatio voluntatis liberè agentis, debet esse à propriis actibus; Ergo si domina sit rerum non actuum, quæcumque interueniet mutatio, rebus inerit, non voluntati. Secunda Propositio, seu Minor probatur quoad priorem partem, quod scilicet huiusmodi libertas rerum, non actuum domina, non repugnet: quia libertatis dominium per se expetitur in res, accidentario tantum in actus; cum illud sine isto comparari & exerceri nequit.

Probat secundo S. Doctor, primi contra gentes cap. 82. egregio discursu, cuius hæc summa est. Indifferentia potentiæ ad vtrumlibet ex duplici cap. potest oriri, primo ab ipsa potentia, cum non est suam perfectionem consecuta, per quam ad vnam determinetur; vel ratione obiecti, cum voluntas est indifferens ad vtrumlibet, & à neutro determinatè pendet; sicut, inquit D. Thomas, cum quis instrumentis diuersis potest ex æquo vti ad idem opus perficiendum: hoc autem ad eminentiam potius quam imperfectionem virtutis pertinet, quantum vtrum-

libet oppositorum excedit, & ideò ad neutrum determinatur, sed ad vtrumlibet ex æquo se habet. Id autem maxime conuenit diuinæ voluntati respectu aliorum à se: nam finis eius à nullo externo aut creato dependet, & huic fini quæ est summa eius bonitas, perfectissimè est eius voluntas vnita: nulla est igitur imperfectio, aut potentialitas in voluntate diuina ratione libertatis, nec vllum in actumdominium, sed tantum in res volitas.

Et hoc probatur ratione apertiori & euidentiori, dominium voluntatis creatæ in proprios actus, oritur à tribus defectibus ipsi innatis, quorum primus, & origo cæterorum, est quod voluntas comparetur ad suas operationes, sicut actus primus ad secundum, seu vt causa efficiens ad suos effectus, à quibus distingui oportet, quos possit suspendere, nec eos elicere valeat, nisi à causâ primâ præmoueatur; at diuina voluntas longissimè abest ab his tribus defectibus. Neque enim comparatur vt potentia ad suas operationes, sed concipienda est eius libertas, instar actualissimæ volitionis, quæ vix ratione distinguatur à voluntate, nec suspensionis patiens est, multo minus suspensionis mediæ inter actionem & facultatem: quid ergo ad exercitium libertatis opus est, nisi dominio in rem creatam, in eo statu quo libuerit positam? Quare sicut ad denominationem voluntatis creatæ liberè agentis comparandam, Theophilus nil aliud requirit, præter potentiam & actum liberum elicitum, ita ad libertatem diuinam constituendam, satis est volitio increata cum dominio in res, eius vi & vsu, loco possibilium, aut futurarum positas.

Sed videmur vrgeri eodem Argumento, quo Theophilum premebamus, à discrimine inter exemplum, & rem subiectam; quod cum actus nostri liberi, non solum sint effectus, sed etiam formæ inhærentes, quibus voluntas perficiatur, ab illis directè oritur denominatio libere agentis, & oblique tantum à voluntate: si ergo illud exemplum Deo conueniat, non erit liber per intrinsecum actum, sed per productionem, aut mutationem creaturæ; atque ita directè creatura significabitur productione libere volentis, indirectè voluntas & volitio increata, quod planè euertit non solum sententiam D. Thomæ explicatam, sed etiam doctrinam fidei, & libertatem

diuinam. Si autem velis nomine Dei libere agentis significari actum Dei æternum & necessarium, & obliquè tantum creaturam volitam & producendam, inde grauiores emergunt difficultates. Quî enim fieri possit, vt actus Dei necessarius, quo seipsum amat, & ratione suæ bonitatis res creatas, sit liber & indifferens ad volitionem & nolitionem; cum actus voluntatis creatæ, vbi semel voluntati inhæsit, totum suum effectum formalem subiecto communicet, nec vllam habeat indifferentiam ad suum obiectum?

Vt paucis superiora & quæ supersunt dicenda, ad hanc vltimam difficultatem euincendam perstringamus, & ex principiis nostris repetamus, metienda est libertas ab independentiâ, vt quo hæc fuerit maior, eo sit futura perfectior libertas. Tres autem possumus independentiæ gradus distinguere: primum communem libertati & voluntati creatæ, independentiæ motus quoad exercitium, secundum independentiæ actus improducti, tertium independentiæ quoad specificationem ab obiecto, & terminationem ad ipsum. Singula diuisionis huius membra sunt explicanda.

Certum est nullam esse libertatem, nisi sit maior & superior obiecto, ac proinde ab illo independens, eo sensu quo explicat Ioannes à Sancto Thoma disp. citatâ, art. 4. num. 5. quod scilicet respiciat illa obiecta vt imparia suæ capacitati, & inferiora sibi; quare voluntatem allicere ad summum possunt, non mouere efficaciter, & necessariò ad exercitium. Vnde hanc primam perfectionem libertatis, vocamus independentiam motus quoad exercitium, cuius origo est ipsamet voluntas vt superior obiecto, à quo licet specificari debeat, & allici possit, non tamen subigi, nec impelli ad amorem vel odium ipsius, nisi vt libuerit. Atque hinc oritur dominium voluntatis in res, & in actus suos, quos potest elicere & suspendere. Secundus gradus Libertatis multo altior primo, positus est in independentiâ, à quacumque causa efficiente actum, seu intrinsecâ, qualis est potentia eliciens actum liberum, aut Deus mouens ad illam: & hic gradus libertatis, seu quod idem est independentiæ soli Deo competit. Tertius denique & supremus, multo altior reliquis, etiamsi à secundo oriatur, situs est in independentiâ ab

obiecto, vel alliciente, aut actum specificante.

Vnde fit illum actum liberum, qui his tribus independentiæ generibus gaudet, esse indifferentem ad obiecta quæ vult, aut respicit producenda, quoad terminationem seu volitionis seu nolitionis: nam quod actus nostræ libertatis, semel à potentia egressus, nullam habeat indifferentiam ad volitionem & nolitionem, seu vt obiectum tangat, vel non attingat, oritur ex defectu, libertatis seu dependentiæ, tùm à potentia eliciente, tùm ab obiecto quod supponit non efficit, & à quo speciem assumit: à quibus omnibus defectibus immunis est liber Dei actus, nec egreditur à potentiâ, nec dependet ab obiecto quoad terminationem vel specificationem, sed potius totum obiectum est ab ipso, ad quod terminatur, non per dependentiam sui ab obiecto, sed obiecti à seipso. Hic omnibus adde, tantam esse libertatis increatæ actualitatem, & potentiam in obiecta creata, vt licet habeat indifferentiam actiuam, vt ea constituat in ratione obiecti voliti, aut non voliti, & sub alterura ratione sibi subiecti; non possit tamen manere suspensa ad alteram partem, sed ab æterno debeat se ad alteram partem determinare.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Resoluuntur aliæ difficultates de libertate diuina ex eodem principio independentiæ.

HAc distinctione trium graduum libertatis, seu independentiæ, continentur quæcumque Ioannes à S. Thoma à numero citato vsque ad Art. sextum, more suo magna subtilitate versat, sed pluries repetit: omnia autem ipsemet complectitur Articuli quinti Num. 17. cùm respondet ad illam interrogationem, quid sit illa terminatio, ad quam dicimus actum Dei necessarium esse liberum aut indifferentem, an sit realis intrinseca, an extrinseca Deo? Respondet consentanee ad tertium gradum independentiæ (quo vno resoluit omnia) esse intrinsecam entitatiuè, cum vi & potestate super extrinsecâ. Quia hæc terminatio non est aliud quam ipsemet actus Dei realis

in tertio independentiæ gradu constitutus, seu vt ipse loquitur ipsa summè independens actualitas Dei, quâ sibi subiicit hoc obiectum, illudque determinat, vt sit obiectum suum vt futurum vel non futurum, sicut actio creatiua vt inest Deo, est eius actualitas attingens creaturam, à quâ nec specificatur, nec vllâ ratione pendet, sed potius per summam illam independentiam sibi subiicit veluti dependentiæ vinculo.

Ita se habet volitio diuina ad obiecta libera, quæ per summam independentiam constituit in esse voliti. Nam vt D. Thom. obseruat quæst. 23. de veritate art. 4. ad 5. voluntas habet duplicem respectum ad suum obiectum; primum vt est quid volitum; secundum vt quid actu producendum: & hic secundus respectus supponit primum. Et inter vtrumque D. Thom. hanc differentiam constituit summè notandam prima parte, quæst. 14. art. 15. ad primum, quod primus respectus rei volitæ aut cognitæ, sit æternus & immutabilis, quia habet pro fundamento, actum cognitionis, aut volitionis diuinæ æternum, quo se ad alteram partem determinat ex vi summæ actualitatis, quæ suspensionem non patitur: respectus verò producti, à quo Deus denominatur creans & dominus, habet pro fundamento creaturam, quæ est terminus productionis diuinæ: & ideo hic respectus temporalis est, alter æternus.

Hinc etiam resoluit Ioannes à S. Thoma eodem Articulo Num. 6. quæstionem illam difficillimam, an Deus possit in tempore velle aliquid noui sicut creare. Suarez non putat illi hoc repugnare ratione physicæ immutabilitatis, sed moralis tantum: quandoquidem determinatio ad alteram partem facta ab æterno, nihil addit Deo, nisi relationem rationis: Ergo si fieret in tempore, non accederet maior mutatio, quam respectus rationis. Sed hanc quæstionem occupauimus, cum diximus Deum ratione actualissimæ libertatis, non posse manere suspensum; sed debere ab æterno se determinare ad rei volitionem & nolitionem: quâ summâ actualitate careret, si maneret suspensus, vel propositum mutaret: Ergo non ex solâ inconstantiâ, sed ex immutabilitate physicâ repugnat Deum mutare consilium in tempore, aut nouum inire. vnde respectus ille rationis qui consequitur creaturam à à Deo volitam, & cognitam, astruitur vt suo fundamento

actioni immanenti Dei & necessariæ, non solùm vt est entitas increata, sed etiam vt est libera, seu vt attingit obiecta quæ vult, & amat.

Ex eodem fundamento addit Num. 7. actionem Dei liberam, vt terminatur ad creaturam, mensurari æternitati indiuisibili: ex quo infert ad exercitium libertatis non requiri duo instantia realiter distincta, sed vnum sufficere, idque multò verius est de instanti æternitatis indiuisibili & infinito: ad hoc enim satis est vt priùs naturâ potuerit Deus terminari per nolitionem, aut volitionem ad idem obiectum.

Ex eodem fundamento Num. 4. soluit Argumentum Vasquez: non videtur posse intelligi extremis, & causis inuariatis, sequi diuersum effectum: Atqui mutatio nulla est in voluntate diuina immutabili, neque in termino seu creatura: quia, si quæ esset, deberet oriri à voluntate diuinâ, quæ tamen supponitur immutata: vnde ergo existet ille transitus creaturæ à statu possibili ad futurum? Vi huius Argumenti penè oppressus Vasquez, putat non posse euitari circulum vitiosum, ideo velle Deum rem quia futura est, & futuram, quia vult. Ad illud Argumentum respondetur ex dictis, illud Axioma extremis immutatis semper eumdem sequi effectum, vel statum rei, id verum esse si extrema eodem modo se habeant, actiuè & passiuè, secùs verò, si actus diuinæ voluntatis in se passiuè immutatus, alia immutet actiuè; quod posse diximus ex eo capite, quod sit in supremo gradu voluntatis liberæ independentis, quæ vt actiuè immutet non eget passiuè immutari, & immutat contingenter, si extremum in quod agit, quod sibi subiicit, sit contingens, inadæquatum nec sibi necessarium.

Si autem quæras, qua ratione ille actus indifferens immutet, & tangat obiectum, volitione potius, quam nolitione? Respondet ex eodem fundamento Art. 4. Num. 10. & 11. à nullo determinari, sed à seipso id facere: quia est purè, & primum determinans actiuè, & à nullo passiuè determinari potest; quod illustratur egregio loco D. Thom. ex quæst. 23. de veritate art. 5. ad 1. vbi docet S. Doct. ex voluntate sequi effectum, eo modo quo voluntas disponit, non eo modo quo habet esse; sicut accidit causis naturalibus, in quibus attenditur similitudo,

secundùm

secundum conditionem causæ & effectus; cum tamen in causis voluntariis, assimilatio consequatur secundum quod in effectu impletur voluntas agentis; vnde fit vt licet actus volitionis & nolitionis sit necessarius, ex eo tamen sequatur habitudo contingens, ratione limitationis obiecti, quod non est adæquatum actui immanenti & necessario; qui cum totus sit actiuus, & nullomodo passiuus, potest fuudare ex seipso habitudinem volendi, potius quàm nolendi; atque ita dicitur operari Deus secundum consilium voluntatis suæ: quia cum consilium sit de agendis, nec voluntas diuina determinetur passiuè ab obiecto & ab agendis, ipsa est primum & summum determinans, & ideò ipsa est sibi consilium.

Ex eodem gradu independentiæ soluit Argumentum difficillimum Art. 5. à Numero 13. vsque ad finem: & maximè notanda est doctrina, Num. 7. tradita, vbi ait, nobis in hâc re imponi ab imaginatione, & ideò semouendam, cum agitur de libertate diuinâ, quæ concipienda est oppositio omnino modo ad libertatem creatam. Nam libertas Dei exigit actum omnino necessarium, quia non elicitur à voluntate, nec dependet aut specificatur ab obiecto, sed potius constituit obiectum. Si igitur sit actus purus improductus, semper & necessario Deo conueniet; si non specificetur, nec dependeat ab obiecto libero, sed potius è contrà obiectum ab ipso pendeat, quamuis obiectum deficiat, ipse actus perseuerabit, nec poterit deficere, sed tota libertatis ratio in eo sita erit, vt cum summâ independentiâ sibi obiectum subiiciat, ac proinde obiecto pereunte, nihil deperit actui, aliàs non esset summè independens & summè necessarius.

Vnde in rebus creatis, hoc libertatis arcanum nullum habet exemplum quo explicetur: quia omnes formæ creatæ relatiuè habent suam entitatem cum dependentiâ à termino extrinseco, quo sublato, deficiunt; sola diuina volitio est actus omninò independens ab obiectis, & ideò summè in eo liber, & in se necessarius, qui immutatus in se immutat, & constituit obiecta vt vult. Neque enim forma volendi in Deo liberè se habet, vt actus nostri, qui cum ab obiecto specificentur, constituunt voluntatem liberè volentem, sine vlla indifferentia: actus autem diuinus licet insit necessariò subiecto, ad obiectum

tamen comparatur actiuè, quia illi communicat, vt sit suum obiectum, & transfert à statu possibilis ad statum futuri; & ita reddit subiectum liberè volens, & operans effectum. Et in eo modo se habendi actiuè ad obiectum, consistit libertas, seu denominatio liberè volentis, quæ potest adesse, & abesse, non ratione actus, sed ratione terminationis, & connotati contingentis.

Ex eâdem doctrinâ trahit ad suum & verum sensum opinionem Caietani prima Parte quæst. 19. art. 3. vbi distinguit duplicem actus liberi perfectionem, intensiuam vnam à subiecto, extensiuam alteram in ordine ad obiectum: & hæc non addit perfectionem etiam extensiuè Deo, sed potius communicat aliis. Atque hæc est mens Caietani vt explicat Ioan. à sancto Thom. Art. 4. Num. 16. & eodem Art. Num. 12. In eumdem sensum explicat Suarem, quatenus tamen distinguit actum liberum à necessario, ex inadæquatâ explicatione eiusdem actualitatis versus obiectum: quia non debet se necessario & adæquatè explicare quoad omnem rationem. Hoc enim est mirabile, & eminentissimum in Deo; quod cum sit in se immutabilis; & mutet omnia, habeat in se actum & operationem actualissimam; & tamen non sequatur effectus necessario, sed contingenter, quia se inadæquate explicat: & hæc explicatio vt sic loquar, non debet intelligi in ordine ad effectum, vt effectus formalis, sed in ordine ad obiectum, quod cum summâ independentiâ immutat, & sibi subiicit.

Ex eodem autem principio eodem Art. Num. 13. & primâ conclusione à Num. 2. probat libertatem Deo maximè intimam, & formalem; quia sita est in summâ actualitate & necessitate perfectionis intensiuæ, quæ habet vim immutandi obiectum, non quomodocumque, sed vt volens: Ergo primo & per se dicit actum voluntatis Deo intimum, & connotat rem ad extrà, vi illius voluntatis constitutam in ratione obiecti.

Ex quo deducit Num. 14. illam habitudinem, seu relationem, quam concipimus in volitione diuinâ ad rem connotatam, non esse constitutiuam actus, sed potius quid ad illum consequens: quia aliàs actus Dei immanens, specificaretur sicut nostri ab ipso obiecto; cum tamen summam & absolutam ab illo independentiam

habeat, & sibi subijciat: & ideo obseruat Num. 6. melius dici creaturam diuinæ voluntati subijci, quam obijci: quia non comparatur ad illam vt obiectum antecedenter mouens, sed vt effectus consecutus. Et si dicatur obiectum volitum, aut productum, hanc rationem participat ab ipso actu libero.

Vnde concludit, optimas & à priori esse has ex scripturâ, & ex Theologis consecutiones, vt Psalm. 17. *saluum me fecit quoniam voluit me*, & ex Iob primo, *sicut Domino placuit ita factum est*, homo est quia Deus vult: nam hæc causalis exprimit actum Dei liberum, qui reuera est causa rerum, ratione summæ suæ actualitatis intrinsecæ. Quare nullo modo admittendus est Vasquez, qui dicit in hac re vix posse euitari circulum vitiosum: ità esset si voluntas diuina constitueretur liberè volens, per creaturam intrinsecè terminantem eius actum, aut per productionem extrinsecam effectus temporalis. Sed præter quod iam probatum est, libertatem Dei positam in summâ independentiâ cum dominio in res; efficaciter confirmatur nostra sententia, & refellitur opinio Aureoli & Vasquez, ex hoc quod vt ipse fatetur, vix possit euitare circulum vitiosum in eodem genere causæ, qui omnino libertatem & efficaciam diuinæ voluntatis euertit. Hoc aduerto ex eodem Art. 5. Num. 1. libertatem diuinam cum omnipotentiâ conuenire, connotatione creaturæ vt obiecti, & effectus, cum hoc discrimine, quod omnipotentia respiciat creaturas in esse possibili, quæ est denominatio necessaria, & ideò omnipotentia non est libera respectu possibilium, licet creatura possibilis sit illi inadæquata: voluntas autem libera est in ordine ad sua obiecta, quia transfert illa ad statum existentium, vel statuit ne producantur.

Paragraphvs Qvartvs.

Solutiones Argumentorum Aureoli ex Capreolo.

Hinc Capreolus loco citato, soluit Argumentum difficile Aureoli: omne volitum volitione necessaria, & eâdem qua finis necessario amatur, non est volitum li-

berè sed necessario : Atqui creaturæ sunt volitæ à Deo eodem actu necessario, quo suam bonitatem amat : Ergò sunt necessario volitæ. Ad hoc Argumentum negat maiorem Capreolus, aut distinguit, amari necessario, si volitio in se necessaria, habeat etiam necessarium transitum in rem volitam : at diuinum velle in se necessarium transire contingenter supra creaturam.

Sed contrà instat Aureolus: Transitus diuini velle supra creaturam non est contingens à fundamento, quod est diuinum velle necessarium, neque à termino scilicet creatura; quia antequam producatur non est, ac proinde non est contingens. Ad hoc Negat secundam partem Argumenti Capreolus : quia, inquit, futura dicuntur contingentia, licet non sint, & res sunt contingentes, non quia habent aliquod esse, sed quia esse possunt, & non esse.

Visum est hæc ex duobus profundissimis Thomistis colligere, tum ad istam difficultatem inexhaustam vtcumque illustrandam : Tùm vt comprobarem, quæ Ioan. à Sancto Thom. subtilissimè excogitauit, contineri nostris duobus obseruationibus, & vix posse diuinam libertatem explicari, nisi ad independentiam confugiamus, in quâ libertatis rationem constituimus. Atque ex illâ præter relatas differentias inter nostram & diuinam libertatem, tres alias summè notandas deducimus.

Primam alio loco explicuimus, quæ in hoc est posita, quod cum diuina libertas à bonis omnibus creatis sit summè independens, nec ab illis specificari, vel etiam aliter possit, à solâ bonitate increatâ perficiatur : non astringatur ad meliora, & conuenientiora opera sectanda, quandoquidem nihil confert ad eius perfectionem, quæcumque bonitas creata maior. Vnde fit quæcumque Deus eligit, & ad suam bonitatem refert, eo ipso euadere optimum.

Hinc oritur secundum discrimen, quod nostræ libertatis vera indifferentia, egeat temperamento ex subordinatione ad finem assequendum & fruendum : quia è multis quæ ratio proponit, quædam iuuant, alia nocent, & ex iis quæ sunt honesta & vtilia, vnum præ alio potest magis conferre : sed ad Dei perfectionem aut felicitatem quæcumque bona creata quamlibet inæqualia, perinde habent ex summâ illâ independentiâ, vnde oritur abso-

luta, & par ad hæc omnia diuinæ voluntatis indifferentia.

Tertium discrimen addit Ioan. à Sancto Thoma. art. 5. num. 10. quod cum omnia bona creata sint indifferentia Deo, non opus habeat ad illorum electionem vnius præ alio, sicut nos, iudicio practico aut imperio: sed sufficiat cognitio per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ, vt inquit Sanctus Doctor quæst. prima de potentia art. 5. ad vndecimum, omnium quæ Deus potest, habet rationes quasi excogitatas, & motiua præsentia: & vt inquit S. Doctor, eodem Art. ad 14. optima ratio quâ Deus omnia facit, est sua bonitas & sapientia, quæ manerent etiamsi alio vel alio modo facerent: & ad 15. addit, illud quod facit Deus esse optimum per ordinem ad suam bonitatem: & ideo quidquid aliud est ordinabile ad eius bonitatem, est optimum secundum ordinem suæ sapientiæ. Et si quæras à quo iudicio magis determinetur Deus è pluribus motiuis æqualiter propositis; Respondet ex merâ suâ voluntate, seu vt loquitur Apostolus, Ephes. 1. secundus consilium voluntatis suæ, quia cum comprehendat omnes rationes, non indiget consilio repetito à re creatâ eligenda: sed tota ratio vertitur in voluntatem, quæ omnibus motiuis comprehensis, se ipsam determinat. Et hoc certum censet de voluntate diuinâ, quod alibi negat de creatâ, & tenent Recentiores, è duobus bonis æqualibus æqualiter propositis, posse sine nouo motiuo, aut iudicio, quod libuerit eligere, idque ratione summæ actualitatis, quâ non potest sicut nos debemus ab ipsis obiectis determinari. Hæc sufficiant de difficultate insuperabili.

Articvlvs Tertivs.

De Libertate creatâ vt subest Dei præscientiæ & motioni.

Invictvm nostræ sententiæ de libertatis naturâ præsidium comparauimus à creatâ libertate Christi, & increatâ Dei; vnde illi ruinam Theophilus moliebatur. Sed grauius nobis putat impendere periculum à prædefinitio-

nibus æternis, & motionibus externis; quibus dùm voluntatem alligamus, aut subijcimus absque scientiæ mediæ beneficio, censet nos funditùs libertatem tollere. Atque hoc est præcipuum nostræ disputationis caput, magis quam duo superiora inter nos controuersum. De libertate Christi & Dei, multis conuenimus: at de nostra vt præscientiæ decreto Dei, & motioni subest, non aliâ re consentimus, nisi iis quæ saluâ fide negari, aut in dubium reuocari nequeunt. Quidquid Deus ab æterno statuerit, aut quacumque ratione nostras præuiderit operationes, vel ex tempore iuuerit, necesse est incolumem esse voluntatis libertatem, & cum Dei præscientiâ & concursu conuenire. Qua vero ratione hæc concordia fiat, inter nos sumus omnino discordes: Thomistæ volunt fieri in *sublimibus*, vi omnipotentiæ diuinæ: Recentiores contendunt omnipotentissimam virtutem libertati exitialem, & solâ scientiâ mediâ posse sub diuinâ prouidentiâ seruari.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Singularis opinio Ludouici à Dola.

INTER has extremas sententias, mediam & tertiam statuit Ludouicus à Dola ex Familia Capucinorum Theologus Sequanus, qui libro in hanc rem scripto, damnat prædeterminationē Physicam, & scientiam mediam; vnde docet nostram libertatem, & Dei sanctitatem, non posse stare nisi cum Durando, & Aureolo, concursum simultaneum Dei in nostras actiones liberas negemus. Nam vt Thesium de hoc Argumento editarum septima ait, assertores scientiæ mediæ demonstrare efficaciter, opinionem asserentium Deum Physicè determinare voluntatem nostram, & concurrere cum illâ influxu indistincto & simultaneo, ad quascumque actiones bonas aut malas, plurimùm laborare, in saluandâ libertate nostra & diuina sanctitate: vicissim ait Thesi octaua Prædeterminantes bene attendere stante principio de concursu simultaneo, quod est commune omnium concurrentium, impossibile esse Deum voluntati cooperaturum explorare, expectare & consulere voluntatem creatam, & præuidere quid sit ipsa operatura,

si decernat concurrere ad ipsam operationem, eo quód ante decretum concurrendi, voluntas creata non appareat Deo, nisi qualis est ex se, secundum ipsos omnino impotens ad operandum: nec reperire hactenùs potuerunt, quid sit illud, ad quod attendens Deus, cognoscat & decernat exhibendum nunc esse, nec priùs, nec posterius, concursum creatæ voluntati operaturæ, eumque determinatum huius potius quam illius speciei; quamuis confugerint alij ad determinationem voluntatis formalem aut virtualem; alij ad ipsius propensionem, aut ad genericam rationem actionis; alij quid voluntas esset operatura, si se sola esset actiua; alij denique ad alios dicendi modos.

His ex Thesibus delibatis, Theophilus opinionis huius nouenticulæ impugnationem aggreditur cap. 5. graui querimoniâ, & mirari se ait, quorsum author scripserit, cardinem controuersiæ inter Præmotionis & scientiæ mediæ assertores, in eo verti, vt amoueatur ab vtrisque concursus simultaneus, ad nostras actiones necessarius: quasi pax inter vtrasque sit futura, si ab illo principio de concursu Dei, mutuo consensu recederent.

Verum Theoph. non capit mentem illius Theologi, neque reuera carpit quod purgat; quasi putet nostræ libertati repugnare concursum simultaneum: neque illud objcit, sed aliud insuperabile Argumentum, non posse scilicet constitui ab assertoribus scientiæ conditionatæ, medium quo eius certitudo nitatur: & probat euidenter enumeratione, & refutatione nouem dissidentium opinionum de hac re: & omissis pluribus aliis, quæ infrà explicabimus, profecto discordes Aduersariorum sententiæ, & confusæ voces, ostendunt insuperabilem esse difficultatem, in obiecto huius scientiæ statuendo. Et stupendum mihi videtur, illud quod præ aliis suscepit defendendum Aduersarius, nempe Deum præscire futuras sub conditione operationes, ex inspectione rei omnino chimericæ, aut repugnantis, quid scilicet eâ conditione positâ, factura esset voluntas, si sola posset agere sine vllâ dependentiâ à Deo coagente. Sanè si eò angustiarum compellamus Aduersarios, vt scientiæ mediæ asylum quærant, in eâ conditione conficta, quid factura esset creatura si nullus Deus adesset, qui iuuare posset, aut quo ipsa egeret, immeritò

dixit Carterius, nos ad scientiam mediam impugnandam, solis conuitiis posse agere, de quo aliquid mox dicemus.

Sed ad Ludouicum redeamus, cuius opinionem toto illo capite exagitat Theophilus & probat non carere periculo erroris communi suffragio Scholasticorum, quos latè refert à Num. quinto ad vndecimum. Addit loca SS. PP. Sed non illi assentior, cùm ait, in eo positum esse errorem Pelagij, quod concursum simultaneum negauerit: nam quidquid sit de illius sensu, cum primum à fide defecit, certum est progressu disputationum cum D. Augustino, agnouisse auxilium cooperans, imo & gratiam cooperantem, & totam controuersiam eò deductam, an esset moralis, vel Physice mouens. Sed supersedeo ab hac controuersiâ, quam ipse prosequitur à Num. 12. ad 16. Affert autem Philosophorum testimonia, inter quos refert Aristotelem, quem ex Guillielmo Parisiensi, & Lessio, dicit negasse concursum simultaneum. Id vero omnino falsum est, cum ex præuio deducat nos ad Dei existentiam vt primi efficientis immoti.

A Num. 20. Argumentis agit à ratione repetitis, quorum efficaciſſimum est illud ad hominem, neque enim ausus est negare concursum Dei ad omne genus actionum, sed tantum liberarum: sed immeritò eas ab huiusmodi lege eximit, cui subijcit necessarias: tum quia causa huiusmodi indigentiæ & dependentiæ à Deo influente, est ratio entis participati, perinde communis actionibus liberis, ac necessariis, aliisque rebus creatis. Deinde non potest voluntati huiusmodi independentiæ ius conuenire, nisi hoc nomine, quod habeat virtutem integram, plenam, immediatam ad eliciendas suas operationes; quæ proinde non egeat ope aliena: Atqui voluntas libera non est efficacior seipsâ, vt elicit actus necessarios & indeliberatos, vel aliis causis necessariis: Ergo si operationes liberæ non egeant concursu Dei, idem est de necessariis statuendum. Idque verisimilius, tùm quia sublimior est operatio libera, quam necessaria cognitionis expers: tum quia causa necessaria est propior actioni, seu ad illam propensior & magis determinata, quam sit libera.

A Num. 26. ad finem vsque, per plures numeros, & paginas, totus est in enodandis difficultatibus, quæ vrgent

scientiam mediam: quibus eo arctius se implicat, quo magis enititur se exsoluere; vt planè videatur esse mus in pice. Neque euitare potest grauissimum illud paradoxum, Deum si ex scientiâ mediâ futurorum exploratrice, res futuras statuat, agere cæco modo; præsertim si huiusmodi scientia nitatur inspectione eorum quæ actura esset voluntas, si se solâ ageret independenter à Deo. Et hoc sensu explicat alium modum, si per Deum non stet, vt agat; quod dupliciter potest intelligi: primo si voluntas nulla re egeat Deo, secundo si Deus nihil neget influxus, quem debeat conferre. Priori sensu hunc modum explicat, qui proinde coincidit cum primo; sed vterque chimericus est, omnino impossibilis, & indignus Deo.

Vnde Ludouicus illud Argumentum ex triplici capite vrget; primo quod suppositio illa non minus repugnet, quam ens creatum, esse improductum. Et licet ad disputationem admittantur suppositiones impossibiles per locum extrinsecum, vt cum sublatâ risibilitate ab homine, manet essentia, & verè rationalis dicitur: huius generis est suppositio receptissima apud Theologos, an processio Spiritus sancti à Filio sit ita necessaria ad distinctionem vtriusque personæ, vt eâ sublatâ desinant esse duæ. Est quidem suppositio impossibilis per locum extrinsecum, nempe à Spiratione actiuâ, quæ est proprietas Filii, non forma hypostatica, seu constitutiua personæ: suppositio autem voluntatis creatæ independentis à Deo, & à seipsâ operatiuæ; est primi generis impossibilium per locum intrinsecum.

Deinde eâ admissâ, nulli vsui esse potest, vt præluceat diuinæ voluntati, ad concurrendum cum nostrâ voluntate, nisi cum summâ cæcitate & ignorantiâ. Nam cum Deus inspicit voluntatem ex se quasi operantem; vel producit, ac præuidet sub conditione eosdem numero & specie actus, vel diuersi generis: primum repugnat, secundum inutile est ad præscientiam, & prouidentiam diuinam: Ergo huiusmodi cognitio (esto esset possibilis) est omnino indigna Deo.

Ad hoc Argumentum concedit, & negat Aduersarius vtramque partem, & vult esse eiusdem speciei, aut diuersi generis. Sed primum apertè repugnat, nam voluntas operatiua ex se independenter à Deo, esset impeccabilis,

infinita : quî ergo fieri potest, vt conueniat iisdem numero & specie actibus, cum voluntate peccabili, & indigâ concursus Dei? Si vero diuersi sint generis, & ordinis operationes, non magis inseruient ad prouidentiam diuinam, quam speculator, qui referret Duci exercitus, non longè abesse agrum carduis & arbustis instar aciei ordinatis plenum, vt ex illo nuntio paret se perinde ad pugnam, ac si hostis accederet. Quis credidisset eo pruriginem & licentiam ingeniorum deueniisse, aut eâ vertigine circumagi potuisse, vt totum prouidentiæ diuinæ cardinem, constituant in cognitione, nescio quâ exploratrice, vel actionis chimericæ eliciendæ à creaturâ, si esset Deus: aut quod perinde est, si se sola posset agere independens à Deo, seu si per Deum non stet, quod nihil posset ad illam operationem conferre: seu quod aliud non minus graue absurdum est à Theoph. vorandum, Num. 35. Deum videre operationes futuras sub conditione, ac proinde omni causalitate ad existentiam necessariâ iam exercitâ, nullo tamen à se concursu adhibito; seu quod non minùs graue est, scientiam illam conditionatam niti vt medio, intentione virtuali, quæ nec sit nuda potentia, nec operatio formalis, sed quid medium ab hoc vtroque extremo distinctum?

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Singularis opinio Theophili de scientia media refellitur.

E Tribus sententiis initio huius Paragraphi relatis, duas expendimus, nempe mediam & singularem Ludouici, quæ ab actibus nostris liberis immediatum Dei concursum semouet, & alteram extremam, quæ huiusmodi concursum in nostras operationes scientia media fulcit. Vtramque impugnauimus eodem ferè Argumento: quamuis enim in speciem plurimum dissideant, in idem tamen videntur hoc incommodum delabi, quod ens per participationem eximant à dependentiâ entis per essentiam. Id de Ludouici opinione euidentius probatum est, quam vt sit opus reperere: non minus apertum est

de sententiâ Recentiorum, eâ saltem ratione quâ defenditur à Theophilo Num. 28. vbi statuit suppositionem voluntatis præuisæ se solâ operantis, ex quâ veritas nascatur conditionata, quæ Deum latere nequeat, & quæ sit tanti momenti, vt ex illâ, id est, ex præuisione actus futuri independenter à concursu Dei, tota dependeat Prouidentiæ diuinæ œconomia, seu de rebus naturalis ordinis, seu supernaturalis statuat.

Et ne imprudenti, aut minus cogitanti credas tam grande absurdum excidisse, illud repetit eodem capite responsione ad secundum Num. 35. vbi ità habet, *operatio creaturæ non antecedit actu, & reipsâ concursum diuinum, sed tantum conditionatè, quatenùs ante concursum Dei exhibitum actu, obicitur diuino intellectui operatio voluntatis creatæ, tanquam exoritura ab eâ, si ipsa voluntas solâ se posset agere. Ea autem antecessio conditionalis, quia non extrahit rem è statu nihili, non exigit concursum diuinum de facto exhibitum; sicut nec rei tantum possibilis conditio apposita, extrahit reipsâ actionem è statu meræ possibilitatis. Sed quod spectat ad essendi actualitatem, actio conditionaliter futura, aquè est nihil, ac ea quæ est merè possibilis pro quâ nullus Dei concursus actualis exigitur.*

His omnibus duo oppono: primo, quod inferebam contra communem sententiam, eam veritatem, futuri conditionati, à quâ pendet tota prouidentia diuina, absolutam esse, & omnino independentem à quocumque Dei concursu etiam præuiso. Nam si præuideatur Dei concursus sicut causæ, non supponit voluntas agere se sola. Id verò sapientes iudicent an excusari possit impietatis, Dei prouidentiam dependere à re omnino à se independenti. Aliud apertius absurdum ex illa Responsione est insinuatum inferri, quod nunc vrgeo. Vel vis futurum conditionatum esse, & cognosci tantum intrà statum rerum possibilium, & de illis idem statuendum; vel futura huiusmodi vis cognosci vt habent plus actualitatis quam possibilia? Quodcumque dixeris absurdum est & impium, dari veritatem, cognosci existentiam quasi conditionatè exercitam de futuro hypothetico, independenter à causâ primâ, & ab eius influxu: Ergo admitti neutra pars huius responsionis potest. Minor quoad primum ipsamet possibilia non habent suam possibilitatem,

independenter ab omnipotentiâ diuina: Ergo nec futura, quâcumque ratione concipiantur, habere possunt futuritionem independenter à causâ prima, quia ad minus ab illa dependent æque ac possibilia.

Deinde immeritò possibilibus æquiparantur futura etiam conditionata: quia secundum rationem futuri, non videntur in causâ, sed in seipsis secundum existentiam absolutè, aut conditionatè ponendam, & præuidentur terminare actionem omnium causarum, quæ ad illorum productionem, & existentiam necessariæ sunt. Neque illam aliud impedit, aut suspendit, quam suppositio conditionis, quâ semel determinatâ, futurum in se videtur absolutè, vt terminus omnium causarum à quibus pendet. Vnde insto: vel inter huiusmodi causas ad futuritionem, seu existentiam rei ponendam, & cognoscendam in seipsâ, annumeratur concursus causæ primæ, vel excluditur: si primum asseras, tecum pugnas, quia vis illud futurum dependere ab influxu Dei, a quo ex tuâ suppositione erat absolutum. Si verò tum assertum aliud defendas, vide in quod absurdum & impium delabaris: vis cognosci futurum in seipso, vt terminum omnium causarum, quas ad sui existentiam & veritatem exigit, exclusâ primâ quæ ad possibilitatem rerum necessaria sit. Videat Theophilus quâ ratione possit eius influxum semouere à rei futuræ existentia, cuius veritas & cognitio vt à Deo independentem facit, est totius diuinæ scientiæ vnicum fundamentum.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Vera explicatio concordiæ nostræ.

REFVTATIS ergo duabus opinionibus, superest tertiæ & nostræ veritas quâ libertatem operationum humanarum defendimus. Potest confirmari Argumento ex totâ hâc Disputatione repetito, tum à sufficienti diuisione: si nequit defendi libertas, semoto omni influxu Dei, vel adhibitâ præuiâ scientiâ mediâ, ne Deus cæco modo agat, sequitur necessario admittendum influxum præuium; neque enim superest alius modus, conciliandi

iura noſtræ libertatis cum iuribus cauſæ primæ: Ergo hæc noſtra ſententia eſt admittenda.

Probatur 2. Argumento ad hominem ſub hac forma, ſi operatio voluntatis, eſt eo liberior quo plus indifferentiæ habet, minus dubitandum eſt de uoſtræ libertate voluntatis, vt ſubeſt prædefinitioni æternæ, & motioni externæ Dei, quam de libertate voluntatis Chriſti impeccabilis, vt res Patris præcepto & conſilio preſcriptas implet: Atqui impotentia peccandi & diſcedendi ab imperio Patris, non abſtulit ab eo libertatem: Ergo multo minus auferet à nobis prædefinitio, & motio diuina, etiam ſi infallibiliter in ſenſu compoſito & neceſſario ſecundum quid ex ſuppoſitione rei effectricis libertatis, inferat actum. Quâ verò id ratione fieri poſſit ſine repugnantiâ cum verâ libertate, dictum eſt ſupra, eodem ſenſu diuerſis verbis explicari à Thomiſtis, Chriſtum liberè elegiſſe mortem ſibi præceptam quatenus indifferens erat ad illam negatiuè, non priuatiuè vt loquitur Aluarez, vel Materialiter non formaliter, vt dicunt Zumel, & Bannes, vel ſecundum nos vt indifferens erat ad amandam & odio habendam rem abſolutè ſecundum ſe, non prætermiſſo, ſed ſeruato ordine finis, quod vnum requirit vera libertas, vt probatum eſt collatione libertatis cum ratione, & illuſtratum exẽplo concluſionum probabilium, & demonſtrationum.

Atque in hoc id obſeruandum eſt ad dictorum lucem: hoc maxime pertinere ad rationis diſcurrentis, & artis ſylogiſticæ officium; vt ſi proba ſit conſequentia, conſequens admittatur vt verum abſolute, & ex aſſenſu illationis ſequatur aſſenſus indubitatus rei aut probabilis, aut neceſſariæ, iuxta vim & conditionem illationis conſecutæ ex neceſſariis, aut probabilibus præmiſſis. Inde eruitur diuiſio inſinuata Concluſionum in tria genera; primi ſunt concluſiones neceſſariæ, & euidentes quoad conſecutionem & conſequens, ſeu ſecundum illationem & rem illatam: quales ſunt veræ demonſtrationes. 2. Et medii generis, ſunt concluſiones neceſſatię quoad illationem, ex principiis euidenter probabilibus, non tamen quoad rem illatam, cui non poteſt proindè intellectus adhærere neceſſariò, & indubitato aſſenſu, ſed tantum dubio, & ſuſpenſo. Vnde cum lex artis demonſtratiuæ exigat aſſenſum illationis, & rei illatæ

necessarium, & hic sit euidentia deductionis cum inuidentiâ rei deductæ, assensus inde consecutus magis pertinebit ad probabiles secundi generis, quam ad primi ordinis necessarias conclusiones.

Præterea cum electiones voluntatis respondeant ordini conclusionum probabilium; sicut harum duplex est, probabilium quoad illationem & rem illatam, vel probabilium quoad rem illatam, & quæ necessariæ tamen sint quoad euidentem illationem: ita duplex est electio constituenda, prima voluntatis impeccabilis, de re præceptâ quæ respondet assensui quoad modalem propositionem, & illationem euidenti, sed quoad veritatem rei tantum suspenso & formidoloso: electio autem voluntatis de re præcepta vt subest præmotioni diuinæ accedit ad conclusionem probabilem quoad consecutionem, & rem deductam: & sicut antiqui de sapiente dicebant nunquam opinari, ne in erroris periculum incurreret; quia licet videret interdum rem euidenter probabilem, & huius rei indubitatum assensum præberet, putabat ad prudentiam pertinere, quoad rem illatam iudicium suspendere, quâ ratione puto se Angelos habere in huiusmodi rebus probabilibus. Ita voluntas impeccabilis Christi, & Beatorum se gerit, & affecta est in res sibi præceptas. Illis necessario adhæret vt præceptæ sunt; quod nihil est aliud quam non posse peccare: esto ipsis rebus Materialiter; Absolutè, Negatiuè spectatis, minus adhæreant & afficiantur, quam mens Angeli & sapientis assentiatur absolutè rebus etiam euidenter probabilibus. Voluntas autem viatorum vtroque capite differt à voluntate Christi & Beatorum, eorumque electio respondet conclusioni quoad illationem, & rem deductam tantum probabili. Hoc autem differunt, quod viatores minus adhærent rei formaliter vt præceptæ & magis afficiantur rebus absolute in se spectatis.

Ex his omnibus elucet veritas vtrique electioni communis, diuersa tamen multis differentiis summè notandis, quibus innumera diluuntur quæ Theophilus Partis secundæ cap. 1. & Philadelphus obijcit inter suspecta & pugnantia. Hinc enim euidens est, primæ electionis necessariæ quoad vnionem cum fine vltimo & fugam peccati, indifferentem tamen quoad rem præceptam Nega-

tiuè & in se spectatam, intensiuè perfectiorem esse libertatem, quia tollit tantum potentiam peccandi, & discedendi à fine vltimo: libertatem vero quæ inest electioni quoad rem Materialiter & Formaliter præceptam indifferenti, esse extensiue maiorem, etiam si attendamus voluntatem vt subest diuinæ motioni ad actum bonum determinanti: quia sub hoc statu voluntas viatoris non est determinata ad huiusmodi actum bonum, nisi infallibiliter nulla ratione necessaria nisi in sensu composito, ex suppositione actus liberi, quam non ponere poterat, positi liberè & infallibiliter, cum quo negatio illius repugnat. Et hic est verus sensus compositus, non quem affingit nobis Theophilus cap. citato.

Voluntati autem impeccabili repugnat actus peccati, seu quod est idem negatio rei præceptæ Priuatiuè, seu prætermisso ordine finis etiam in sensu diuiso: neque enim vt suprà diximus, voluntas Christi ex visione beatâ impeccabilis, poterat in sensu diuiso peccare, vt coactus est fateri Theophilus, licet aliter senserit de impeccabilitate eiusdem voluntatis ex vi vnionis hypostaticæ, cui tantum contulit impotentiam peccandi, ex solâ congruentiâ auxiliorum quæ ex scientiâ mediâ Deus illi suppeditabat, sufficiens congrua his quæ incongrua videbat: quæ impeccabilitas est merè extrinseca, qualis confertur iustis & electis: Et hanc concedit tantum Deiparæ Theophilus, quâ in re, ne quid grauius dicam, videtur parum eius honori consulere. Sed quid mirum cùm aliud ius immunitatis à peccato non asserat ipsi vnioni hypostaticæ; quod iunctum sit cum potentiâ intrinsecâ ad peccandum, & omnipotentiâ Dei illi accincta & parata ad concurrendum influxu ad bonum & malum indifferenti. Certe si quid simile nostris Scriptoribus excidisset, damnasset vt blasphemos.

Distinctio explicata duplicis electionis, coincidit cum illa, quam ex Gibieuf libri primi cap. 22. mirè exagitant Theophilus & Eugenius de Prædeterminatione facultatis & actus. Prima est eximia Christo, Beatis, & iis omnibus quibus Deus in perpetuum, vel ad tempus aufert potentiam peccandi, & perfectionibus internis ita sibi annectit & deuincit, vt nullius peccati, vel dissensus ab illo sint capaces, ac proinde habeant felicem peccandi impotentiam, per

ſcientiam mediam, & gratias ex illa congruas. Prædeterminatio verò ad actum ea eſt, cum per gratiam ex ſe, aut ſi velis per ſcientiam mediam efficacem, infallibiliter elicitur bonus actus, cum potentia tamen ad actum oppoſitum, qui voluntati ex vi illius determinationis non repugnat, ſicut ex vi prioris quam facultatis diximus. Ea diſtinctio ſic explicata, vix vllam difficultatem, vel repugnantiam non infringit, aut diſſoluit, earum quas congerunt hi duo Authores: & ideò ab iis referendis, aut refutandis ſuperſedeo.

Ad finem huius Diſputationis, viſum eſt vno verbo reſpondendum Sophiſmati millies repetito vtriuſque authoris, qui vt hæreticum volunt damnari, quidquid hæretici ſcribunt contra illorum mentem, vel eorum reſpondet Argumentis, quaſi nullâ re poſſint cum dogmatibus Catholicis conſentire, & peiores ſint dæmonibus, qui Chriſtum Dei Filium pleno ore clamabant: quaſi ex illâ confeſſione Arriani deſierint eſſe hæretici, & illorum damnatio reciderit in Catholicos.

Deſinant ergo Rhetoricari, & hoc ipſo nos victos, ſe victores habere, quòd eadem in ipſos Argumenta cum Ameſio, aliiſque heterodoxis, vel ijſdem reſponſionibus illorum Argumenta excipiamus. Sanè ſi cauſâ communis Eccleſiæ antiquior illis eſſet, quam priuata contentio, gauderent aut ad minus boni conſulerent, hæreticos tandem ſenſu & verbis Catholicorum loqui: ſed vix auſim dicere, an malint alienos ſemper eſſes ab Eccleſia, quam illi ſe adiungere, eâ lege vt Thomiſt. ſententiæ aſſentiantur. Certè mihi alia eſt mens, vtinam Arimíniani, ideſt, puri Moliniſtæ, de gratiâ & libero arbitrio ſeruatâ illâ opinione, abdicatis aliis erroribus Eccleſiæ ſe ſubijcerent.

Cæterum Albertus Pighius, Claudius Senteſius, & alij qui diſputatione cum hæreticis de Libero Arbitrio & Gratia D. Auguſtinum penè ſuſpectum, ac nullo loco habent, & patiuntur eum ſibi Caluiniſtas vindicare, infelicitèr fidei cauſam gerunt, nec ipſe Theophilus magis promouet, dum Ameſij ſocietatem nobis obijcit. Præſtaret profectò, ſcripſiſſet pro Bellarmino contra eius eneruatorem, quam venenum aperire, nec aliud apponere antidotum, quam quod multis nobiſcum conueniat. Non eadem mens eſt mihi cum Bellarmino, quæ Theophilo cognatio

cognatio: sed si æquè longa mihi ac illi vita contingat, spero me Bellarmini pro meo in communem causam, hoc est fidei Catholicæ contra Lutherum cæterosque Nouatores studio, contra eius enervatorem vindicias scripturum; neque ad hoc quam vnius anni otium optarem.

Non possum omittere, quod Partis prioris cap. 11. Num. 18. obseruat Aduersarius quemdam Doctorem grauem & eruditum, oppressum difficultatibus quas de libertate Dei, Christi, & nostrâ sensérat insuperabiles, conatum lenire nouâ libertatis notione, quam in obiectiuâ indifferentia collocabat. Itaut quæcumque præcederent, comitarentur, aut subsequerentur voluntatis actum circà obiectum, cum indifferentiâ ab intellectu exhiberentur, nullâ ratione libertati voluntatis officerent, quandiu indifferens illa exhibitio superstes esset. Laudo obseruationem satis eruditam: sed nullus est, qui vt legitimam probet illius euanidæ subtilitatis comparationem cum indifferentiâ voluntatis, quam nos totâ hâc disputatione defendimus, adiuncta lege seruati ordinis à fine, & independentiâ à rebus à voluntate electis: quibus à libertate semotis, demonstrauimus vix saluam esse posse Christi & Dei libertatem.

Articvlvs Vltimvs.

Aliquot ex Eugenio suspecta purgantur, & pugnantia conciliantur.

Hanc Prædeterminationis quoad facultatem & actum distinctionem quæ coincidit cum duobus electionum generibus à nobis explicatis, acritèr impugnat Eugenius, & in eâ illi displicent, quæ inter suspecta ponit Num. 13. 14. 15. & 17. & 18. & inter pugnantia 24. 25. & 26. & 32. quæ facilè diluentur, si repetatur altera distinctio insinuata Theophili, vix alia à nostrâ, de duplici impotentiâ peccandi & dissentiendi à Deo.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Distinctione duplicis impotentiæ peccandi plura explicantur.

DVPLEX itaque impotentia peccandi statuenda est: extrinseca vna, qualem asserit Apostolis post illapsum Spiritus Sancti, nec aliam Deiparæ concedit, imò & Christo ex vi vnionis hypostaticæ: altera intrinseca, qualem non potest negare Christo, nec subinde Beatis ex visione & fruitione Dei vt summi boni.

Hac distinctione admissa, quam non puto negaturum Philadelphum, quæro an Deipara, & Christus ad rem sibi à Patre præceptam, moti per gratiam ex scientia media congruam, possent dissentire gratiæ, & rei præceptæ, vel non possent; non puto concessurum hoc secundum, aliàs nec Mater, nec Filius fuissent liberi, nec ab intrinseco impeccabiles: Ergo ex vi illius impeccabilitatis, & gratiæ continebantur sub decreto Concilij Tridentini, *motum à gratia posse consentire & dissentire*; Atqui nos volumus quoscumque viatores, quamlibet Sanctos, & ab extrinseco tantum impeccabiles posse dissentire, licet non sint dissensuri; & hoc vocamus nos Prædeterminationem actus non facultatis; quia hæc secunda addit alteri quid maius, nempe impotentiam intrinsecam peccandi, quæ si addatur, implicat non solum in sensu composito, sed etiam in sensu diuiso Christum saltem beatum posse recedere à Patre, & à re sibi præceptâ; Ergo salua est iuxtà nostram sententiam definitio Concilij Tridentini, quæ sine dubio agit tantum de viatoribus, qui habent potentiam intrinsecam peccandi, & impotentiam extrinsecam tantum non peccandi. Cur ergo obijcit decretum Tridentinum nostra distinctione duplicis Prædeterminationis & electionis violatum?

Dices nos illud explicare perperam, dum ab eo eximimus quosdam eximiè sanctos; & mens tamen sit Concilij omnes vniuersim præmotos complecti; & rationem essentialem libertatis explicare in eo positam, vt quicumque præmotus à Deo etiam Christus & Beatus, possit dissen-

tire, aliàs nullam illi fore libertatem.

Sed hoc gratis dicitur, & falso etiam assertitur hunc esse omnium Thomistarum sensum. Nam quod attinet ad sensum Concilij, satis est statuere in vniuersum illud tanquam certum, viatorum neminem ità moueri à gratia, quin possit dissentire: cùm de omnibus generatim viatoribus sit verum, etiam de Deiparâ, si ex Theophilo sit, tantum extrinsecè impeccabilis, ac proinde ex intrinseco peccare possit; imò in hunc ordinem cogit Christum cum sola vnione hypostaticâ spectatum. Si vero attendamus Christum vt viatorem simul & Beatum, agnoscit alio genere impeccabilitatis donatum; & cum Dei motione, siue præuia & physica, siue morali, & simultanea egeat; quæro an in illum cadat decretum Concilij, posse dissentire à motione, & præcepto Patris? Si potuit in sensu diuiso, non composito; Ergo ab intrinseco erat peccabilis, sicut puri viatores. Si non potuit dissentire, etiam in sensu diuiso; Ergo non fuit liber, quoad rem & circumstantias præcepto præscriptas. Quid ad istud respondurus sit Aduersarius nescio, nisi hoc vnum quod illi supereſt: Concilium statuisse vt rem fide certam, Patrem vel nullum Christo præceptum imposuisse, vel abstinuisse à præscribendis circumstantiis, quo locus esset Libertati, id est indifferentiæ absolutæ.

Sed reuera non erat dignum maiestate Concilij, ad has minutias Theologiæ descendere; & satis fuit ad eius mentem, & ad causam fidei, statuere gratiam quamcumque, & quomodocumque efficacem, siue ex se, siue ex scientiâ mediâ collatam quibuslibet viatoribus, non auferre libertatem, nec facere impeccabilem, saltem ab intrinseco omni consumpta impotentiâ ad peccandum: quæ fœlicitas vni Christo contigit inter viatores, & forte Beatæ Virgini. Atque hæc duo exempla, decreto de omnibus generatim constituto nihil nocent: neque si hæc peccandi potentia in totum auferatur, perit libertas iuxta mentem Thomistarum; quidquid dicat Eugenius loco 13. inter suspecta. Et ad illud Argumentum *quod aufert potentiam dissentiendi; aufert libertatem: Sed Prædeterminatio aufert potentiam dissentiendi:* Ergo aufert libertatem. *Cum vna tantum*, inquit Eugenius, *sit communis responsio Thomistarum, concessa Maiori, negari Mino-*

norem, circa quam totus sit impetus disputationis. Illud Argumentum fieri potest de viatoribus contra Prædeterminationem ad actum, vel de Christo, & Beatis contra Prædeterminationem facultatis: Si primo sensu proponatur, verum est concedi Maiorem & negari Minorem, quia libertas viatorum est ab intrinseco peccabilis; & si quam habent impeccabilitatem, est extrinseca, ex suppositione aliquâ, quæ actum bonum liberum inferat, cum potentiâ ad oppositum: si verò obijciatur illud Argumentum contrà Prædeterminationem facultatis de Beatis, & de Christo, cui supponimus ex veriore sententiâ, nihil eorum quæ agit & passus est, non fuisse quoad omnes circumstantias præscriptum: Distinguimus Maiorem, quod aufert potentiam dissentiendi, aufert libertatem: si auferat huiusmodi potentiam, quoad rem præceptam Materialiter, non Formaliter, & Priuatiue; vel si auferat Negatiuè ex adhæsione ad rem præceptam absolute, & secundum se spectatam, cui subijciatur voluntas, eo modo quo appetitus bruti subijcitur bono, quo fruitur, Concedo Maiorem: si auferat potentiam dissentiendi à re Formaliter sumptâ, vt præceptâ reduplicatiue, quod idem est cum re Priuatiue spectata, Nego Maiorem; seu quod in idem coincidit, quod aufert potentiam Dissentiendi seruato ordine finis Concedo Maiorem: illo prætermisso, Nego.

Cum enim res cadit sub præceptum, voluntas impeccabilis ad illam se habet, sicut mens Angeli, & sapientis, ad rem euidenter probabilem, quæ necessario assentitur euidentiæ probabilitatis; rei autem in se, nec assentitur vt veræ, nec dissentitur vt falsæ, sed seruat iudicium suspensum, aut indifferens ad vtrumque. Ita se habet voluntas impeccabilis, ad rem præceptam: ac proinde veram seruat libertatem, ratione illius eminentiæ suprà rem illam præceptam, cui minus se addicit & subijcit, quam Angeli intellectus rei tantum probabili. Hinc soluuntur facile, quæ illis locis obijcit ex decreto Tridentini & ex D. Thomâ, & ex errore Caluini.

Paragraphvs Secvndvs.

Duplex alia difficultas resoluitur.

Occupauimus etiam duas difficultates, quibus dicit se angi, & opem nostram implorare, vt illis leuetur. Primò quid interfit, inter eandem necessitatem, quâ Caluinus libertatem ad bonum nobis adimit, & quam nos cum libertate iungimus: deinde quos allatret Caluinus, tanquam suæ doctrinæ infensos. Dixi totâ meâ responsione ad Theophili librum, & iterum dico, Caluinum eos allatrare, qui negant actus etiam indeliberatos, & quoscumque necessarios, etiam in sensu diuiso, sufficere ad peccatum morte æterna dignum. Videric ergo, an Caluinus cum vllo Catholicorum, hâc re conueniat.

Facillima sunt quæ obiicit Numero 17. libertatem, quam nobis relinquit motio diuina, habere vim & speciem libertatis; quia relinquit libertatem coniunctam cum potentiâ peccandi: non peccandi ex necessitate, vt vult Caluinus, sed cum indifferentiâ ad oppositum. Frustra ergo Numero 18. obiicit quasi corollarium ex nostris principiis, Caluinum nihil peccasse, cum negauit liberum arbitrium in operibus gratiæ, nisi quod retinuerit spuriam libertatem. Neque enim quæcumque libertas imperfecta peccatorum, est spuria & impropria, sed vera cum defectu, qui sit libertati additus, non essentialis: quo sublato, nihil illi pereat, sed purior fiat & euadat.

Hinc etiam facilè conciliantur, quæ obiicit vt repugnantia Num. 24. Prædeterminationem facultatis, illi auferre potentiam suspendendi actum, cum peccato, seu priuatiue & formaliter, vt præceptum, prætermisso ordine finis, non verò actum suspendendi Negatiuè, Materialiter, & illæso ordine finis. Eâdem dist. conciliatur contradictio 25. 26. & 32. Quod vero cum Theophilo obiicit male Prædeterminationem actus distingui à Prædeterminatione facultatis, cum vtraque sit vera Prædeterminatio facultatis: ita est, non vtcumque sed diuerso ordine, effectu & respectu. Nam Prædeterminatio facultatis, dat intrinsecam

impotentiam admittendi quodcumque peccati genus, idque in sensu diuiso: prædeterminatio ad actum, dat tantum potentiam huiusmodi, extrinsecam in sensu composito, & in ordine ad vnicum actum. His de causis merito dicitur vna Prædeterminatio facultatis, altera actus; ex qua differentiâ inuincibile elicitur Argumentum pro libertate voluntatis sub Præmotione ad actum; quandoquidem non aufertur per ipsam prædeterminationem facultatis; quamvis videatur inducere maiorem necessitatem, saltem quoad immobilitatem in bono.

Hanc disputationem claudo contradictione 38. non esse amplectendam opinionem, quæ pro libertate stat contra prædeterminationem physicam, quia mira sit eius facilitas. Multis dictum illud impetitur, quasi nequeat opinio esse facilior captu, nisi sit verior. Id non concederet Aristoteles, qui admittit opiniones falsas, veris interdum probabiliores in speciem. Sed quidquid sit, quam hactenus explicuimus, opinio, id reuera habet, quod suæ vindicat Eugenius, miram facilitatem, talem in scholæ Palestrâ, qualem Ascetici Patres vindicant orationi mentali ad sanctitatis studium. Eâ docent nihil suauius, nihil subinde facilius, quandoquidem omnem ad salutem difficultatem demulcendo vincit; difficilè tamen adiri & comparari potest: sed vbi eâ fueris instructus, & donatus, vix quidquam tuis votis & conatibus obsistet. Ita de explicatâ notione libertatis sentiendum: neque dissenties, erudite Lector, si hanc Disputationem attentè peruolueris. Eius namque progressu, agnosces naturam libertatis ex altissimo puteo multo labore erui: sed vbi illam assecutus fueris, difficillimas Theologiæ Quæstiones, ac penè desperatas, facilè solues. Non ita tamen sum suffenus vt meo iudicio fidam, nisi tuum accesserit.

DISPVTATIO II.

DE SCIENTIA MEDIA.

VIR quidam eruditus, & pius, ſuæque profeſſionis ſtudioſiſſimus, lectâ Apologiâ editionis Cracouienſis, contra Petrum A valle clausâ, præter multa, de quibus ſummâ prudentiâ & charitate, pro communi causâ monitum voluit authorem; hoc præcipuum fuit, cui me accingo, vt de ſcientiâ mediâ Diſputationem cum Ludouico Carterio initam, & delibatam tantum, augerem Reſponſione ad librum P. Franciſci Annati, qui ex Authoribus Societatis videbatur accuratius hoc argumentum tractaſſe, vno libro quatuor diſputationibus contento, & acrius vrgere contra Scholam noſtram Caluiniſmi calumniam à Theophilo & Carterio millies repetitam, & nulla veriſimili ratione confirmatam. Eo lubentius amici conſilio aſſenſus ſum, quod is quem à me efflagitabat labor, neque eſſet alienus ab inſtituto Apologiæ; quâ Familiæ noſtræ famam, & Scholæ doctrinam pro virili defendo: nec admodum difficilis & arduus videretur, iis ſemel conſtitutis quæ reſponſionibus ad Theophilum, plurib⁹ demonſtraui, quidquid controuerſiarum eſt alicuius momenti, Recentiores inter & Scholam noſtram, ad tres ordines pertinere, non diſſimiles tribus, in quas aer diuidi ſolet, regionibus: nempe ad duas à priori, aſſumptas à principio primo & immediato & proximo probationum, quibus ſcientia media à ſuis aſſertoribus defendi, aut ab Aduerſariis impugnari poſſit: & tertio ad locum à poſteriori, ab abſurdis & incommodis, quæ illam adſtruant, aut euertant. Controuerſiâ in has partes diuisâ, ſi quarum addamus ab auctoritate ſcripturæ, & Patrum, facile

est è longissimâ Disputatione P. Annati, & omnium scriptorum Societatis, de hoc argumento singula secernere, & expendere, & ad has tres aut quatuor sedes reuocare: quia nihil est omninò eorum quæ ingentibus, & infinitis voluminibus continentur, quod ad vnum ex his tribus, aut quatuor locis argumentorum, non referatur: & vbi suo quæque loco reposueris, facile erit agnoscere, quid quodque horum virium habeat, quid scientiæ mediæ obesse, aut prodesse possit. Visum est igitur contra fortissimum Athletam experiri, & expendere; quæ ille argumenta primum à priori, ex vtroque principio immediato, & proximo; deinde quæ ex testimoniis Scripturæ & Patrum; 3. quæ â posteriori ex absurdis, pro se contra nos deprompserit, vel quæ soluerit pro nostrâ sententiâ, à quatuor Scriptoribus quos refellit allata, vel quæ afferri possunt.

Atque hanc methodum & partitionem exactè seruabimus, & eo diligenti examine rerum omnium, quæ vltro citroque dicta sunt, præter lucem quæstioni grauissimæ, & iuxta obscurissimæ, quam spero me allaturum, momenta rationum vtriusque partis æquâ lance librabo. Illud præterea commodum accedet, vt experiamur, vana ne sit fides illius quod scripsi, de nostrarum controuersiarum statu, rationes à priori stare omnes pro nostrâ sententia, suppetere tantum à posteriori tria pro Aduersariis, insinuata à Carterio Argumenta læsæ libertatis nostræ, sanctitatis Dei, & sublatæ gratiæ sufficientis, nisi ad asylum scientiæ mediæ confugiamus.

Certè quantum licuit ex Elencho quatuor Disputationum, ex variis illarum, hinc inde carptim locis lectis, & ex Epilogo, ac summa totius doctrinæ ad calcem disputationum, appositâ, coniicio meam fidem hac exercitatione liberandam.

Non est dubium quin si aliqua suppeteret demonstratio à priori, aut etiam probabilis argumentatio pro scientiâ mediâ, ex aliquo illorum principio remoto, aut proximo, omissum iri ab acerrimo Scriptore, in re quæ illi præ cæteris cordi est, in qua summam sibi posuit. At nullum video ex disputationum capitibus, aut titulis quo polliceatur, se vllo ex illis locis à priori sententiam suam confirmaturum. Sed contra video titulis

Capitulum aut Paragraphorum, & vbique per totum librum argumenta promitti, & vrgeri ab illis tribus, à Carterio indicatis locis, nec aliud extare nisi aliquo libri angulo contineatur, quem nondum satis excussi, vt possem certo asserere Argumenta à priori, nec exhibita, nec tentata.

Si dicas librum hunc institutum iuxta respondentium leges, quæ arguentium methodum sequi iubent; & nullum è quatuor, Auctoribus proposuisse aliquod Argumentum, quod non fuerit plane solutum. An igitur huiusmodi Scriptores, demonstrationes à priori omiserunt? Aut obiecerunt? Non est credibile omissas à viris, qui nullum grauius malum timebant, quam si causæ deessent, aut illius prænaricatores audirent. Si obiectæ sunt, non est dubium quin fuerint solutæ, ac proinde vincet causa scientiæ mediæ, nihil læsa argumentis à priori, & multis à posteriori munita.

Absit vt credam Argumenta à nostris proposita, Scriptorem cui respondemus, dissimulasse: sed cum duplex sit genus solutionum, quas efficaci magis, quam eleganti verbo negatiuas, & positiuas possumus appellare; negatiuæ vtcumque argumenta soluant, & saltem ostendant rem probandam non conficere euidenter & necessario; positiuæ verò falsi conuincant, ac subinde aduersæ conclusionis euidenter veritatem demonstrent: si quas habuissent huius secundi generis responsiones ad nostra Argumenta, dignæ sane erant, quæ alicuius Capitis aut Paragraphi titulo significarentur, nec conueniebat communi & vulgari nomine solutionum & responsionum negatiuarum contineri, quales adhiberi possunt ad Argumenta, quibus Trinitatis & Incarnationis altissima mysteria impugnantur. Quare scientiæ mediæ ratio erit incomprehensa, perinde ac ipsa Trinitas, & Incarnatio: sed negatiuè tantum soluentur argumenta, quibus impetitur. Prima ergo huius disputationis parte expendamus vim argumentorum à priori ex quatuor capitibus.

SECTIO PRIMA.

An argumenta, quæ peti possunt in hâc controuersiâ à priori, mediam scientiam conforment, an euertant?

ALIIS locis demonstratum est, quanti sit momenti ad scientiæ mediæ præsidium vel excidium, & subinde ad prouidentiæ diuinæ constituendam œconomiam, quid sentias de ratione, quâ creaturas possibiles Diuinus intellectus attingat, an ex comprehensione essentiæ diuinæ vt causæ rerum, sicut censet S. Doctor post Dionysium, & Augustinum, & sicut ipsum lumen naturale demonstrat: an vi luminis infiniti intellectus, sine vllo medio, aut obiecto, præter extrinsecum creatum, vt opinatur Vasquez; an ex suppositione possibilitatis, seu non repugnantiæ creaturarum, vt Ripalda & Oruiedo nuper commenti sunt; an vt Suarez vult præter omnipotentiæ comprehensionem, creaturas Deus attingat cognitione habitâ per essentiam vt medium incognitum, & vt vices obit speciei creaturarum. Ex his quatuor opinionibus veram paucis demonstraturi sumus sententiam D. Thomæ, ex qua desumemus primum Argumentum à priori, quo euidenter constabit, Deum futura quælibet contingentia cognoscere in essentiâ determinatâ per decretum, scientiâ mediâ exclusâ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Primum Argumentum à priori pro cognitione futurarum conditionatorum in decreto contrà scientiam mediam, repetitum ex primo & immediato principio cognitionis Diuinæ de rebus creatis.

SVAREZ disputaturus contra hæreticos de præsentiâ verâ Christi sub speciebus Sacramentalibus, & pro hâc

veritate Catholicâ inducturus Patrum testimonia, distinguit duo genera locorum; ex illis quædam vocat simplicia, quæ præsentiam corporis Christi nudis & apertis verbis significant, sed obnoxia sunt cauillis hæreticorum, & ea corrumpunt interpretationibus metaphoricis: alia sunt multo validiora quæ vocat argumentosa, quibus SS. PP. confirmant præsentiam corporis Christi ex omnipotentiâ diuinâ, cui est facile, per miraculum panem in Christi corpus conuertere; vel à Mysteriis difficilioribus Trinitatis, & Incarnationis Christi: hæc postrema testimonia minus patent calumniis hæreticorum, quam quæ nudis verbis veritatem fidei efferunt.

Mire placet hæc distinctio, & ad rem nostram est accommodanda. Licet quædam haberi possint loca ex Diuo Thoma, D. Aug. aliisque Patribus, quæ in speciem faueant Aduersariis; verum si diligenter inquiramus in principia & fundamenta doctrinæ SS. Patrum, & D. Thomæ, totus contextus apertissimè reclamat, & illud testimoniorum genus, quod cum Suares voco loca argumentosa.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Argumentum primum ex D. Thoma desumptum, à cognitione creaturarum in essentia diuina, vt in causa.

ARGVMENTVM primum à priori sub hac forma instituo. Ea scientiæ futurorum, seu absolutorum, seu conditionatorum ratio est instituenda, quæ nihil repugnet, & consentanea sit principiis lumine naturali notis, & apud SS. PP. receptis, de cognitione diuinâ, creaturarum generatim, & maximè vt sunt in statu possibili, & quæ ex illis principiis consequatur, sicut extensio, & accessio scientiæ simplicis intelligentiæ: Atqui cognitio creaturarum, siue absolutè, siue conditionatè futurarum, in Decreto secluſa scientiâ mediâ quæ præuenit Decreta Dei, summè consentanea & principiis cognitionis creaturarum possibilium, imo inde deducitur consecutione necessariâ: Ergo cognitio futurorum in decreto est admittenda, semota scientiâ mediâ. Consequentia cuidens est si præmissæ sint

veræ. Et prima quidem in confesso est apud omnes: vnde tota controuersia posita est in probandâ Minori, quam ita euinco. Cognitio futurorum diuina in decreto consentanea est cognitioni possibilium, & inde deducitur necessario, si hæc habeatur ex comprehẽsione essentiæ, in quâ videantur vt in sui causâ: Atqui nihil verius est, & receptius apud SS. Patres, nihil euidentius lumine naturali, quam creaturas ita cognosci debere & posse, ex comprehensione essentiæ, nec aliud genus cognitionis superesse possibilium Deo dignum: Ergo nec alia est futurorum cognitio, nisi in decreto, seu quod est idem in omnipotentiâ Dei determinatâ per decretum.

Minor est probanda fusius. Ea vero semel constituta & admissa, Consequentia, & prima propositio probatur: tum quia sicut se habet essentia nuda, & omnipotentia ad creaturas possibiles, ita ad futuras eadem essentia determinata, & omnipotentia applicata per decretum: tum quia sicut ab essentiâ, vt participabili & imitabili per modum ideæ, creaturæ habent suam non repugnantiam, vt sint entia participatione essentiæ, & ab omnipotentiâ sunt producibiles vt à causâ efficiente, quæ potest quidquid non repugnat; ita voluntas determinata per decretum efficax, aut permissiuum est causa transitus à possibili ad futurum, iuxta illud, *nisi tu voluisses, quomodo fuisset.* Tum denique, quia fundamentum & radix, cur possibilia cognosci debeant in essentiâ vt in causâ, nec aliud medium suppetat extra Deum, est perfectio absoluta, & summa Dei independentia, quæ non patitur illum suæ cognitionis & volitionis specificationem haurire aliunde, quam à propriâ essentiâ; neque aliud habere obiectum formale, & immediatum cognitionis possibilium, quam essentiam nude sumptam; & futurorum eandem essentiam determinatam, sicut volitionis liberæ bonitas increata est obiectum specificum.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Defenditur demonstratio superior contra Vasquem alioſque recentiores.

ETSI aliqua supereſſet dubitatio, de conſecutione neceſſariâ à creaturis poſſibilibus in ſola eſſentiâ vt causâ cognitis, ad futura abſoluta, vel conditionata in decreto cognoſcenda; eam plane abſtulerunt conſilia Aduerſariorum, & conatus; quia omnia ſuſdeque miſcent, vt noſtri fundamentum Argumenti labefactent. Nihil eſt quod non ſint auſi ſcribere, quod intentatum reliquerint Recentiorum plurimi, quorum Dux eſt Vaſques poſt Nominales. Negant Deum cognoſcere vllam creaturarum ex ſuæ omnipotentiæ comprehenſione; addunt communi conſenſu Amicus, Recupitus, & alij, futiliſſimam rationem, effectum non cognoſci ex causâ niſi referatur relatione tranſcendentali ad illum, qualis repugnat cauſæ increatæ; quaſi cauſa vim habeat ducendi ad cognitionem effectus, ratione huiuſmodi relationis, & non potius ratione continentiæ, & connexionis neceſſariæ, & dependentiæ effectus ab ipſâ, quæ tria eo perfectius adſunt DEO, & cuicumque cauſæ, quò eſt prior & magis independens à ſuo effectu.

Quare Suares & Valentia auctoritate Patrum, & rationum efficaciâ conuicti, admittunt cognitionem Dei in eſſentiâ ex omnipotentiæ comprehenſione; ſed addunt alteram immediatam creaturarum in ſeipſis. Ac proinde conceſſa prima parte noſtræ Propoſitionis, quæ adſtruxit huiuſmodi cognitionem poſſibilium ex inſpectione omnipotentiæ, negant alteram Propoſitionis partem, quæ hanc vnicam in Deo agnoſcit creaturarum notitiam. Et licet diuerſas ineant vias; eò tamen tendunt, vt ſalua ſit ſcientia conditionatorum independens à ſcientia in decertis.

Quod attinet ad prioris ſolutionis & ſententiæ Auctores, neſcio quid in illis mirer prius, aut certiſſima quæque apud Patres, & omnium ſcientiarum principia inconcuſſa negandi & eleuandi; aut paradoxa, & incredi-

bilia asserendi licentiam. Fidem facit Vasquez iudicio etiam suorum: contendit D. Dionysium D. Augustum & D. Thomam, nihil habere quod faueat cognitioni possibilium in essentiâ vt in causâ; cum tamen D. Thomas. Primo contra gentes cap. 49. & alibi sæpius ex professo probet Deum cognoscere creaturas in essentiâ suâ visâ; & ad finem illius capitis addat hanc veritatem expressè traditam à D. Dionysio cap. 7. de diuinis nominibus, his verbis, *non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causa continentiam scit omnia*, & infrà, *Diuina sapientia seipsam cognoscens, scit omnia* non solum ex seipsa, vt interpretatur Vasquez, *sed in se per causam rerum omnium*, vt loquitur, *& vno causa complexu rerum omnium scientiam habet*; aliàs non posset concludere Dionysius; si sua notitia non cognosceret creaturas, seipsam cognoscendo, omnia nosse. D. Augustus. ita expresse docet hanc veritatem lib. 22. de Ciuit. 2. cum ait *cognitio creatura in seipsa decoloratior est, quàm cum in Dei sapientia vel in arte per quam facta est cognoscitur*, vt illis verbis excludat responsionem Vasquez, quasi velit D. Augustus. cognosci tantum essentiam creatricem. Dicit enim *cognosci creaturam qua facta est.* Vnde Suares asserit *Vasquem & alios qui in alium sensum trahunt SS. Patres, illos ad arbitrium interpretari*, magis quam ad illorum mentem: & Herice se valde *demirari* ait *quanto animi conatu contendat Vasquez Disputatione 5. cap. 5. detortorquere D. Thom. in suam sententiam, qui sane si expressa eius testimonia attendisset, omnem animi conatum & ardorem deposuisset.*

Atque vt agnoscas vno contentionis, non veritatis studio, Vasquem sibi asciscere D. Thom. in patronum; placet vtriusque dicta intra huiusce controuersiæ ambitum conferre. D. Thomas, vbicumque hâc de re agit, eam semper demonstrationem adhibet, effectus omnes contentos causâ efficiente, in eâ posse & ex illâ cognosci, secundum vim & continentiam causæ: & inde subsumit, Deum vt est ens per essentiam, esse causam efficientem omnium rerum vniuersaliſſimam, quoad omnes differentias, gradus, ac modos; ac proinde in Deo pleniſſimè contineri, & in eo clariſſimè cognosci.

Si hoc principium neges, vel eludas solutione insinuatâ Recentiorum, causam quamlibet perfectam, non esse idoneam ad inducendam effectus cognitionem, nisi ratione relationis, quæ Deo desit; perinde posses asserere ineptam esse ad effectum producendum. Quid enim vetat, cur huiuscemodi relationi alliges vim potius manifestandi, quam producendi effectum: sane sicut productionis, ita & cognitionis effectus à causâ est, non ratione relationis, & dependentiæ ab ipso, sed potius ratione continentiæ & summæ independentiæ, quâ cum supra omnes causas Deus emineat, non potest nisi per summam proteruiam negari, quin omnipotentia Dei æque sit efficax ad cognitionem aut manifestationem, ac sit ad productionem.

Nec aduertit Vasques dum huiuscemodi voluntariâ solutione nostrum Argumentum eludit, suam funditus euertere opinionem. Quod dubitet cognitionem (seu, quod idem est, secundum Vasquem) verbum mentis, expressiorem cum re cognitâ habere similitudinem, quam causam cum suo effectu, maxime si sit superioris ordinis, & æquiuoca, qualis est Deus: quandoquidem cognitio fit similitudine intellectus cum obiecto cognito? Quæro igitur, an diuina mens & intellectio habeat similitudinem cum creaturis necessariam, ad illas distinctè cognoscendas, nec ne? Si dicas hoc secundum, incidis in errorem Aureoli negantis Deum nosse creaturarum saltem materialium differentias: si primum asseras tuum Argumentum euertis. Nam si diuina intellectio licet increata, satis superque similis est rebus creatis, vt illas attingat; quâ ratione negas deesse diuinæ naturæ, & omnipotentiæ similitudinem, seu continentiam, & connexionem cùm rebus creatis, quâ possit vt causa ducere in illarum distinctam cognitionem: minor enim ad hoc causæ similitudo, quam intellectus, & intellectionis ad suum obiectum percipiendum sufficit.

Præterea D. Thomas adeo constans est in asserendâ, & vrgendâ illa cognitione creaturarum in essentia visa, vt illi veritati astruat maximam Theologiæ partem. Ex infinitis conclusionibus inde deductis, paucas accipe, quibus ex aduerso habet semper Vasquem sibi reclamantem. Nam cum D. Augustino, & Aristotele, vbique habet, &

versat illud principium receptissimum, ex obiecto, & potentia gigni, notitiam: hinc enim deducit, non posse à Deo cognosci creaturas nisi aliquid sit iunctum diuino intellectui, quo illas contineat: necesse est enim rem cognitam vniri intellectui, veluti marem fœminæ, illumque vel se ipsa, vel specie sui vicaria fœcundare, vt ex hoc veluti connubio, nascatur proles similior patri seu obiecto formali, quam matri, id est, potentiæ intellectiuæ. Et cum mens nostra horreat cogitare creaturam, quæ nihil est, in Deum agere, vel illi suam speciem inferre, tertium supereſt, vt essentia diuina ad creaturarum cognitionem quatenus illas eminenter contineat, omnino necessaria sit. Quid ad hæc Vasquez, vt illud ineuitabile telum declinet & effugiat? Negat principium ex Aristotele & D. August. sumptum, quo semel emoto nutant fere omnes Theologiæ partes. Argumento sint processio Diuina Verbi; & visio beata quæ principiis explicatis nituntur.

D. Thom. cum S. Augustino docet Verbum gigni à Patre secundum naturæ similitudinem, & vnitatem ex principio constituto; quia intellectus Patris fœcundus propria diuinitate, illam communicat Verbo vt termino productionis est eiusdem naturæ cum principio. Sed propius ad nostram disputationem: ex eodem principio quod nunc vrgemus pro cognitione creaturarum possibilium in essentia, & futurarum in decreto, deducit Verbum produci cognitione creaturarum; quia gignitur à Patre intellectione sui perfectâ, & necessariâ, & comprehensiuâ naturæ. Nam Filio nihil deest rerum, quas nouit Pater, ac subinde generatur cognitione creaturarum, quæ comprehensâ naturâ & omnipotentiâ, nequeant non cognosci: At contra Vasques ex diuerso principio, contendit cognitionem creaturarum nullo modo pertinere ad Verbi generationem, quia procedit ex intellectione essentiæ, quæ nihil conducit ad cognitionem creaturarum: & vnam alteri iungit accidentario & merâ vt dicitur concomitantiâ.

Sed longe acriores ex eodem dissidio nascuntur disceptationes de Visione beatâ à capite ad calcem illius Tractatus. Nam cum Visio beata sit nobilissima intellectio, D Thomas ad illam instruit intellectum beati essentiâ diuinâ, vt specie

ſpecie, ratione influxus obiecti, & lumine gloriæ, vt vim natiuam roboret, aut potius attollat ſupra ſuam ſortem, & ad operationes diuinas. Hæc duo diſtincta officia Vaſques permiſcet, nec patitur ſpeciem diſtingui à lumine gloriæ, eodem errore, quod obiectum nihil conferat ad ſui intellectionem. Sed cum Viſio beata ſit participatio intellectionis increatæ, ad illius totam ſimilitudinem efformata, iiſdem cum ſuo exemplari nititur principiis; ac proinde, ſicut intellectio increata eſſentiam diuinam habet, vt ſui ſpeciem expreſſam, & obiectum formale adæquatum: atque ex comprehensâ eſſentiâ nude ſumptâ cognoſcit poſſibilia; ex eadem cum decreto cognita inſpicit futura; eodem plane ordine, beatis mentibus eſſentia diuina eſt ſpecies impreſſa & expreſſa, obiectum adæquatum Viſionis beatæ, in quo vt in cauſa creaturas cognoſcat, in decreto futuras, eoque plures, quò clarius eſſentiam videt, vel altius penetrat omnipotentiam. Atque hinc infert S. Doctor, non poſſe creaturas omnes poſſibiles comprehendi à beato, eſſentia incomprehenſa; quandoquidem cognitio, ſeu comprehenſio eſſentiæ futura eſſet ratio creaturarum comprehenſionis.

Hæc omnia negat Vaſques, & impugnat futilibus Argumentis, quale eſt iſtud quod magis ad rem noſtram attinet, non poſſe à beato videri futura in decreto, *Quia*, inquit, *eſt merum ens rationis.* Quid Atheis, & impiis eſſe poteſt acceptius, quam quod obiicit Vaſques, Dei voluntatem, qua omnia conſtitui, & mutari clamant Scripturæ, mero ente rationis conſtare? Tanti eſt apud illos conuellere cognitionem rerum in eſſentiâ vt in cauſâ, & in decreto, vt ſcientia media his euerſis fundamentis aſtruatur. Si ita liceat arguere, actum eſt de fide & de totâ ſcripturâ, quæ vim prouidentiæ & rerum vniuerſi ſeriem docet pendere à liberis decretis. Quæ ne quidquam conferant cognitioni diuinæ de futuris, placet Vaſques in mera entia rationis reſoluere.

Ex hâc longâ collatione multa ad noſtram ſententiam colligimus commoda. In primis manifeſtum eſt ex perpetuo inter D. Thomam & Vaſquem diſſidio; hanc rerum poſſibilium in eſſentiâ nudâ, futurarum in eſſentiâ determinatâ per decretum cognitionem, eſſe immorum Doctrinæ Angelicæ fundamentum, quod latiſſimè pa-

ceat, & ad infinitas pertineat quæstiones : ac proinde non posse in dubium reuocari, quin tota nutet & corruat eius doctrina. Secundo constat solidissimum esse principium cui nostra de cognitione quorumcumque futurorum in decreto sententia nititur: quod præter argumenta allata, demonstro collatione doctrinæ D. Thom. hâc de re cum opinione Vasquez, de qua, si compares nostræ, agnosces verissimum esse, quod quidam ferunt iudicium, quam Deo tribuit futurorum conditionatorum notitiam ex solo lumine infinito sine vllo medio, *esse imperfectissimam, Deo minus dignam, esse impossibilem ex multis capitibus obscurissimam, & in intelligibilem: & gratis de cognitione creaturarum, eandem inducere difficultatem, quam de actu libero supra experti sumus, quâ ratione sit actus necessarius, & nullam dicat nouam perfectionem.* Contra vero quam ex D. Thoma constituimus futurorum notitiam in essentiâ determinatâ, vel potentiâ applicatâ per decretum; si momenta rationum à priori expendantur, consentaneam esse principiis, de cognitione generatim, & speciatim de diuinâ receptis, perfectissimam esse, Deo dignam, solidis niti fundamentis, & facillimam captu. Licet hæ omnes differentiæ peruiæ sint doctioribus ex supradictis, libet tamen ad confirmandam nostram demonstrationem paucis has tres differentias perstringere.

In primis ex recepta omnium Theologorum & Philosophorum sententiâ, intellectio nequit fieri sine medio, aut incognito, quod vocant speciem intentionalem, aut cognito, qualis est causa, quæ virtute effectus continet, nisi ipsum obiectum adsit, seipso vnitum intellectui: nullum ex his tribus mediis Vasques assignat intellectioni diuinæ de creaturis: Ergo ex illo capite est omnino impossibilis, quod nullum illi constituat ex his tribus mediis intellectui diuino iunctum. Nos omnium perfectissimum damus nempe essentiam diuinam vt tribus modis continet omnes creaturas: Primò secundum esse eminentissimum, quo creata omnia contineat, sicut numeri maiores, infrà se minores habent; & per comparationem ad esse Dei, vt imitabilis per modum ideæ, & entis per essentiam, creaturæ constituuntur veræ, & à Deo habent suam possibilitatem, seu non repugnantiam, quâ semel con-

ſtitutâ, cadunt ſub omnipotentiam Dei, in qua ſecundo continentur, vt effectus in causâ efficiente. Et cum Deus ſit cauſa efficiens intellectualis, ratione ſuæ cognitionis & verbi, præhabet tertiò res omnes, ſicut artifex ſua opera iuxta illud: *qui fecit cælos in intellectu.*

Hanc ſubtiliſſimam diſtinctionem memini me legere apud Capreolum, quam tamen refert, vt ad primum Authorem, ad Bernardum de Gannaco, qui primus egregie defendit D. Thomam contra Godefredum, & Henricum à Gandauo: ſed nihil Scriptorum eius, nec ferè nomen extat niſi apud Capreolum, qui ſæpius cum laude citat, & egregia ex illo mutuatur, qualis eſt diſtinctio explicata de triplici continentiâ rerum omnium in Deo, quam damus vt medium cognitionis increatæ de creaturis diſtinctiſſime habitæ, ex comprehenſione eſſentiæ. Neque aliud requirit effectuum cognitio in causâ, niſi continentiam effectus, connexionem mutuam, per ſolam effectus dependentiam. Neque requiritur relatio, aut ſimilitudo cum obiecto, cauſæ quam vrgent Vaſques, & alij; niſi obiectum ſit formale & ſpecificatiuum intellectionis, cuius generis non ſunt creaturæ, quæ ad intellectum diuinum comparantur, vt obiectum pure materiale. Imo ex hoc capite demonſtratum eſt repugnare opinionem Vaſques de cognitione diuina creaturarum: quia minus habet ſimilitudinis cum creaturis, & plus tamen requirit, quam ſit neceſſe cauſæ, vt effectum producat, aut manifeſtet.

Deinde ſi compares vtramque ſententiam, certum eſt D. Thomam conſtituere cognitionem creaturarum perfectiſſimam, habitam ex comprehenſione omnipotentiæ, & eſſentiæ, vno ſimplici intuitu, ſine diſcurſu etiam virtuali, quo non tam cognoſcit creaturas ex eſſentia, quam in eſſentia diſtinctiſſimè videt. Vaſques autem tres diſtinguit cognitiones diuinas, primam eſſentiæ comprehenſiuam, nulla cognita creatura, niſi forte confuſe; alteram creaturarum abſolute, nullo reſpectu ad aliud; tertiam vtriuſque extremi ſine mutuo reſpectu; quia vix vllum inter illas conſtituit. Quis verò ita de Deo credat, quæ de nobis nullam fidem habeant, comprehendi cauſas, & effectus ſeorſim, vix cognitis, niſi confuſe, creaturis, aut cauſis.

Denique si has sententias comparamus, certum est obscurissimam esse Vasques, & nostram captu facillimam. Ille enim perinde putat, se habere scientiam creaturarum possibilium, ad cognitionem essentiæ, sicut scientiam visionis ad scientiam simplicis intelligentiæ, nullâ additâ, vel conceptâ nouâ perfectione: at non ita est; nam per scientiam simplicis intelligentiæ, iuxta nostram sententiam cognoscit Deus quidquid continet creaturarum, ratione eminentiæ sui esse, vel omnipotentiæ, vel idearum; at iuxta Vasquem cognita & comprehensa diuina essentia, nullæ cognoscuntur creaturæ: Ergo cognitio creaturarum, iuxta illius principia, deberet addere aliquam perfectionem cognitioni essentiæ; nullam tamen addit.

His denique omnibus adiungo Amicum, Arrubal: licet enim sint eiusdem opinionis cum Vasquez, agnoscat tamen in multis peccare, & vbique petere principium, & difficultati succumbere. Nam si quæras à Vasquez in quonam medio cognoscat Deus creaturas. Respondet cognoscere in Verbo? Si rursus quæras quid sit verbum, dicit esse ipsam cognitionem: Ergo Deus cognoscit rem in sui cognitione; quæ est manifesta petitio principij. Deinde nihil elucet in verbo, seu specie expressa, seu actu secundo, quod actus primus, seu species impressa non præcontineat: Atqui iuxta Vasquem nihil habet Deus in actu primo quod præcontineat ita creaturas, vt sit ratio illas verbo repræsentandi & cognoscendi: Ergo ex hoc capite sibi repugnat Vasquez, vt obseruauit Arrubal.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Defenditur primum argumentum contra nouam opinionem Ripaldæ Oruiedo, &c.

VISVM est ergo aliis recentioribus, Vasquem non satis fœliciter egisse causam scientiæ mediæ, & quæ illi apposuisset fundamenta ruinam minari: ideo Ripalda, Oruiedo, & alij conantur nouis eam præsidiis fulcire. Ne igitur cogantur admittere, quod vnum vrgemus, creaturas cognosci in essentiâ, vt in causâ præcontinentur esse-

ctus; commenti sunt quoddam omnipotentiæ obiectum, quod vocant conditionatum, re ipsâ repugnans vt chymæra, & alter Deus à Deo factibilis, si abiliis tollas repugnantiam, ad hoc vt fiant: hanc tamen chymæram, vel diuinitatem nihil opus esse contineri in Deo, sed denominari potentem illam producere, dummodo non repugnet: sicut inquiunt, potestas collata Sacerdoti ad remittenda peccata nulla præcontinet, & tamen eâ positâ conditione, quod sis aliquorum reus & te pœniteat, potestas per denominationem extrinsecam, ad illa fertur abolenda. Ita philosophantur de omnipotentiâ Dei, eiusque obiecto, quantum capere potui ex Prudentio de Incarnatione, & Arturo de scientiâ Dei, qui latè referunt, & refellunt huiusmodi figmentum. Neque enim licuit, aut visum est tanti apud authores legere: & nunc etiam refero eo tantum consilio, vt agnoscat prudens Lector, nihil non moliri, aut non sibi permittere recentiores ad hæc nostra concutienda fundamenta, de cognitione creaturarum in omnipotentia continente vt causâ, quæ munit iter ad futurorum cognitionem in decreto. Hæc enim omnia eo animo conficta sunt: sed reuera retulisse, refutasse est.

In primis vellem mihi indicarent aliquod suæ opinionis, & obiecti conditionati omnipotentiæ vestigium apud SS. Patres, aut alicuius notæ Scholasticos: certe nullum vnquam deprehendi. Adde exemplum à potestate Sacerdotis collatâ ad remittenda peccata, eâ conditione, quod quis admiserit, rem ipsam euertere, cui illustrandæ inuentum est: latum enim est discrimen, inter conditionem peccati possibilis, aut admissi, collati ad potestatem Sacerdotis illud absoluendi, & creaturæ possibilis ad Dei omnipotentiam comparatæ. Peccatum enim possibile, vel admissum, tantum abest vt pendeat à potentiâ Sacerdotis, quin potius ipsa pendet à peccato admisso, vt à conditione præuiâ & necessariâ, quam nequit, huiusmodi facultas ponere. At secus est de re subiectâ: creatura enim possibilis, non à se ipsa id habet, sed vt iam monui, ab essentia Dei, vt à prima origine. Duplex enim est creaturæ ad essentiam diuinam respectus, vt vera, & bona; qua vera & possibilis refertur ad essentiam, cuius participatione induit rationem entis possibilis, seu non repug-

nantis: vt bona pendet ab omnipotentia, quæ adiuncta voluntate ſtatuit, præter veritatem, conferre bonitatem, à ſtatu poſſibilis ad exiſtentium ordinem eductione facta, aut peragenda. Chimeræ ergo ſunt, & mera inſomnia, huiuſmodi conditionata obiecta, quaſi à ſe ipſis, nulla ope omnipotentiæ poſſibilia ſint; neque in illa magis præcontineri oporteat, quam peccata confitentium in Sacerdotis facultate ad remiſſionem peccatorum inſtituta.

Mirum ſane eſt, inquit Arturus, Deum ratione denominationis, à poſſibilitate creaturæ etiam amobili, magis cum illa connecti, quam ratione continentiæ, & ex illa denominatione, poſſe magis Deum huiuſcemodi creaturam cognoſcere, quam comprehenſione cauſæ quâ diſtinctiſſime & pleniſſime contineatur. Plura idem addit Author Argumenta: ſed allata, aut nulla ſufficient ad huiuſmodi figmentum explodendum.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Defenditur idem Argumentum contra opinionem Suarez.

EX infinitis abſurdis quæ voranda ſunt Auctoribus duarum opinionum, quas hactenus refutauimus, plura Suares effugit tertiâ opinione, quæ præter cognitionem diuinam creaturarum in eſſentia, vt in cauſa, addit ſecundam ex eâdem eſſentia, vt ſpecie intelligibili creaturarum: quia, inquit, nihil Deo denegandum eſt, quod ad perfectionem pertineat, quale eſt eſſe ſpeciem creaturarum, & eas continere non ſolum vt cauſam phyſicam, ſed etiam vt imaginem intelligibilem, quæ ducat ad illarum cognitionem in ſe ipſis.

Verum ad hoc magis inuitum, quam ſponte acceſſiſſe Suarem, facile eſt demonſtrare: quia hic dicendi modus, nec D. Thomæ, nec veritati, nec ipſius Suaris principiis conſentaneus eſt. Quod attinet ad D. Thomam, nullus poteſt citari locus, quo aliam cognitionem creaturarum doceat, quam in eſſentia, vt medio cognito: & hoc euidens eſt ex principiis eius: quia nullum intellectus aut voluntatis actum admittit, quin ſit magis Theolo-

gicus, quam charitas, aut visio beatifica, quæ diuinæ bonitati & essentiæ adhærent, vt vnico obiecto specificanti. Et eo etiam vidimus confugisse Suarem, dum opprimeretur difficultate insuperabili actus liberi, quem non putauit se posse concipere, aut tutari vt necessariam actualitatem, cum indifferentia ad volendam aut nolendam creaturam, nisi confugeret ad illud principium; quod actus liber & quilibet increatus, essentiam aut bonitatem diuinam respiceret vt obiectum formale adæquatum; creaturas verò vt obiectum materiale à quo non hauriant specificationem. At verò apertè recedit ab illa veritate, si asserat Deo id genus cognitionis futurorum in seipsis, ex essentia vt specie, seu medio incognito.

Vel ergo deserenda est huiusmodi scientia, vel abijciendum principium, quo diuinam libertatm tutatus est: id enim est euidentissime obiectum intellectionis specificatiuum, ad quod per se terminatur, nullo medio prius cognito, & ad cuius notitiam inducit species impressa vt medium incognitum: Atqui Suares vult ita comparari creaturas possibiles, aut futuras, ad diuinam cognitionem, media essentia, vt specie: à quo absurdo longe abest nostra sententia. Nam species expressa diuinæ cognitionis, respondet essentiæ diuinæ vnitæ per summam identitatem, cum intellectu, quâ ratione fungitur perfectissime munere duplicis speciei impressæ, quorum primo repræsentat immediate & formalissimè seipsam, & omnia quæ formaliter continet attributa, idque perfectissima similitudine, seu potius identitate. Præter illud genus muneris & respectus, habet aliud comparata ad res creatas, quarum cum sit causa, easque eminenter contineat, repræsentat etiam, sed mediate, vt obiecta materialia cognoscenda in causa.

Ex quâ declaratione constat quod cum tria distinxerimus media ad cognitionem, quorum primum est res ipsa iuncta intellectui, quam fœcundat, vt cum ipso pariant verbum simile obiecto vt mari & patri in hac generatione; alterum medium sit res, præhabens obiectum, aut imperfectè vt effectus suam causam, si sit vniuoca, aut superioris ordinis, aut ipsamet causa continens eminenter effectum; tertium denique medium à duobus explicatis distinctum, sit species intentionalis, vicaria obiecti cuius

ſemen, & inſtrumentum, inſtitutum cum hoc eſſe diminuto, vt vices obeat obiecti, vel abſentis, vel minus intelligibilis, & illius ſimilitudinem cognitione, ſicut ſemen generatione naturam propaget; ex tribus his mediis Vaſques nullum admittit ad cognitionem, quâ Deus ſe & creaturas cognoſcat: Suares omnia inducit in Deum, nos tantum primum, & ſecundum aſſerimus neceſſarium; tertium verò excludimus vt imperfectum & Deo repugnans.

Hæc omnia ipſa terminorum, ſeu mediorum interpretatione aperta ſunt. Nam certum eſt Deum ad ſui cognitionem habere eſſentiam vnitam, vt ſpeciem ſui, quia eſt intime præſens, & intelligibilis: ad cognitionem vero creaturarum vnitam habere, vt creaturas eminenter continet, & habet rationem medij cogniti: & ſub hoc duplici reſpectu ſpeciei impreſſæ, reſpondet ſpecies expreſſa, ſeu verbum, quod repræſentat & exprimit immediatè eſſentiam, & mediatè res creatas. Ratio verò ſpeciei vt eſt merè intentionalis, immediatè repræſentans creaturas, habet multos defectus, vt iam inſinuauimus; nec eſſe intelligibile creaturarum, Deo conuenire poteſt, niſi vt habet adiunctam vim efficiendi creaturas, quatenus Deus eſt cauſa intelligens omnium rerum effectiua. Ex hâc diſſertatione agnoſcet eruditus Lector, quam altas radices hæc doctrina D. Thomæ egerit, Patrum traditionem & omnium ſcientiarum principia complexa; & quam vani fuerint hactenus in eâ conuellendâ aduerſariorum conatus.

Hinc etiam in anteceſſum reſponſum eſt ad præcipuam partem Diſputationum Patris Annati, qui ſingulis fere paginis obijcit, ſententiam de futuris in decreto cognitis, eſſe nouum inuentum, commune Thomiſtis cum hæreticis, ignotum antiquis maxime D. Aug. & D. Thomæ. Sed vbi probauerit vlli ex Theologis, aut Patribus ante Fonzecam, & Molinam, ſi Nominales excipiamus, noram aut probatam fuiſſe aliam creaturas quaſcumque, ſeu poſſibiles, ſeu futuras cognoſcendi rationem aſſertam Deo; quam in ſeipſo; tum concedam, nuperam eſſe & periculoſam noſtram ſententiam. Sed mirum eſt, quod cum hæc de cognitione creaturarum in Deo controuerſia, tanti ſit momenti ad conſtituendam aut euertendam ſcientiam

mediam, nullo qui saltem occurrerit loco, fuisse ab Authore satis accurato, nec discussam, nec insinuatam. Sed dixi voluisse hærere vestigiis arguentium, qui nullam huius rei mentionem fecerunt, suis de scientia media Disputationibus: quamquam ni fallor legerim alias apud Tvvisium obiter tantum visum aut lectum, opinionem Nominalium ex Gabriele relatam refelli; cui aliquod reponi videbatur fore maxime è re scientæ mediæ. Sed ad alia progrediamur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Secunda classis Argumentorum à priori ex principiis proximis cognitionis futurorum conditionatorum, seu de veritate illorum.

OMNIA fere Argumenta quæ ad hoc caput pertinent, sicut ad primum, stant pro scientiâ futurorum in decreto, contra mediam scientiam: & nulla hactenùs legi apud illius Patronos, qui satis putant fœliciter secum agi, si nostra à priori petita ex vtoque capite, id est, à principiis primis, aut proximis scientiæ Dei soluant negatiuè.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Instruitur Principium secundum.

PRÆCIPVA paucis perstrinxi ex hoc capite Argumenta responsione nostra ad Carterium, quæ possunt omnia sub hâc formâ colligi. Scientia media nulla est, aut si admittatur est omnino inutilis ad eos vsus, ad quos est inuenta; nisi futura conditionata contingentia & libera sint vera infallibiliter, ac proinde scibilia, & scita à Deo, idque habeant non solùm ante decretum, sed etiam prius ordine & natura quam futura contingentia absoluta: Atqui nec vera sunt certò & infallibiliter, ac proinde nec scita à Deo ante decretum, vel si hoc gratis concedatur, non sunt prius vera & scita, quam futura absoluta:

Ergo scientia media nulla est, aut est inutilis. Consequentia & prima Propositio euidentes sunt; tota controuersia est in secunda Propositione confirmanda; quam sic probo: Vel omnia futura sunt ante Decretum scita à Deo, & vera infallibiliter, vel nulla, vel conditionata, aut absoluta: primum dici nequit nec vltimum: Ergo secundum verum est: ac proinde nequeunt ante decretum, nec nisi in decreto cognosci.

Quod verò omnia futura non sint certo vera, & scita ante decretum; probatur Argumento ad hominem: quia si absoluta sint æquè ac conditionata certo vera, & scita ante decretum nulla ratione pendent à cognitione futurorum conditionatorum: quod tamen negant passim Recentiores & potissimùm Fonseca, qui fatetur ad vincendas difficultates, quæ passim emergebant de Prædestinatione & Prouidentia, se excogitasse hanc conditionatorum & absolutorum distinctam cognitionem, nempe vt scientia conditionatorum præuia esset, & exploratrix ad absolutorum scientiam, & hoc etiam sæpiùs suo libro fatetur P. Annatus. Secunda pars Minoris probatur, nempe veritatem certam & scitam à Deo ante decretum, non competere vt proprietatem conditionatis. Hanc enim veritatem illis asserunt ex triplici cap. 1. Quod sint propositiones contradictoriæ, *hoc erit, vel non erit*, de quolibet contingenti: ea verò lex est contradictoriarum communis ad propositiones de futuro, aut quolibet alio genere, vt vna determinatè sit vera, altera determinate falsa. Hoc enim commune est, vt propositionum proprietas sit, aut veritas aut falsitas, sicut quantitatis æqualitas, vel inæqualitas. Denique videtur euincere ratio ipsa futuri, quam ita definiunt, *futurum est illud quod aliquando habebit existentiam*, & hoc potissimùm fundamento nititur P. Annatus; atque ex hâc definitione quasi apud omnes recepta, soluit præcipua nostra Argumenta, capite 2. primæ Disputationis, & capite tertio quartæ. Atqui hæ tres causæ, seu probationes, pro veritate futurorum conditionatorum, conuincunt communem esse futuris absolutis; quia ex illis formari possunt propositiones contradictoriæ, quarum cuilibet conueniet determinatiuè, falsitas aut veritas; illis etiam competit definitio futuri; quid ergo impedit, quin iure conditionatorum fruantur;

id est, veritas aut falsitas illis insit determinata, & à Deo scita ante decretum, nullo scientiæ mediæ auxilio?

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Refellitur sententia Molinæ, & ex illa Recentiorum noua opinio.

SI dicas cum Molina prius cognosci conditionata futura in causis secundis ex illarum supercomprehensione, quæ potest in illis indeterminatis certam cognoscere determinationem ad effectum; quod ius supercomprehensionis cum non habeat in suam voluntatem Deus, non potest cognoscere antequam se determinet per decretum, in quam partem sit inclinatura, an conditionem futuri sit purgatura, nec-ne; quod tamen necesse esset, vt futurum conditionatum absolutè cognoscatur à Deo. Addit etiam aliam rationem, cur Deus nequeat suæ voluntatis decretum nosse pro illo priori, quo potest liberè velle, aut nolle creaturam: quia si suos actus liberos pro illo priori videret, ante actualem determinationem, huiusmodi visio proprij actus libertatem interimeret.

Hæc motiua sunt opinionis Molinæ, non Argumenta: & monstrant plurimum referre ad illius causam, conditionata priùs esse scita, quam absoluta, vt agnoscit noster Author pagina 437. sed vtrique probandum est, rem ita se habere. Id quidem enititur conficere Molina duplici argumento insinuato; primò à priori, ex differentiâ comprehensionis, & supercomprehensionis; secundo à posteriori, & ab excidio libertatis diuinæ, si videat suos actus liberos pro illo priori, quo suspensa concipitur voluntas, & indifferens ad velle aut nolle.

Sed facile est amoliri omnes illos obices', argumento ad hominem: Omne verum est scibile à Deo, & reipsa scitur: Atqui ex aduersariis hoc ipso quod aliquod sit aliquando futurum, est scibile à Deo: Ergo reipsa scitur. Modò subsumitur: Atqui] pro illo priori, quo concipimus voluntatem diuinam indifferentem ad velle & nolle quodcumque, vnum illorum est non minus futurum, quam quod de voluntate creatâ asserunt esse futurum:

Ergo non minus est scitum à Deo.

Rursus perinde possunt formari propositiones contradictoriæ de futuris absolutis, ac de futuris conditionatis, ante omne decretum; & cum non sint minus contradictoriæ quam conditionatæ, & æquè primo formabiles, imò priùs, cum sint simpliciores priores compositis: Ergo pro illo priori, perinde propositiones contradictoriæ absolutæ, erunt determinatè veræ, ac conditionatæ: futuris illis pro priori illo conuenit definitio futuri, quæ est vnicum Argumentum à priori aduersariorum: Ergo ipsismet actibus liberis Dei potest suo modo lex contradictoriarum, & definitio futuri competere: Ergo sicut futura conditionata scita sunt à Deo ante decretum, ita absoluta; sicut Deus nouit actus liberos creatæ voluntatis ante vllam determinationem præsentem, & hoc ipso quod ita erit, sic cognoscet actus suæ voluntatis: At si hæc duo admittantur, ruunt omnia scientiæ mediæ fundamenta: Ergo ipsamet aduersariorum principia euertunt scientiam mediam.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Confirmatio eiusdem Argumenti differentiâ futuri contingentis, à præteritis, præsentibus, aut necessariis.

PROBARI potest secundo nostra sententia, nempe futura quæcumque contingentia conditionata, perindè ac absoluta, nec vera esse certò ante decretum diuinæ voluntaris, nec sciri posse sine illo. Hoc verò euincitur ex ipsa natura futuri; quæ manifesta fiet collatione cum præsenti, & præterito, cum possibili, & cum futuro necessario. Si contingens futurum comparemus cum præsenti, & quod perinde est, cum præterito, duobus differunt; quod ista habeant, vel iam habuerint existentiam, vt sic loquar exercitam, quæ omnem indifferentiam tollat, & ita ad vnum determinet, vt repugnet rem præteritam non fuisse, & præsentem non existere; at futura contingentia ante actualem determinationem, vel causarum omnium, vel saltem alicuius, cui cæteræ subordi-

nentur, nihil habet quod educat ab ordine possibilium, & tollat eius indifferentiam ad esse & non esse. Deinde data determinatione alicuius causæ secundæ, ea potest impediri: Ergo ex primo capite habent quod non sint determinata futura vera, & ex secundo quod non sint infallibiliter vera.

Vnde Auctor cui respondemus laborat apertâ petitione principij passim toto opere, maximè Disputationis primæ capite secundo; dum futura præsentibus æquat, quoad determinatum effectum, vel infallibilem veritatem; vt putet eodem prorsus modo se habere futuram etiam contingentem causam, ac præsentem aut præteritam. Sed præter quod huiusmodi paralogismi satis refutantur ex primâ comparatione futuri cum præsenti, & præterito; euidentior erit hallucinatio, si comparentur causæ liberæ & contingentes cum necessariis: istæ enim necessariam inferunt veritatem effectus futuri consecuti ex determinatione antecedenti naturali, ex quâ constituitur v. g. necessitas huius diei ab orbe & sole condito, ad quem iuxta præscriptum ipsi à Deo ordinem, consequuntur dies & temporum vices, quales experimur. At cum futura contingentia & libera non habeant huiusmodi determinationem antecedentem, & necessariam in suis causis, nullâ ratione possunt ex illis sequi determinate futura.

Vnde est merus Paralogismus eiusdem Authoris argumentatio pro veritate conditionatorum ante decretum Dei, ex comparatione causæ necessariæ ad liberam: quâ ratione, inquit, se habet causa determinata ad effectum absolute & conditionate futurum, ità se habet causa libera vt est sui determinatiua: Atqui ex illa consequitur effectus determinatus, & hoc certo scitur à Deo ante decretum: ità ex causa sui determinatiua consequitur effectus certo futurus & scitus à Deo. Mirum est sanè à duobus extremis adeo remotis, potuisse eundem effectum deduci. Si valeat eiusmodi illatio, verum erit quidlibet ex quolibet fieri: à causa necessaria deducitur effectus necessario futurus, quia non potest aliter, nec quidquam aliud agere: causa vero sui determinatiua potest vtrumlibet, nec ex Aduersariis potest quidquam certi de illa statui, in quam partem infallibiliter inclinat; donec secutus fuerit

dubium tollens ſua præſentia effectus : & hunc (ſi ſuperis placet) æquabimus effectui ex cauſa determinata conſecuto.

Vis noſtrorum Argumentorum augetur tertiâ comparatione futuri contingentis, & liberi cum poſſibili, ad quod maximè accedit, & eſt inferius illo : quia omne futurum eſt poſſibile ; non tamen è contra, omne poſſibile eſt futurum, niſi addatur determinatio ad exiſtentiam aut productionem, id vero fit cum cauſa indifferens ad vtrumlibet, ſe determinat : Ergo ante illam cauſæ determinationem futurum non eſt reuera futurum, nec certo quâ tale eſt ſcibile. Et ideo Ariſtoteles negauit de futuris contingentibus certam contradictoriarum legem eſſe, quæ indubitata ſit de præteritis aut præſentibus, nempe alteram eſſe determinatè veram, alteram determinatè falſam. Vnde enim ineſſet huiuſmodi contingentibus ? Non ex antecedenti determinatione cauſarum ; quia nullam ſupponimus, neque in Deo præcedere, vel vno inſtanti effectus præſentiam : vel inerit certa veritas alteri parti ex conſequenti determinatione effectus ; quia hoc ipſo quod nunc actu Petrus conuertatur, aut peccet, aut ſola actuali conuerſione in actu poſitâ, etiamſi nulla ad hoc præceſſerit in Deo, vel voluntate creata determinatio, verum putant fuiſſe ab æterno, hanc conuerſionem futuram infallibiliter, & ita notam à Deo ab æterno, ſicut eâ ſemel poſitâ, verum erit per totam æternitatem fuiſſe peractam huiuſmodi conuerſionem.

Id vero probant ex ſuâ futuri definitione, quod nihil eſt aliud quam aliquando contingere, rem habere ſuam exiſtentiam ; etiamſi quaſi contingat caſu, id eſt, nulla quoad hoc præceſſerit determinatio in Deo, ſed tantum præſcientia : & adeo firmam putat hanc doctrinam P. Annatus capite 2. citato, vt nihil poſſimus illi opponere, quantumuis nos excutiamus. Sed iam monuimus hanc futuri definitionem, vnde depromuntur omnia reſponſa & argumenta, eſſe omnino voluntariam, gratis confictam, ignotam Ariſtoteli, dum prænotatam conſtituit differentiam inter propoſitiones contradictorias de futuro contingenti & libero, aut præſenti, aut præterito, quod pars altera iſtarum determinatè ſit vera aut falſa, & certo ſcibilis, ſecùs contingentium : quæ differentia nulla

esset, si ad notionem futuri nulla habenda esset ratio determinationis, aut inclinationis causæ ad vnam partem; sed omnibus per totam æternitatem causis, ad vtrumlibet indifferentibus & suspensis, hoc ipso esset perinde futura ex suppositione, sicuti ex euentu præsenti. Id vero longissimè abest à mente Philosophi, & ab ipsa etiam veritate; vt satis demonstrat collatio inita futuri contingentis cum *præsenti*.

Et hanc placet illustrare ex Nazario, qui triplicem causæ contingentis statum, & subinde futurum effectum distinguit; vel enim prorsus est indifferens ad vtumlibet, vel frequentiùs vnum effectum producit, vel rariùs: verbi gratia, æstate rariores sunt pluuiæ, hyeme crebriores. Si causa sit quasi in æquilibrio; (qualem liberam voluntatem multi constituunt;) ex vi illius status, nulla pars dici potest verè futura, nisi sub disiunctione: sicut cùm dicimus alterum oculum esse ad visionem necessarium, non tamen dextrum aut sinistrum; quia alteruter illorum sufficit. Si vero causa libera & contingens in vnam partem magis inclinet; tum effectus verè potest dici futurus, veritate tamen fallibili: & hoc sensu admitti potest contradictoriarum de futuro contingenti, alteram esse veram, sed veritate fallibili. Nam si certam velis constituere; contradictoriæ propositiones euadent in contrarias; quarum vtramque falsam esse nihil est incommodi.

Id vero ità explicat Nazarius. Cum dicis res est futura, vel non est futura; propositionis negatiuæ duplex est sensus; primus, cum negat aut tollit causam, quæ statuat quidquam de re producendâ: secundus sensus propositionis in speciem negatiuæ, est reipsa affirmatiuus, & significat causam esse determinatam ad non futuritionem, id est, ad rem non producendam: Et hoc est omninò necessarium, vt certa sit propositio altera, res est non futura, & desinit esse contradictoria istius, res est futura, & fit contraria: quia sensus est causam esse determinatam ad non futuritionem: quæ interpretatio propositionem reipsa facit affirmatiuam, & specie, ac verbis tenùs negatiuam: ac proindè vt propositiones de futuro cõtingenti habeant determinatam veritatem, aut falsitatem erit vel non erit determinate; necesse est desinant esse contradictoriæ, & transeant in contrariarum leges; & hâc de causa Philoso-

phus eas à contradictoriarum legibus exemit. Si iterùm obtrudas definitionem futuri, id esse quod erit aliquando, & de illo sic definito, perindè verum esse erit, aut non erit, sicut de præsenti aut præterito, est, aut non est: sed cum aduersarij sic vrgent comparatione futuri cum præsenti, & illius definitione, futurum est quod erit; non aduertunt se probare idem per idem, & dissimulant differentias obseruatas inter futurum & præsens.

Quare ad illorum argumentationem, illud est futurum etiam nunc & ab æterno, quod aliquando erit, & suam veritatem & existentiam aliquâ differentiâ temporis habebit; Distinguendum est: si habeat aliquando suam existentiam aut veritatem, ex vi Determinationis futuri, siue absoluti, siue conditionati Concedo: si causa maneat semper suspensa, & indifferens ad effectum vsque, vel actum, quo illius indifferentia, & suspensio tollatur, vt à causa formali, Nego. Quare pro toto illo nunc æternitatis infinito, vel decursu temporis, quod antecedit actum liberum, aut effectum contingentem, neutra pars est determinatè vera aut falsa; si omnes pro tunc causæ maneant suspensæ & indeterminatæ. Licet enim propositio futuri, directè significet illius existentiam aliquando ponendam; non potest tamen esse certa illius futuri veritas & cognitio, nec denominatio legitima, nisi aliquo fundamento præsenti nitatur: nec aliud fingi potest, quam causæ determinatio.

Et reuera si fingeremus res constitutas secundum Atheorum impietatem, qui causam primam tollunt, cui subjiciantur secundæ, & eius prouidentiam ac virtutem; ita futura se haberent, sicut modò diximus, vt ante actualem deliberationem causæ liberæ & contingentis, nulla dici posset verè & infallibiliter determinata. Nunc verò rebus præscientiæ & prouidentiæ diuinæ, (vt fides & ratio docent) subordinatis, verum est quod docent ex Thomistis & Theologis, Curiel, Corneio, Salmanticenses, & alij, nullum dari instans reale, & in quo, vt vocant, tanquam mensuram futurorum contingentium & liberorum, quo non sint secundum alteram partem determinate vera aut falsa, & à Deo scita: tamen si illud instans reale diuidamus in instantia rationis naturæ, & à quo, & concipiamus huiusmodi futura secundum illam prioritatem,

tem, quâ intelligimus possibilia, indifferentia ad futurum esse, & non futurum, & ad alterutrum, sub disiunctione tamen, pro illo priori non sunt determinate veræ vel falsæ: imo si formentur huiusmodi propositiones; non sunt veræ, nec formales propositiones, sed materiales vt dicunt; quibus nihil pro illo priori respondeat.

His omnibus Argumentis, & obseruationibus, validè confirmata est hæc nostra secunda demonstratio à priori; & occupata ferè sunt omnia, quæ respondet Defensor scientiæ mediæ, variis suarum Disputationum capitibus. Sed ad illustrandam veritatem placet experiri, quid virium habeant eius responsiones, quas habet primæ Disputationis capite secundo, quartæ capite tertio, secundæ capite primo & vltimo, quæ omnia paucis excutiemus.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Confirmantur & vrgentur Argumenta superioris Paragraphi contra duas Responsiones.

MIRVM est quod cum propugnator scientiæ mediæ, quæcumque obuia sunt Argumenta, ad suam causam arripiat, nullum tentarit istius generis à priori; nisi inter respondendum nostris Argumentis, quasi necessitate potius quam sponte huiusmodi arma, aut probationes adhibeat; ratus debiliores esse ad faciendam fidem; & si quæ suppetant, opportunius admiscri responsionibus, vt ad minus videantur adiuuare solutiones quas vocauimus negatiuas, vt aliis iunctæ fœliciùs pugnent, quam solitariæ. Deinde cum scientiæ mediæ Authores, ab ipsa prima origine, licet in eâ asserendâ concordes, quoad cætera dissentiant fere omnes, & quæ Molinæ placuerunt fundamenta & præsidia, (si paucos excipias) reliqui eius discipuli improbent, & ipsi inter se malè conueniant, noua singulis diebus addant, & antiqua mutent: ne huius dissensionis & inconstantiæ parum cum veritate (quæ semper eadem est) consentaneæ, exempla longiùs repetam, abundè suppeditant duo, quibus cum hactenus pro scholâ nostrâ disputaui, qui vix secum, nec cum aliis vllâ re conueniunt, & in omnium grauissima de

ſcientiæ mediæ obiecto conſtitutiuo capitaliter diſſentiunt, vt ſtatim aperiam quoad cætera-ne verbo quidem: indicat P. Annatus, fundamenta quibus ſuperiores Societatis ſcriptores Scientiam mediam fulciebant, à differentiâ comprehenſionis & ſupercomprehenſionis, à legibus contradictoriarum, à definitione futuri, iam confutatis repetita; quaſi hæc infirma reputet tantæ moli ſuſtinendæ, illi noua iacit & aſtruit.

Negat conceſſa ferè ab omnibus, qualis eſt inter alia tranſitus obiecti huius ſcientiæ, à poſſibilis ſtatu ad ſtatum futuri: hâc ratione ductus, quod ad verum tranſitum, neceſſe ſit rem aliquod tempus ſub priori ſtatu tranſigere, antequam ad alterum deducatur. Quare ex hoc capite negaret Solem, & Angelum, & quamlibet rem ſubſtantiæ ſtabilis, (vt fieri nihil repugnat) ab æterno creatam, tranſire à non ente & nihilo ad eſſe; cum tamen ad illum tranſitum ſatis ſit ex propriis meritis deberi rei creatæ ſtatum nihili, & potuiſſe per totam æternitatem, vel ad tempus in eo detineri. Quid verò horum deeſt futuris quibuſcumque à Deo præſcitis ab æterno, vt illis non minus tranſitus à poſſibili ad futurum competat, quàm vt rebus ab æterno creatis tranſitus à nihilo ad eſſe; cum reuera eadem pars, quæ modo dicitur futura, potuerit eſſe ſub ſtatu rei pure poſſibilis, & illi debeatur.

Non minùs ſingularis eſt altera Reſponſio, cùm negatur res conditionatè futuras debere dici vllâ ratione futuras, hoc ſenſu, vt appoſitâ conditione dicas, erunt; ſed potius eſſent; cum tamen reuera huiuſmodi conditionata per ſcientiam mediam à Deo ſcita, eodem iure pertineant ad futurorum ordinem, quo ad liberorum; quando quidem eadem eſt diſtinctio rerum, & ſcientiæ diuinæ, vt poſſibiles & neceſſariæ pertineant ad ſcientiam neceſſariam ſimplicis intelligentiæ; liberæ vero ad ſcientiam liberam futurorum: Et cum huiuſmodi futura conditionata cadant ſub ſcientiâ mediâ, diſtinctâ à ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, debet res illas liberas inſpicere, vt à ſtatu poſſibilium progreſſæ ſunt ad ſtatum futurorum.

Ad idem caput pertinet, quod tertio loco inter ſingularia reponendum eſt, diuiſionem cognitionis rerum in cauſis, vel in ſe ipſis, quæ hactenùs cenſebatur totum cognitionis genus complecti, & exhaurire, eſſe inadæqua-

tam, & tertium genus innominatum constituendum, quo res neque in se, neque in causis cognoscantur. Quidquid sit de cognoscendis generatim, vt statum possibilium continent, (quorum cognitio ad hanc diuisionem reuocanda est, quâcumque tandem ratione fiat) de futuris conditionatis, nullus supereſt dubitandi locus, quin vel in causa, vel in seipsis videantur, secundum communem sensum Theologorum.

Nam Molina censet cognosci à Deo in causis secundis per supercomprehensionem, quæ aliquid in ipsis detegat, aut ex earum sinu eruat, quod neque occultent, neque contineant: ac subinde necesse est illa supercomprehensio causas supergrediatur, & transeat ad actum ipsum in se spectatum, vt ponendum sub conditione: sed sine vllâ verborum ambage id tradunt alij Doctores: Ergo quâcumque ratione explicetur obiectum scientiæ mediæ, eo deueniendum est, vt actus & effectus in se videatur, non abstractus, & purè possibilis, sed quasi concretus cum omni genere dependentiæ à suis causis, cum circumstantiis loci & temporis; ne dicat aduersarius cum Suare, abstrahere à tempore; & vna tantùm desit applicatio rei cæteris nihil prorsus mutatis.

Hæc futuri conditionati ratio, vt à statu possibili exit ad statum futuri, videtur validè confirmari posse, distinctione recepta apud omnes, actus voluntatis suspensi ex duplici capite, vel ratione obiecti, cui deest aliqua conditio, ne illud efficaciter voluntas appetat & prosequatur; vel est suspensus ratione potentiæ, quæ reuera nullum actum elicit, nec vllus etiam præscitur in his circumstantiis elicitus, sed qui prodiret, si conditio, quæ suspensam tenet voluntatem apponeretur. Fateor, si hoc secundo sensu admittamus actum liberum futurum conditionatum, verius dici, esset, quam sit, quia nullum præscitur elicere voluntas, & suspensa manet potentia, cum quâdam significatione meritorum obiecti, quod alliceret ad sui amorem, si adesset conditio necessaria; nullum tamen reipsa prodire à voluntate actum, nec videri proditurum. Si vero suspensio sit ab aliqua obiecti circumstantia, non ab ipsa voluntate, inmeritò timetur hâc verborum formulâ vti, actus erit; nec oportet loco verbi erit esset vti: maxime cum omnes causæ præuideantur ac-

cinctæ ad operationem, & actum ſecundum, & in illum etiam ſe effudiſſe; itaut magis ex actu potentiæ determinatio, quam è contra actus ex potentiæ determinatione, certo cognoſcatur ſecundum ſcientiæ mediæ Authores. Nam quamdiu actus inſpicitur in cauſa liberâ, velut nutare notitiam volunt, nec firmam eſſe; donec actum ſit intuita, quo viſo nihil ſupereſt dubij, nec periculi, ne mens decipiatur; atque eo volunt deducere ſcientiam mediam: Ergo debet actum in ſe videre, non in cauſa vt futurum: nec quidquam illi ad ſuam exiſtentiam deeſt ex influxu cauſarum, quæ ad eius productionem neceſſariæ ſunt: ſed pendet tantùm ex circumſtantiâ extrinſecâ actui ſecundo, quæ nihil obeſt quin eius veritas nota ſit in ſe, & pertineat ad futurorum ordinem. Sicut enim res poſſibiles cognoſci poſſunt pro illo ſtatu, licet nunquam ſint peruenturæ ad exiſtentium ordinem; ita futurorum conditionatorum veritas conſtat, & ſcitur, licet defectu alicuius conditionis extrinſecæ nunquam ad exiſtentiam deducantur.

His tribus Reſponſionibus ſemotis, liberius progredietur noſtra diſputatio. Accedamus ad primum Argumentum ex Tuiſſio licet hæretico, quod nihil hæreticum reſpiat: neque enim quæcumque improbi agunt, aut pronuntiant, mala ſunt, ſicut nec Prophetiæ pondus, & authoritatem habet, quidquid prodit ex ore Prophetarum. Vim Argumenti & ſolutionis expendamus, ſemoto perſonarum reſpectu, attentâ rei veritate & æquitate. Tuiſſius maximè fidit huic Argumento, quod ad ſecundum noſtrum accedit, ſi ſeruato ſenſu, formam & verba paululùm immutemus. Tota veritas & notitia futurorum, nititur tranſitu illorum à ſtatu poſſibilium ad ordinem futurorum, qui nec fieri nec cognoſci poſſit, niſi detur, & cognoſcatur cauſa externa illius tranſitus: Atqui non poteſt concipi alia illius tranſitus cauſa externa, præter voluntatis diuinæ decretum: Ergo in illa, & vi illius cognoſcentur futura, non per ſcientiam mediam.

Ad hoc reijciuntur omnes partes Argumenti, & Maior, vtiam monui, duplici cauillo impetitur. Negant tranſitum verum rei contingentis, qui non poteſt, inquiunt, conſtare, niſi res futura ſub ſtatu poſſibili aliquod tempus exegerit, & vix à poſſibili ad futurum naturæ in-

stans interſit. Deinde conditionato futuro addit rationem futuri, quæ non poſſit exprimi conditione poſita erit; ſed tantum eſſet. Vtramque Reſponſionem refutauimus: & immeritò ſanè refugiunt modum loquendi Scripturæ; vſurpatum eodem loci, vnde ſcientiæ mediæ præſidium aſſumitur. Neque enim quærentibus amicis, quid euenturum eſſet ſuo duci Dauidi, diutius apud Celeitas moranti, reſponſum eſt traderetur; ſed ſi diutius hæreat tradetur.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Refutantur aliæ duæ reſponſiones ad idem Argumentum.

HIs duabus Reſponſionibus diffiſi, duas alias addunt. Negant vllam cauſam externam huiuſmodi veritatis neceſſariæ à decreto Dei repetitam: ſed ſatis eſſe ad huiuſmodi veritatem futuro conditionato aſciſcendam, cauſam futuram, ſeu ponendam poſitâ conditione, vel ſufficere voluntatem creatam ſui determinatiuam: quia cauſa futura perindè ſe habet ad effectum conſtituendum certo futurum, ſicut cauſa præſens ad præſentem. Vnde tarditatis arguitur Tuiſſius, quod rationem adeò perſpicuam, adeò expoſitam aſſequi non poſſit; cum fateatur ipſe in ſententiâ Ieſuiſtarum non deeſſe determinationem, quâ contingentia fiant præſentia, ſed nullam eſſe quâ fiant futura: illi verò contra contendunt, quæ determinatio ſit in præſentibus, eandem eſſe in futuris abſolute, & in futuris conditionatè: idque tanta euidentiâ, vt niſi huiuſcemodi comparationi futuri ad præſens acquieſcamus, ad omnes inclamandum ſit: *ô ſtulti & tardi corde ad credendum.* Et vt iuſtior ſit increpatio incredulitatis, additur alia Reſponſio, ſeu ratio determinationis ad vnam partem contradictorij contingentis, nempe ſuppoſitio voluntatis liberæ determinatiuæ ſui ad alterutram partem, ex quâ alterâ ſequatur determinatè, non minùs quam effectus neceſſarius, à cauſa ad vnum determinata. Nec dubitant quin his Reſponſionibus Tuiſſius animam agat, & excipiendum cenſent vltimum ſenis flatum, illâ

comparatione voluntatis liberæ ſui determinatiuæ ad cauſam neceſſariam.

Sed intempeſtiuior & iniquior videtur hæc obiurgatio, quod huius duplicis comparationis cauſæ futuræ ad præſentem, & liberæ ad neceſſariam, atque inde conſecutionem ad certos vtrobique actus & effectus à Deo ſcitos, nondum capiamus. Nam ſi iuſta ſit hæc tarditatis & incredulitatis increpatio, iure cadet in omnes fere ſcientiæ mediæ defenſores, qui illum præceſſere, quibus poſſet dicere, *modicæ fidei, quare dubitaſtis?* Si res tota confecta eſt hâc duplici comparatione, immeritò Molina confugit ad ſupercomprehenſionem, & eius diſcipuli dictum cenſent de hac ſuâ ſcientiâ, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*: imo nonnulli ſententiam noſtram de futurorum cognitione in decreto, ex hoc capite reijciunt, quod ſemel admiſſa, nihil habeat admirabile & incomprehenſum ſcientia Dei: Immeritò arguimur, quod non ſinamus nos conuinci, paris eſſe rationis, quod à cauſa futura libera ſit certò futurus effectus, & ex illa cognitus, ſicuti ex cauſa præſenti, & præterita effectus eiuſdem ordinis. Sed præterea quæ in anteceſſum contra has duas comparationes, & Reſponſiones obiecimus, ſuperſunt aliqua quæ opponamus. Imprimis vt comparationem futuræ cauſæ cum præſenti capiamus, nec tarditatis arguamur, explicanda erat ratio futuræ cauſæ: quid enim illo nomine intelligitur? Dices rem eſſe apertiorem, quam vt ſit interpretanda, aut definienda, cauſam futuram eam dici, quæ nondum ſit, ſed aliquando erit, vel eſſet appoſitâ conditione, quæ eius exiſtentiam ſuſpendit. Iſta omnia ſynonyma ſunt, & vix poſſunt habere rationem definitionis quam vocant quid nominis: definitionis vero, quid rei, ne vmbram quidem præferunt.

Quare vt illam eliciamus; iterum quæro, an nomine cauſæ futuræ intelligas illam, quæ toto tempore, aut ſi velis, tota æternitate, quâ præceſſit actum & effectum, indifferens fuit ad vtrumvis, neque ſe ad alteram partem determinauit, niſi prius natura ad effectum, aut potius per ipſum effectum ſublatâ eius indifferentia ad oppoſitum, quaſi per formalem ſui cauſam, vt voluntati creatæ accidit: vel nomine cauſæ futuræ, intelligis determinatam in ſe, longe ante effectum, aut ſubordinatam

causæ æternæ, transitus illius futuri à statu possibilis; qui ab æterno certo scitur: si hoc secundum asseras, nobiscum sentis: si verò primum velis, vbique petis principium tuis Responsionibus, & grauiores incurris difficultates quarum nonnullas attingam.

Primo quidem verbis distinguis causam futuram & præsentem, reipsâ eandem statuis. Quid enim est causa præsens, quam ipsamet ante, vel nulla, vel omnino indifferens, quæ habet potentiam determinatam non ante effectum, si sit libera, sed per ipsummet actum? Hanc verò vis esse causam futuram: Ergo nullâ ratione distinguuntur, nisi merè materiali, vt sic loquar, quæ nihil prorsus faciat ad agendi rationem. Sed vt paucis aperiam totius controuersiæ nodum & cardinem: Aduersarij contendunt causam futuram nihil aliud prorsus esse, etiam pro totâ æternitate futura, quam quæ sit aliquando effectum elicitura. Vnde totam futuri denominationem repetunt ab ipso euentu, nullâ habitâ ratione dispositionis causæ, etiamsi toto tempore, aut si velis prioritate naturæ, ante actum manserit ad vtrumlibet indifferens: nam vt denominetur causa futura ab æterno, satis est, quod aliquando ponatur actus, à quo non minus denominabitur quidquid anteceſſit illum, quam quod consequetur: & hæc est vnica probatio & solutio Aduersariorum. Nos verò contrà contendimus ex solo hoc capite, si causæ omnes tum prima, tum secunda maneant indifferentes ad vtrumuis, nec vllam habeant determinationem ad alterum, merè esse possibiles causas, nullo modo dici posse futuras, nisi per summam æquiuocationem, nec habere denominationem futuræ causæ ab ipso actu, sed ab ipsa determinatione causæ in ordine ad actum ponendum: quæ cum duplex esse possit, vna absoluta nullius impedimenti patiens, seu quod est idem, ratione principij, & termini; altera vero sit absoluta quidem ratione principij, quia est vera & positiua determinatio, non ratione obiecti, vel quia obnoxia est impedimento, vel non potest, aut non vult, nec disposuit, sicut nec forte conuenit omnes obices amouere.

Hinc nascitur distinctio duplicis causæ futuræ, & subinde futuri effectus absoluti quoad principium & terminum, vel absoluti quoad principium non terminum, quale est futurum quod vocamus conditionatum. Con-

trouerſiâ ſic explicatâ facile concipiemus, quid ſibi velint Thomiſtæ & Recentiores, & quis ſit ſenſus ſolutionum quas expendimus, & noſtrorum Argumentorum; quibus euincam veram eſſe noſtram futuri definitionem, falſam ex Recentioribus allatam. Quod primo demonſtro; quia incredibile eſt quod aſſumunt, præſentiam actus habere eandem vim denominandi, quæ antecedunt, & quæ conſequuntur. Id quidem certum eſt, quod eſt ſeipſo determinatum, id eſſe ſibi & aliis, quæ à ſe pendent, rationem habendi denominationem, à primâ illâ determinatione: Atqui res præſens ſeipſa eſt determinata in ſe, ratione propriæ actualitatis: Ergo poteſt eſſe ſibi ratio huiuſmodi denominationis & determinationis, & aliis etiam quæ illam conſequuntur; qualis eſt tranſitus à præſenti ad præteritum: & ideo par eſt neceſſitas rei præſentis & præteritæ; & repugnat præteritum aut præſens non eſſe aut non fuiſſe.

Quod vero aſſumitur eâdem ratione, & quaſi neceſſitate conſequentiæ dare cauſis quæ ſe antecedunt denominationem cauſæ futuræ, etiam quamdiu manent indifferentes; hoc non ſolum aſſumitur ſine probatione, ſed omnem fidem & intelligentiam ſuperat: cum ex communi hominum ſenſu, quæcumque ab effectu vel actu deducuntur ſpectantia ad cauſam, prout antecedit effectum, accenſeantur probationibus à poſteriori; & prorſus ſit inauditum, rationem eſſe, cognoſcendi à priori: Atqui Deus non cognoſcit cauſam ſecundam, ac liberam, acturam à poſteriori, ſed in ſe potius & à priori: Ergo non cognoſcit cauſam futuram ex vi futuri actus. Et ſi eo confugias; manifeſtè petis principium, & in circulum vitioſum incurris.

Hoc Argumentum mihi in mentem reuocat Aduerſariorum defectum, in explicanda natura libertatis, non iſti diſſimilem, quem deprehendimus de ſcientia diuinâ: vt probationem libertatis ab indifferentia afferant quaſi Argumenta à priori, ſicut definitionem futuri, & ſcientiam Dei repetant à ſolo euentu, nullâ cauſæ præuia actuali determinatione: cùm tamen ſi quam vim habeant hęc duo probationum genera, omnino repetere debeat à genere Argumentorum, quæ à poſteriori vocamus.

PARAGRAPVS SEXTVS.

Confirmatio ſuperiorum, nihil agnoſci certo futurum inconſulta voluntate diuina.

CONFIRMATVR primo idem Argumentum. Futurum medium eſt inter præſens & poſſibile; & cùm in ſe vt plurimum nihil ſit, magis metiendum eſt per acceſſum ad poſſibile, quam ad præſens: poſſibilis vero cauſa non dicitur ab effectu poſſibili, nec denominatur, aut probatur niſi à poſteriori, & quaſi à ſigno; à priori autem próbatur vel à propria virtute, quam iam præhabet, vel quam poteſt recipere à cauſa ſuperiori, cui ſubordinatur, & in quâ eius virtus, & exiſtentia continetur: neque enim fingi poteſt, cauſam dici poſſibilem ab effectu; ſi ipſa in ſe nihil ſit, nec in aliquâ causâ contineatur: Ergo nec cauſa futura dici poteſt, quæ in ſe, nec eſt determinata, nec in causâ ſuperiori ad vllam partem, ſed ad vtramque eſt indifferens: Atqui hic eſt ſtatus cauſarum, quandiu nec prima ſe determinauit per decretum, nec ſecunda habet ex propriâ virtute determinationem ad vnum: Ergo non poſſunt habere denominationem cauſarum futurarum, quandiu tota cauſarum complexio manet ad alterutram partem indifferens: Atqui authores ſcientiæ mediæ illum cauſarum ſtatum confingunt: Ergo immerito & nullo fundamento dicunt cauſas eſſe futuras, vel futuros effectus à Deo certo cognoſci.

Confirmatur ſecundo à poſteriori & ab inconuenienti. Si futura conditionata cognoſcantur à Deo certo & infallibiliter, inconſulta voluntate, & nulla determinatione præuia cauſarum, hoc ipſo quod aliqua pars contradictoria futura eſt, vel eſſet futura, poſita conditione; ſequitur manifeſtè perinde cognoſci certo à Deo abſoluta futura, voluntate inconſulta, vel in decreto poſſibili, aut futuro, ſicut concedunt Aduerſarij cognoſci futura conditionata, inconſulta voluntate, & in decreto ad ſummum poſſibili: Atqui hoc eſt abſurdiſſimum, & ſcientiam mediam, & conſilia omnia Aduerſariorum euertit: Ergo. Sequela eſt euidens; quia eadem ratio prorſus eſt veritatis

& certitudinis, nempe futuritio, vt sic loquar, rei quæ sine dubio erit perinde absolutæ ac conditionatæ: nam Petrum conuerti aut non conuerti absolutè, perinde sub disiunctione verum est, & altera pars erit determinatè, sicut si fingas vel apponas aliquam conditionem. Minor non minus est euidens, etiam iuxta mentem Aduersariorum, qui volunt cognitionem conditionatorum & veritatem, rationem esse veritatis & cognitionis absolutorum, quæ nitatur determinatione voluntatis non futurâ, nec possibili, sed præsenti. Hæc vero omnia prorsus ruunt, si admittamus vlla futura cognosci, inconsultâ voluntate diuinâ, & sine decreto: quia decretum diuinæ voluntatis non magis est necessarium ad cognitionem & veritatem absolutorum, quam ad veritatem conditionatorum: cum vtrolibet eadem sit ratio; vel eximendi à dependentia decreti, vel illi subijciendi futurorum veritatem: Ergo est necessarium ad omnia, vel ad nullum: non potest dici hoc secundum; Ergo primum: ac proinde est inuicta nostra secunda demonstratio à priori; non stare veritatem, cognitionem certam futurorum quorumcumque nisi in decreto.

Hoc ipsum euincit Argumentum Ioannis à Sancto Thoma cui P. Annatus Respondet ijsdem solutionibus, aut æquiuocationibus, quas facile est ex dictis validè refellere. Sic autem potest Argumentum formari, futura traditio Dauidis prænuntiata in Scripturâ; si apud Ceilitas moraretur, pertinet ad verum liberum, aut distinguitur à possibili, sub quâ ratione à statu possibili transit ad statum futuri: Atqui traditio sic explicata, antequam accidat, aut cognoscatur, requirit necessario determinationem causæ per decretum. Negant Maiorem & Minorem Aduersarij.

Probatur prima Propositio; quia futura traditio nihil est aliud, quam veritas obiectiua futuritionis cognita à Deo: sed illa pertinet ad ordinem futurorum, vt distinguitur à possibilibus. Negant Minorem; & dicunt veritatem futuræ traditionis, non esse quid distinctum, ab ipsa traditione futura: & ideò implicare, suspensam esse traditionis existentiam, & non esse suspensam illam veritatem.

Quod si contendas, inquiunt, veritatis nomine, præter

entitatem rei, significari etiam aliquam non repugnantiam cognitionis circa huiusmodi rem quæ dici possit eius cognoscibilitas; concedunt ratione huiusmodi non repugnantiæ dari veritatem futuræ traditionis, nec esse suspensam ex conditione. Sed contrà: huiusmodi non repugnantia non potest esse ratio & causa, cur suspensa sit existentia, non cognitio: seu, licet non sint absolutè extitura, tamen cognoscantur vt verè futura sub conditione; in quo distinguuntur ab opposita parte contradictoria, quæ tantum est possibilis: Ergo quærendum est aliud principium huiusmodi futuri conditionati, quod constituitur medium inter possibile, & futurum absolutum. Probatur Antecedens: id quod est commune duobus, aut pluribus, non potest esse causa distinctionis illorum: non repugnantia ad cognitionem, communis est futuro conditionato cum absoluto, & cum pure possibili: Ergo malè in illam refertur causa, cur suspensa sit existentia futuri conditionati, non cognitio.

Verum itaque discrimen iuxta nostra principia facile est, & in hoc positum; quod cum veritas nihil sit aliud, quam conformitas rei & cognitionis; & aliunde futurum nihil sit aliud, quam id quod in se nondum est, sed est determinatum in causis, ad existendum, & cum ea determinatio duplex sit, vt iam distinctum est; absoluta, seu expers suspensionis, quoad terminum, & quoad principium; vel absoluta quoad principium, suspensa vero, vel impedienda quoad existentiam termini; conformiter ad hanc causarum de futuro dispositionem, distinguenda est duplex futuri cognitio, absoluta quoad principium & terminum, & absoluta quoad principium, non quoad terminum.

Hæc doctrina illustrabitur solutione Argumenti. Veritas futuræ traditionis Dauid, non distinguitur ab ipsa traditione: Ergo implicat suspensam esse traditionem, & non veritatem. Distinguo Antecedens, sunt vnum identicè & quasi materialiter Concedo: sunt idem formaliter & reduplicatiuè, Nego; ac proinde negatur Consequentia: omnis enim propriè futuri, vt distinguitur à possibili, non est suspensa veritas, & cognitio, sicut eius existentia, ratio verò petenda est à natura futuri propriè sumpti, quod vt diximus, duplex est, & ex duplici capite distinguitur à pure possibili; istud enim est indetermina-

tum, quoad principium & quoad terminum; futurum autem absolutum est determinatum, quoad principium & quoad terminum; quia illius causa, ita propensa est ad eius productionem & existentiam, vt nec debeat, aut possit impediri: futurum vero conditionatum est medium inter futurum absolutum & possibile, quatenùs continetur in causâ determinatâ ad ipsius productionem, sed quæ sit suspensa quoad terminum & existentiam. Istud ergo futurum habet suo modo veritatem, & cognitio fit illi conformis: vt sicut quandam patitur suspensionem, ita intellectus, quoad hoc illi fiat similis, & accommodetur: secus est de existentiâ, quæ cum suspensionis sit impatiens, non mirum est, si futuri veritas, & cognitio sit absoluta, existentia vero sit suspensa. Et vt salua sit hæc differentia, sufficit distinctio rationis inter existentiam futuri, & veritatem. Nam cum inter verum & bonum, non sit major, quam inter veritatem & existentiam futuri distinctio; mirum est quam diuersa ratione terminent actus intellectus & voluntatis; vt hoc exemplo refellatur Argumentum, ab existentiâ futuri conditionati, ad eius veritatem: nam cum sint exigendæ ad diuersas regulas, potest vna esse absoluta, aut suspensionem pati, cuius existentia sit omnino impatiens.

Hæc futuri definitio & distinctio, euertit omnes solutiones ad Argumentum Ioannis à Sancto Thoma, detecta æquiuocatione, quâ omnes laborant sub hoc termino futuri. Vnde vno verbo ad omnia Respondeo vbique peti principium; dum obtruditur definitio futuri quasi propria & germana, quod nullâ causæ primæ, vel secundæ præuiâ determinatione actuali, aliquando erit. Hoc enim æquiuocè dicitur futurum, ad quod causæ non magis sunt comparatæ, quam ad oppositum, cum supponantur indifferentes ad vtramlibet partem.

Sed dices; si ab æterno formata fuisset propositio hæc, etiam priori naturæ ante determinationem vllius causæ, vel voluntatis diuinæ fuisset vera, si contigisset reipsa Deum id decreuisse. Respondeo, illud Argumentum plus probare quam vellent Aduersarij; & si quid virium habeat, euincere futura absoluta esse vera, & sciri à Deo ante omne decretum voluntatis: ac proinde est negandum vllum verè & propriè futurum, & sciri etiam posse à

Deo, cuius non præcesserit in causâ determinatio, tollens suspensionem quoad principium & existentiam, vel certè quoad primum.

Reliqua quæ supersunt ex capite tertio toto Paragrapho primo, nihil est opus sigillatim expendere, quia reuera cadunt explanata ratione futuri. Supponit enim futurum esse, vel fore id, ad quod nulla præcesserit causarum secundarum, vel primæ determinatio; sed satis esse indifferentiam causæ ad vtrumlibet, quâ suppositione factâ, putat perinde secuturum actum liberum, sicut ex possibilitate ignis, cum prouidentia illius naturæ accommodatâ, futura est calefactio. Similia sunt reliqua quæ adiungit: quæ tantùm abest, vt fidem aliquam faciant, quin potius omnem superent. Quid enim incredibilius, hoc quod postremo loco ex illo retulimus, perinde ex voluntate ad vtrumuis sui determinatiuâ, nullâ, nec à se, nec à Deo determinatione præuiâ, oriturum, qui certò sciatur, actum liberum, sicut ab igne stuppæ applicato calefactionem?

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

Confirmantur ex dictis rationes aliquot Anonymi.

EX ijsdem probationibus facile est confirmare rationes aliquot, allatas pro nostrâ sententiâ capite primo Disputationis secundæ, ex decem, authore Anonymo, qui vt fert communis opinio, est P. Typhano è Societate: eas attingam, quæ aliquam lucem ex superioribus recipiunt, vel illis mutuo refundere possunt.

Primum Argumentum est huiusmodi; vel illud futurum conditionatum cognoscitur à Deo in causâ, quasi à priori, vel in se ipso? Respondetur neutro modo: & cum instat Anonymus ex D. Thoma Quæst. 14. diuisionem rationum cognoscendi res in causâ, vel in seipsis esse adæquatam; Respondent D. Thom 1. p. quæst. 14. art. 8. vbi insinuat hos duos modos cognoscendi futurum, non opposuisse particulam excluſiuam tertij modi; & deinde ex Aduersario nullibi egisse de scientiâ mediâ; quare nihil mirum, si modum huic scientiæ singularem omiserit. Sed hoc nomine potest suspecta esse, & improbari scientia

media, quod deffendi nequeat, nisi nouus futuras res cognoscendi modus excogitetur, cuius nullum extat apud D. Thomam, & alios Authores vestigium; deinde indicandum erat, quo nomine esset appellandus.

Sexta ratio, omissis superioribus, habet vires ex nostris Argumentis; nempe frustra constitui tertiam scientiam; quia si futura conditionata sint extitura cum suâ conditione in aliqua differentia temporis, pertinent ad scientiam visionis, quæ est absolutorum futurorum, quibus non cognoscuntur prius conditionata: Ergo pertinent ad eamdem scientiam visionis. Si vero futura sint intrà ordinem conditionatorum, numquam habitura existentiam, possunt reduci ad scientiam simplicis intelligentiæ, à quâ cognoscitur propositio certissime, Petrus conuertetur, si det Deus illi efficacem gratiam, secùs, si tantùm conferat sufficientem, quomodocumque explicetur differentia illius gratiæ; quandoquidem inuoluit intelligentia vtriusque gratiæ, Dei decretum; quod tamen Aduersarius non concipit, nisi sub notione possibilis: Ergo ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinet huiusmodi propositio.

Ad hoc sextum Argumentum concedit, scientiam mediam futuri conditionati esse priorem scientiâ absolutorum, & illi prælucere, sicut intellectionem volitioni: & illi præire sicut generationem Verbi processioni Spiritus sancti. Sed nos id falsum esse demonstrauimus multis Argumentis.

Et inde etiam sumit vires septima ratio ad propositum efficaciissima, quæ ita habet. Nemo nostrum ita desipit, vt hypothetica iudicia simul concipiat cum absolutis, de eâdem re maximè, si, vt concedit Aduersarius, illis iudicium absolutum & experimentale præcedat hypotheticum, aut cum illo ex æquo concurrat. Quis enim lucentem solem videns dixerit, si luceret sol, illum viderem? Aut præ manibus habens, aut legens Breuiarium diceret, si haberem Breuiarium, illud legerem? Atqui similes sunt propositiones hypotheticæ, quas scientiæ mediæ Authores affingunt Deo, quia vt est demonstratum, iudicium absolutorum est prius, aut certè simultaneum, & nullâ ratione posterius iudicio hypothetico: Ergo non videtur absurditate carere, admittere in Deo huiusmodi in-

dicia hypothetica, quibus solis constat scientia media.

Responsione ad decimam rationem, immerito negat de rebus omnibus dari posse scientiam conditionatam: quia de his potest & debet dari, de quibus si formentur propositiones contradictoriæ, altera debet esse vera, altera falsa: Atqui nullum est possibile, de quo non possint formari infinitæ propositiones contradictoriæ, quarum ex lege contradictoriarum receptâ ab aduersariis, altera sit determinatè vera: Ergo immerito negat de omnibus huiusmodi scientiam talem posse dari. Et hoc videtur vltrò concedi eiusdem Disputationis capite 5. Numero 70. cum nobis obijciatur tanquam absurdum ingens, si Deus de omnibus his interrogatus, non posset respondere, quæ duarum contradictoriarum pars esse determinatè vera; Ergo de his omnibus est admittenda Dei scientia aut ignorantia. Hâc propositâ quæstione, cum Typhanius dixisset neutrum illius contingentis partem futuram absolutè, id est, nec pugnam, nec victoriam, de quibus percontabatur ipse; vrget non responderi ad quæsitum, an scilicet esset futura victoria, si esset pugna: & adiungit, hæc interrogatio expectat responsionem, etiamsi auditum sit, neutram futuram. Hæc interrogatio non solum de pugnâ & victoriâ, sed de omni rerum genere fieri potest, non solum de coniunctis in ratione causæ & effectus, vt si Petrus vocetur conuertetur; sed etiam de disparatis quibuscumque, vt si Turca dormiat Constantinopoli, Petrus vigilabit, aut non vigilabit, debet necessario Deus habere paratum responsum; quandoquidem, hæc omnia cadunt sub lege contradictoriarum, quæ alteram determinatè partem præscribit esse veram: Ergo à Deo scitam, etiam si propositiones sint rerum disparatarum. Quod tamen negant Aduersarij.

Vltima ratio monstrat Auctorem dissentire omninò à P. Theophilo: quamuis id mirum non sit, cum vt, mox videbimus, parum videatur secum conuenire. Damnatergo in totum quod suprà refutauimus ex Theophilo, obiectum scientiæ mediæ constitutiuum, constare suppositione impossibili, quid è voluntate nostra esset prodituram, si se sola ageret, sine vllo Dei concursu; nec putauit saluam esse posse scientiam mediam, nisi ad illam chimericam suppositionem confugeret. Hinc videat prudens Lector,

quò scientiæ mediæ defensio compellat suos assertores, & licet hoc figmentum irrideat P. Annatus; certè non init magis expeditam illius defendendæ viam, cum statuit pendere à concursu Dei, & decreto possibili, de quo plura Articulo sequenti.

Capite 2. eiusdem Disputationis, accuratè vindicat Molinam à censuris paulo seuerioribus Anonymi. Certe nec Molina, nec vllus alius reprehendi iure potest, quod agnoscat difficillimam esse liberi arbitrij cum præscientia, & diuinis decretis concordiam. Hoc enim agnoscunt Augustinus, & omnes Patres, ac Theologi, ex quibus Caietanum, Sotum, Bannem refert Author. Si quæ in eo culpa fuit, ea est maxime, quod censuerit Molina huic difficultati omnes qui se anteceſſerunt, succubuisse, nec posse vinci, nisi à se inuenta scientia media, quam antiqui ignorarunt, vel certe eâ numquam vsi sunt, ad veritatem Catholicam de arbitrio libero & gratia aduersus hæreticos propugnandam. Hox maximè vitio verti potest Molinæ, quod demissiùs de SS. Patribus quam de se senserit.

Non dissimulat etiam aliud eius Apologista, quod putet ipsam liberi arbitrij comprehensionem, esse Deo rationem intelligendi futura; cùm constet comprehensionem causæ, seu supercomprehensionem, quæ non habeat ex se determinatam cum altero ex oppositis connexionem, non posse esse rationem intelligendi vnum ex illis determinatè futurum; nec prodesse quidquam quod perfectè comprehendatur: cum quo magis comprehenditur, eo magis intelligatur illa non connexio cum vno determinato, sed indifferenter cum altervtro. Ita sincerè & egregiè Disputationis citatæ numero 19. Sed vellem vti candidè aperuit vitium opinionis Molinæ, ita emendasset, vel reiecta scientia media, vel melioribus fundamentis suffulta. At reuera neutrum factum, aut tentatum video: imò aucta est ædificij scientiæ mediæ ruina, & illius defensoribus subducta sunt tria commoda, quæ Molina sibi asciscebat ex illa sua causarum secundarum supercomprehensione. Nam huiusmodi verborum nouitate, & strepitu facile imponebat indoctis & incautis. Deinde seruabat scientiæ mediæ quasi filiæ chariſſimæ ius primo genituræ supra scientiam absolutorum, quæ non poterant sciri,

sciri, donec voluntas diuina in alteram partem actuali decreto inclinasset,& dum decretum prodiret ; præter quod absoluta manebant occulta, ignoti etiam erant Deo actus liberi: atque hac ratione consulebat libertati diuinæ & nostræ, quia vtrique timebat ; diuinæ quidem à præscientia suorum actuum;& nostræ, à præscientia absoluta futurorum, inconsulta scientia media.

Ab his bonis, quasi à paterna hæreditate exciderunt eius discipuli, reiecta supercomprehensione : licet totis viribus nitantur illa seruare, etiam post amissum titulum. Nam idem Author eiusdem capitis 2. Paragrapho 4. vult scientiam mediam seruare antecessionem ad scientiam visionis, seu futurorum absolutorum, non solum; qualem habet animalis ratio generica suprà speciem hominis, & indiuidualem Petri, qualem vocamus prioritatem subsistendi consequentiâ, & manifesta est inter vniuersale & particulare sub illo contentum : sed vult esse prioritatis genus longè nobilius, quale est, inquit, inter eas res, quarum vna pendet ab altera,& non reciprocè. Sed hanc prioritattm funditùs sustulit, cùm veritatem ex hoc solùm capite repetit, quod aliquando futurum sit, aut non futurum : quod fundamentum si solidum sit, valet perinde de absolutis ac de conditionatis,& de conditionatis, quibuscumque etiam disparatis. Cætera quæ tractantur his Capitibus; ad alia huius disputationis loca differimus.

PARAGRAPHVS OCTAVVS.

Solutiones aliquot reiciuntur.

SVPEREST vt paucis expendamus primam partem capitis 5. vbi referuntur solutiones ad quatuor Argumenta pro scientia media : sed si superiora expendantur, & ad rem subiectam admoueantur, occupatæ sunt ferè omnes replicæ. Nam quod dicitur primo Argumento, ad liberi agentis perfectionem, requiri notitiam eorum omnium, quæ consequi possunt negotia quæ aggrediuntur, & quis illorum sit futurus euentus ; vnde addit si hoc conficitur coniecturis ab homine, an non debet à Deo certâ comprehensione teneri, & adiungit ad hoc expectatur distincta responsio.

Respondeo haberi futurorum omnium comprehensionem, non inconsulta diuina voluntate, nec scientia media exploratrice, sed omnipotentiæ & sapientiæ infinitæ beneficio, quæ nihil opus habet mendicare quidquam à creatis. Quod verò Argumento secundo, & tertio vrget, si desit Deo scientia media, ignoraturum quid in variis occasionibus constituta creatura sit factura. Quid mirum ignorari inconsulta diuina voluntate? Cum nulla veritas, aut certitudo his futuris constet, nec sint scibilia: Ergo non debent sciri. Neque enim scire potest ante vllam causæ determinationem, ad quid sit se determinatura: imo ad hoc S. Doctor duo requirit, nempe determinationem effectus futuri in causâ, præsentiam ratione æternitatis, quæ omne tempus ambit. Sanè si ad illam certam futuri notitiam sufficeret duplex illa ratio Authoris, quâ soluit nostra Argamenta, per comparationem causæ futuræ ad præsentem, vel liberæ ad necessariam: frustra D. Thomas confugeret ad coexistentiam rerum in æternitate, vnde probat futurorum cognitionem veram & certam, non minùs propriam esse Deo, quam cognitionem æternitate mensurari.

Quare quod ex illo Articulo arripit ad suam causam, illam euertit. Putat enim nobis repugnare S. Doctorem, vt asserat soli Deo conuenire cognitionem futurorum in se ipsis, quatenus coexistunt æternitati: Ergo non cognoscit illa in se ipso, nec in suo decreto. Ad hoc Respondeo, duas distingui à S. Doctore, futura cognoscendi rationes, vnam singularem per coexistentiam futurorum in æternitate, alteram communem nobis cum Deo, nempe ex causarum dispositione, quâ ratione Astrologus cognoscit ex inspectione cœli Eclypsim solis, mutationem temporum, sicut medicus morborum progressus. Hæc itaque ratio cognoscendi futura in causis, si spectetur vt est nobis cum Deo communis, non est infallibilis, nisi vt loquuntur Logici permissiuè, quâ diuina est, & ex cognitione futurorum in decreto consequitur altera in æternitate.

Sed necessariò concedendum est Deo aliquod medium *in quo*, & vi cuius cognoscat huiusmodi futura conditionata. Hoc enim est immotum apud D. Thomam principium, cognitionem non fieri ex solo lumine intellectus

semoto obiecto aut medio, quod locum, & vim habeat obiecti, vt pluribus contra Vasquem demonstrauimus: Atqui illud medium non potest esse, nisi essentia diuina, aut nudè sumpta, aut determinata per decretum: in essentia vero priori modo sumptâ non cognoscit, nisi possibilia: Ergo debet cognoscere futura in essentia determinata per decretum. Adde aliud principium apud D. Thomam non minus certum: duo extrema non posse ad se referri vt similia, nisi vnum alteri imprimat formam, cuius conuenientia fiant similia, vel vtrumque ab vno principio communi recipiat: est vero conuenientia & conformitas intellectus diuini cum futuris conditionatis, quæ certo nouit: Atqui illa conuenientia nec ab obiecto, nec ab alio principio potest Deus recipere: Ergo ab ipso prouenit huiusmodi similitudo per decretum. Vnde competit illis certa veritas, vt sequenti Articulo nouis Argumentis demonstrabitur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Aliud genus Argumentorum à priori contra scientiam mediam, ex legibus propositionum hypotheticarum.

HABET aliud Argumentum, quod superiora confirmat Ioannes à S. Thoma, & latè prosequitur Articulo secundo: cuius vim sequenti Paragrapho expendo.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Proponitur & expenditur argumentum quo ostenditur scientiam mediam inutilem esse.

HVIVS igitur Argumenti tota vis sub hâc forma colligi potest. Propositiones hypotheticæ spectari possunt ratione formæ, seu vi illationis, quæ in hoc sita est, vt posito Antecedente per bonam illationem sequatur effectus, nec possit ab illo seiungi: vel spectari possunt ratione materiæ, cuius conditionem omnino sequuntur,

vt hypothetica, & conditionalis sit infaillibilis, si materia sit necessaria; dubia vero, aut verisimilis, si incerta sit & probabilis. Atque ita hæc propositio, si fœmina parit naturaliter, desinit esse Virgo, est necessaria & indubitata: hæc probabilis, si fœmina habeat Filium, illum diligit: hæc dubia, si Petrus ad domum Pontificis accedat, Christum negabit: quia hæc propositio est de materia contingenti. Et potest adhuc diuidi in hypotheticam per concomitantiam, cum illatio significat tantùm duorum coexistentiam, quorum neutrum pendet ab altero, vt si Turca dormiat, fugiet Imperator: vel exprimit dependentiam, & influxum fallibilem, & qui possit impediri, aut suspendi, qualis est accessus Petri ad domum Pontificis, vnde infertur Christi negatio.

Hâc propositionum hypotheticarum præmissâ interpretatione, sic ad rem subiectam progredimur. Scientia media nihil inseruit ad huiusmodi conditionata cognoscenda: Ergo est superflua & reijcienda. Probatur Minor: propositionum hypotheticarum veritas, aut falsitas cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ; hypotheticæ vero ratione materiæ contingentis, siue dicant meram concomitantiam, siue designent causalitatem liberam, & fallibilem, non possunt certo cognosci inconsultâ voluntate, nec habent veritatem infallibilem ante decretum actu positum: Ergo ex vtroque capite inutilis est scientia media, seu veritatem formæ, seu materiæ spectemus.

Probatur Minor quoad primam partem. De propositione hypotheticâ ratione formæ spectata; duæ sunt Dialecticorum regulæ: prima est huiusmodi propositionibus nihil asseri, sed poni; quia in expedienda bonitate illationis, non est curandum, an Antecedens quod assumitur reipsa existat, & efficiat consequens; sed an ex illo semel posito rectè, an secùs consequens deducatur. Optima est & verissima hæc illatio, quamvis de re impossibili, si homo habeat alas volabit; si equus sit, hinniet: tùm enim optima est illatiua propositio, cum Antecedente posito, non possit non esse consequens. Vnde secunda deducitur regula: huiusmodi propositionum omnium conditionalium est nullam, quæ non sit necessario vera aut falsa, de quâcumque re fiat, quia de re nihil asserit, in quo est

periculum erroris : sed attendit & significat, quid fiat vi illationis. Ea igitur si recta sit, propositio, semper & vbique necessario est vera, id est, bene illatiua, in quo tota eius veritas est posita. Si ab hâc bonitate excidat, id est, si semel sit malè illatiua, semper est falsa.

Non est dubium, quin Deus huiusmodi propositionum hypotheticarum certius, & euidentius vim capiat, & iudicet benè, an malè ex Antecedenti deducantur: sed ad huiusmodi cognitionem nihil est opus scientia media; quia hoc pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ: quia veritas cognoscenda, seu bonitas illationis, & eius defectus, repeti debet ex principiis intrinsecis rei, quæ semper & vbique eadem sit & inuariabilis. Huiusmodi verò cognitio cum pertineat ad naturas rerum, spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ; cuius est cognoscere rerum quidditates, vt abstrahunt ab existentia, & nulla tatione pendent à libero Dei decreto. Vide Ioannem à S. Thoma initio Articuli secundi. Res est adeo aperta, ex illis duabus Logicæ regulis, vt non putem negaturos aduersarios. Et ad id genus propositionum pertinet ea cuius suprà meminimus: si Petrum Deus præueniat gratiâ efficaci consentiet, secùs si sufficienti. Et hæc vi formæ est bona; si Sol luceat, dies est: quia non potest saluo Antecedente, non poni consequens. Hæc vero falsa est vi formæ, & illationis; si Petrus accedat ad domum Pontificis, Christum negabit: quia saluo Antecedente, potuit non sequi negatio Christi.

Probatur secunda pars minoris primi Argumenti, quâ asserebamus, scientiam mediam nihil inseruire ad cognitionem veritatis extremorum, seu euentus futuri, positâ conditione: quia huiusmodi propositio, vel est in materia necessaria, & hæc ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinet: vel est in materia contingenti, siue disparata sit, siue connexionem significet causæ cum effectu liberam & fallibilem: Atqui huiusmodi propositiones seu disparatæ, seu subordinatæ, non possunt certò cognosci inconsulta voluntate diuina: Ergo non cadunt sub scientia media, quæ supponitur esse independens à decreto Dei actuali & determinato; & si quod inuoluat, est possibile & indifferens ad concurrendum, vel non concurrendum cum creatura.

Probatur Minor: non potest haberi certior cognitio huiusmodi futurorum, quam firma sit connexio extremorum, seu dependentia Consequentis ab Antecedente; quandoquidem nulla causa aduocata extrinseca, est tota ratio veritatis & infallibilitatis, quæ potest inesse cognitioni (maxime si conditionatæ maneant, nec à futuri ad præsentis statum transeant:) Atqui huiusmodi propositionibus hypotheticis de futuro in materiâ contingenti disparatâ, vel iunctâ connexione fallibili, non inest, vt ex ipsis terminis patet, huiusmodi connexio infallibilis: Ergo est impossibile certo cognosci ex vi formæ aut materiæ, nisi causa extrinseca in subsidium aduocetur.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Eiusdem Argumenti vis magis expenditur.

HVIVS Argumenti tanta est vis, vt Aduersarij cogantur fateri, pro cognoscendis conditionatis disparatis esse necessaria decreta absoluta quoad Deum, & conditionata, quoad obiectum: ita Arrubal & Alarcon, qui addunt, nullum dari decretum illius generis sine promissione, reuelatione, & aliquo effectu temporali, sicut 4. Regum 13. cum Elisæus dicit Dei nomine Regi Ioas: *si percussisses quinquies, aut sexies terram, percussisses Syriam vsque ad consummationem.* Volunt itaque actum promissionis annexum decreto, sine quo non potuisset esse certa cognitio congeminatæ victoriæ iuxta numerum ictuum, quibus terram percussisset. Sed grauiter conqueritur idem Alarcon, quod plures Societatis admittant in Deo scientiam huiusmodi conditionatorum vi decreti è quorum numero est Ruis: quia timet, nec immeritò, ruinam scientiæ mediæ; & reuera si certa sit cognitio copulatorum per connexionem causæ fallibilis, certa omninò erit per meram præsentiam, & concomitantiam. Ideo enim non possunt cognosci disparata; quia non habent aptam connexionem ad scientiam fulciendam ex se, licet ex euentu, si ad hoc inseruire posset, reuera haberent, non minus quam connexa conditionata: quia posito vno extremo, alterum est, vel non est.

Vnde distinguere possumus tria genera futurorum, absoluta, conditionata, disparata: & inter hæc duo extrema collocare possumus conditionata, quæ habent connexionem causæ & effectus, sed fallibilem & liberam. Quæro igitur, an hæc futura omnia à Deo cognoscantur, inconsultâ suâ voluntate, cum possibili decreto ad vtrumlibet indifferente, vel nulla, vel quædam, alia minimè. Si primum Respondeant Aduersarij: destruunt scientiam mediam, cuius in hoc vis est posita, vt cognoscat futura, voluntate inconsultâ. Si dicant secundum: apertè repugnant fidei & rationi, & vix quidquam potest cum vtrâque magis pugnare, quam si admittas futurorum nulla, egere voluntate, vt sint vera & certa, id est, esse futura determinate, voluntate diuina ad vtrumvis indifferenti. Si vero tertium eligas: tibi assignanda sunt ea futura, quæ certo sint scita sine decreto Dei, quo tamen alia egeant. Quam enim huius differentiæ rationem dabis? Si dicas habere huiusmodi futura aliquam connexionem Antecedentis cum consequenti: Esto, cum illa sit fallibilis, quâ ratione poterit esse fundamentum certæ & infallibilis cognitionis?

Si recurras ad euentum, quia ita continget: præter quod apertè petis principium; vrget exemplum, aliorum futurorum, quæ ex concessis, non possunt certò cognosci, inconsulta voluntate, quamvis si euentus futurus posset ad illam certitudinem inseruire, perinde adesset illis, atque futuris connexis vinculo causalitatis fallibilis.

Præterea difficultas insuperabilis hic est, vnde cognoscatur ille euentus: & Aduersarij putant se omnino illam profligare, si respondeant ex illo euentu, cum apertissima petitione principij. Nam quod est ratio euentum cognoscendi ex vi causæ, debet esse quid prius illo; euentus autem non distinguitur à se ipso: Ergo aliunde quærenda est, & cum non possit repeti, neque à re ipsa cognoscenda, neque à causis intrinsecis, omnino est recurrendum ad extrinsecam, ad primam, seu ad decretum liberum Dei. Et si ad inuidiam Aduersarij dicant, nos confingere prædestinationes ad peccata; nos contra reponimus rem non minus inuidiosam: si omnia futura sciantur inconsulta Dei voluntate ex nobis, ita peragentur illâ indifferenter, & ad vtrumlibet comparatâ. Quo quid absurdius & impium magis dici posset?

ARTICVLVS QVARTVS.

Ex dictis manifestatur mens Thomistarum de hac controuersiâ, vindicatur Ioannes à S. Thoma à censura, & refelluntur Responsiones ad Argumentum.

MIRVM est, quot & quanta illustrentur hâc propositionum hypotheticarum interpretatione. Hinc enim eruitur primo concors mens Thomistarum in hac controuersia: quamvis enim Cabrera, Ledesma, Zumel videantur recedere à communi sententiâ, & quam Deo omnes concedunt, negare notitiam futurorum conditionatorum certam: tamen si inquiramus, quo sensu sint locuti, ab aliis non dissentiunt. Duo enim tantùm volebant: hanc certam scientiam peccati Petri, si illum tentet ancilla; aut conuersionis, si respiciatur à Christo, non haberi, neque ex vi illationis, neque ex connexione Antecedentis cum Consequenti, ex quâ ad summum probabilis poterat colligi: sed non negabant haberi aliunde posse à causa extrinseca, nempe à decretis conditionatis, quæ non admittebant de omnibus combinationibus possibilium futurorum: sed de his tantùm quorum mentio fit in Scripturâ, vel quæ forent necessaria ad huius vniuersi gubernationem. Addebant præterea, si decreta de his conditionatis constituantur, ea non cognosci conditionatè, sed absolutè: quia videntur in decreto presenti. Cognitio autem metienda est ex medio: & cum decretum huius cognitionis sit præsens, censebant huiusmodi cognitionem habere rationem visionis.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Defenditur Ioannes à S. Thoma & responsiones ad eius Argumenta refelluntur.

HAEC nuda declaratione refelluntur quæ obijciuntur Ioanni à S. Thoma, illum conqueri immeritò con-

tra Alarcon,& alios, qui gloriabantur Thomistas suis Argumentis inuitos, & reluctantes, tandem coactos concedere Deo huiusmodi futurorum conditionatorum certam notitiam: nam præter quod non est tanta vis huiusmodi Argumentorum, vt id conficiant inuincibiliter,nec se illis conuictos credant Curiel, & Typhano, qui negant posse futura huiusmodi cognosci certo; reuera Thomistæ, quorum verba referuntur, non alio sensu locuti sunt, quam quo illos sumus interpretati.

Sed ex iisdem fundamentis multa possunt iustius reprehendi, & validius refelli, quæ diuersis Disputationum locis traduntur, maximè responsiones ad Argumenta Tuisij & Ioannis à S. Thoma. Cum enim primum quærit an detur propositio hypothetica infaillibiliter nota, & non necessario vera, loquitur ad sensum omnium Dialecticorum, qui de hypotheticis hanc statuunt regulam, aut necessario veras, aut omnino falsas: quia vel habent veritatem, & infallibilitatem ex vi illationis, vel non habent: si secundum dicas; sunt necessario falsæ, sicut interpretatione illius regulæ demonstratum est: vel habent huiusmodi veritatem ex principiis intrinsecis, nullo extrinseco aduocato, vel recurris ad causam extrinsecam, nempe voluntatem diuinam, quæ in se infaillibilis, seruat tamen rerum contingentiam & libertatem. Si asseras primum; concedis connexionem huiusmodi conditionalium esse infallibilem, nec posse impediri; ac proinde ex te erit necessaria. Si dicas alterum, assentiris sententiæ nostræ, quam impugnas.

Inde etiam refellitur altera responsio ad idem Argumentum Tuuisij, & apertior ad Ioannem à S. Thoma. Dicit enim huiusmodi propositiones hypotheticas,vi quarum cognoscitur certo conditionatum futurum, fieri supponendo, & nihil asserendo; quia non dicit,*erit*, sed *esset* posito Antecedenti: Atqui hoc pertinet ad propositiones hypotheticas veras ratione illationis, iuxta alteram legem Dialecticorum explicatam, quæ reuera non habet locum in hypotheticis liberis. Hæc quidem est vera, si homo esset equus, hinniret; quia nihil asserit, sed ponit Antecedens; quo constituto, non potest non sequi Consequens: at ea regula non potest adhiberi conditionatis liberis, si Petrus accederet ad domum Pontificis,

Christum negaret: vt enim falsa sit propositio, satis est accessu Petri ad domum Pontificis facto, posse Christi negationem non sequi: Ergo ex huiusmodi conditionatis ita explicatis ab Aduersario, nulla potest haberi cognitio.

Nam si quæ ex illâ hypotheticâ hauriatur; ex quo capite prouenit? Non à formâ, & illatione, quæ vim non habet, nisi propositiones sint res necessariæ, & quarum saluo Antecedente, nequeat separari Consequens, quæ lex non habet locum in materia contingenti & libera. Neque etiam certa illa veritas & notitia niti potest materiâ propositioni subiecta: ea enim duplex est, vel ipsa causæ liberæ, & contingentis virtus; sed illa vt præuenit effectum, in vtramque partem verti potest, & ad neutram est determinata: Ergo nequit illi inniti veritas, & infallibilis notitia. Vel tandem est ipsemet effectus, qui seipso dicitur cognosci certo futurus: Atqui non potest sine aperta petitione principij, ipsemet statui sibi ratio cognoscendi: quærimus enim medium in quo cognoscatur, neque aliud assignant, quam rem ipsam, de quâ est quæstio. Vt omittam principiis D. Thomæ capitaliter opponi huiusmodi responsionem, cùm vbique doceat medium ad rei cognitionem necessarium, debere ipsi cognoscenti adhærere, sicut prima demonstratione probauimus, & futurum quod sibi ipsi medium constituitur ad cognitionem, sit merè extrinsecum.

Addo responsionem ipsam non solùm laborare, petitione principij, sed etiam manifesta repugnantia. Nam si euentus ipse hoc ipso quod contingat aliquando ante omnem causæ determinationem, quæ nedùm ab æterno, sed etiam vel minimo instanti naturæ præuia sit, certo cognoscibilis est & verus, inconsulta & indifferente voluntate Dei ad eius futuritionem; cur vis cognitionem conditionatorum prælucere & præire cognoscendis absolutis futuris; cùm perinde sint veræ enuntiationes ac formari possint? In illis formandis autem, nulla nisi gratis fingi possit prioritas, aut subordinatio inter absoluta futura & conditionata? Si dicas; prius intellectum diuinum ferri in hypothetica, quod non possint res existere, nisi conditio antecedat: si ita respondeas; iterùm & apertius tuam sententiam euertis, si velis præire con-

conditionatorum veritatem & cognitionem, abſolutorum notitiæ, quòd hic ordo neceſſarius ſit progreſſui ad exiſtentiam. Sed ſi attendenda ſit ratio progreſſus huiuſmodi; priùs debet cognoſci determinatio cauſæ primæ & ſecundæ, quam ipſemet euentus & effectus, cum eius productionem & exiſtentiam antecedat, ſaltem prius natura: atque ita prius cognoſcetur effectus in causâ, & in decreto æterno, quam in ſe, à quo tamen abhorrent Aduerſarij, quaſi ab excidio ſuæ cauſæ.

Alio etiam Argumento difficillimo, cuius non poteſt expectari ſolutio, niſi cum manifeſta petitione principij, inſto. *Si futurum hoc ipſo quod aliquando continget, ante omnem cauſæ determinationem habet certam veritatem cognoſcibilem*; cur negas à nobis, aut Angelis, cognoſci? Cum enim futurum illud ſit finitæ veritatis & perfectionis; cur eſt ſuprà omnem captum intelligentiæ creatæ? Si dicas, deeſſe Angelis ſpecies huiuſmodi futurorum contingentium; præter quod illa reſponſio nulla eſt, iuxta Vaſquez ſententiam, qui Angelis negat ſpecies neceſſarias ad quamcumque rerum cognitionem, fruſtrà opponitur Argumento: quia rei poſſibilis, & futuræ eadem eſt ſpecies intelligibilis, quæ Angelo inſeruit ad cognitionem abſtractiuam rei abſentis, & intuitiuam præſentis: & ſi Angelus nouit res vt poſſibiles, cur ignorat vt futuras?

Si dicas, huiuſmodi futurorum cognitionem nulla præuia notitia determinationis cauſæ, eſſe propriam & ſingularem Deo; hoc ego concedo, ſed à te exigo, des mihi aliquod Argumentum, quò rem fide certam, propugnem contrà impios: iuxta principia D. Thomæ, cauſa eſt in promptu; quia futurum liberum cognoſci non poteſt, niſi in decreto æterno, & in coexiſtentia æternitatis, quæ duo eximia ſunt Deo. Sed cùm nihil horum patiaris, & velis futurum in ſe certum eſſe & verum; neque ad illud cognoſcendum requiras cauſæ æternæ inſpectionem, neque in æternitate realem coexiſtentiam, ſed obiectiuam tantùm, quæ rebus poſſibilibus conueniat: cùm aliundè futurum illud ſit limitatæ entitatis; cur ad illius notitiam requiris lumen infinitum? Cur illam negas creatis intelligentiis? Dum reſponderis ad hoc Argumentum, expendam aliàs reſponſiones ad hanc noſtram demonſtrationem.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Referuntur tres responsiones ad tertium nostrum Argumentum, & refellitur prima de decretis possibilibus.

HACTENVS prosecuti sumus Argumentum, quo euincitur à priori, nullam constare veritatem certam conditionatis liberis, nec de illis posse haberi infallibilem notitiam, nisi actuali decreto Dei nitatur, quo fit transitus à possibili ad fururum. Ad hoc Argumentum triplex adhiberi potest solutio. Primam ex Theophilo attigimus, qui nullo vult opus esse decreto Dei, ad futurorum huiusmodi certam veritatem & notitiam: ad eam enim satis putat esse inspectione, aut comprehensione actus, quem elicitura esset voluntas creata, si fingamus nullo Dei ad agendum concursu indigere. Ita ex Theophilo retulimus superiori Disputatione.

Sed dum hanc primam responsionem paulo attentius perpendo, venit mihi in mentem dictum illius Hispani, qui inspectâ mole, & magnificentiâ templi D. Laurentio Sacri, & Hieronymitarum Monasterij, quam infinitis sumptibus exstruxit Rex Catholicus Philippus II. voti reus, post victoriam ad S. Quintinum die Festo D. Laurentij de Gallis reportatam, quasi attonitus exclamauit, horrendum fuisse periculum, cuius euadendi causâ, tam grandi Sacramento se rex astrinxerit. Ità de hac prima Theophili responsione censeo: nisi causam suam grauissimè periclitari, ac penè desperatam sensisset, numquam instar Curtij pro salute publicâ se in profundam abyssum præcipitem dedisset. Nam præter multa quæ obiecimus; quid dicturus esset, si adhuc viueret Theophilus, ad Argumentum de operationibus supernaturalibus? Responderet-ne, eas cognosci certo futuras, etiam si fingamus nullo Dei adiumento egere, quasi se solâ & vi naturali possit voluntas prorumpere in operationes cuiuscumque sint generis etiam supernaturalis.

Hâc reiecta prima responsione, duæ tentantur, & vbique occurrunt communes aliis, ad cognitionem futuro-

rum conditionatorum, nec concursum Dei, neque decretum vllum actuale requiri; sed sufficere suspensa, siue conditionata principio & obiecto, id est, quæ actu non sunt, sed tantum possibilia; seu quæ forent sub apposita conditione, quæ pendet, ac suspensa est, ac proinde & obiecti existentiam, & decreti omnino suspensam habet. Vel secundo, si quod actu decretum insit Deo, indifferens omninò esse, determinandum à creaturâ cui se accingit, vel adiungit eo consilio, vt eat quocumque vocarit, & adsit quocumque vires intenderit. His duabus solutionibus de decretis vtrinque suspensis, vel indifferentibus, excipiunt & putant se omnia nostra Argumenta infringere. Sed primam solutionem hoc Paragrapho expendemus.

Quod ad primum caput attinet, multa occupata sunt superioribus Paragraphis, hic solum recolenda. Triplicem distinximus decretorum Dei statum de rebus futuris: primus est merè possibilium, quæ suspensa manent principio & fine, seu obiecto & potentiâ, id est, quæ nec actu dantur, nec sunt de re absolute futurâ: in altero extremo, vtrinque absoluta, id est, quæ actu insunt Deo de re, cuius est certus euentus: medio statu sunt absoluta, quoad potentiam à quâ eliciuntur; sed suspensa sunt ratione rei volitæ, quæ non est re ipsa futura, sed conditionatè, id est, esset aut erit, nisi desit conditio, quæ tamen non apponetur. Futurorum veritatem & notitiam, nos volumus decretorum statum sequi, vt si possibilis sit tantùm fututitio, simile illi decretum respondeat, id est, merè possibile: si vero sit conditionate, aut absoluta futura, prærequirat decretum eiusdem actualitatis, id est, vel vndequaque absolutum principio & fine, vel saltem absolutum quoad potentiam, quod insit illi, & quo reuera velit rem determinatè futuram sub conditione.

Quamvis explanatio ipsius controuersiæ, & collatio decretorum cum rebus constituendis, nostram penè sententiam euincat, & possit esse demonstrationis loco; mirum tamen est, quàm alieni sint ab illâ recentiores, quantum à decretis quoad potentiam absolutis, & suspensis quoad obiectum abhorreant. Vasquez, Molina, illa in totum abjiciunt, & contendunt esse à Scripturæ sensu, & verbis à Dei prouidentiâ, à mente Patrum omnino aliena, & cum libertate nostra pugnare.

Paulo moderatius agunt Suares, & Arrubal; agnoscunt huiusmodi decreta conditionata in Scriptura extare, sed ab illis nolunt repeti certam veritatem, & notitiam quorumcumque conditionatorum, nisi sermo sit de disparatis, quale est illud 4. Regum capite 13. *si percussisset quinquies & sexies.* Sed iam demonstrauimus, vel nullius futuri conditionati, vel omnium futurorum, siue sint disparata, siue absoluta, notitiam & certam veritatem pendere à decretis: & frustra Aduersarios quærere aliquod discrimen absolutorum à conditionatis, & ex istis inter disparata, & connexa illatione causalitatis fallibilis: quæ cum nequeat esse ratio certæ veritatis, confugiendum est illis ad contradictoriarum legem de futuris, quæ requirat alteram determinatè veram: id vero de omnibus futurorum generibus sine decreto perinde obtinet, vel omnia, vel nulla cognosci: & cum secundum non fuerint hactenùs ausi Recentiores defendere, nempe nulla futura etiam à solo Deo implenda, egere Dei decreto actuali, vt vera sint & scita; non video quo fundamento excipiant ab huiusmodi regulâ, seu necessitate decreti actualis, veritatem & notitiam futurorum conditionatorum, quæ aliquo nexu probabili tantùm & fallibili, causæ & effectus connectuntur.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Probatur esse in Deo decreta conditionata ex voluntate Dei Antecedente.

SED hoc argumento communi quasi grauissimo causæ præiudicio muniti, rem accuratius expendamus cum Ioanne à S. Thoma hic Articulo 2. & de voluntate Dei Disputat Articulo 7. vbi profundissimè explicat, & validè defendit huiusmodi decreta conditionata: & totius disputationis summam ad rem nostram possumus adhibere. Vel negas à decretis actu positis, & quoad euentum suspensis, repeti debere certam conditionatorum veritatem & notitiam, quod noua sint, nec vllo Scripturæ loco extent, quod impossibilia, quod otiosa, quod ad gubernationem rerum inutilia, quod noxia libertati: Atqui hæc omnia

sunt falsa, vt multis probat Ioannes à S. Thoma.

Nam imprimis nihil in Scriptura frequentius, illâ Dei voluntate, quam vocant Antecedentem de salute omnium hominum, aut pactis, aut promissis Dei de rebus sub conditione futuris, numquam implendis; qualia sunt propè infinita, vt voluntas Dei conferendi posteris Adæ iustitiam originalem, si illorum parens, & caput obediat præcepto diuino: quale fuit etiam pactum cum Dauide initum, seruandi perpetuo regnum hæreditarium eius Filiis, si Patris pietatem imitarentur: qualis etiam fuit voluntas Patris æterni, mittendi Filio legiones Angelorum, si rogaretur. Atqui huiusmodi pacta, & promissiones continent decretum Dei absolutum, quoad actum seu actuale, cum conditione obiecti non apponendâ: Ergo reipsa dantur huiusmodi decreta, nec fingenda sunt tantùm possibilia. Minor probatur exemplis allatis: nam ex D. Thoma 1. distinct. 46. quæst. 1. art. 1. Certum est, voluntatem Antecedentem esse conditionatam, nec vllam voluntatis imperfectionem, sed tantùm rei volitæ inuoluere; quod non sumatur cum omnibus circunstantiis necessariis ad rectum ordinem in salutem. Et præterea voluntas Antecedens distinguitur à voluntate signi, quod insit Deo formaliter & propriè, ista vero sit metaphorica: at voluntas beneplaciti ex D. Thoma quæst. 23. de veritat. artic. 3. diuiditur in voluntatem Antecedentem & Consequentem: Ergo voluntas Antecedens, seu conditionata de salute omnium hominum futurâ conditionatè, non absolutè, formaliter inest Deo.

Ad confirmationem ex hoc primo exemplo pertinet, quod dicit idem Auctor Articulo 2. ante solutionem Argumentorum contra Nauaretam, qui voluntatem Antecedentem, & ex illâ, cognitionem docet virtualiter inesse Deo, sicut cognitionem nostram discursiuam, & notat huius auctoris æquiuocationem ex eo ortam, quod non distinxerit inter cognitionem virtualem quoad cognoscentem, & quoad obiectum cognitum: ptiori genere eminentiæ, inest Deo formalis noster discursus, secundo verò genere eminentiæ, oportet inesse Deo certam cognitionem futurorum, haustam ex formali voluntate antecedente; nisi velit Nauareta, cognosci à Deo

huiusmodi futura, ante omne decretum Dei formale, quod omninò resipit scientiam mediam recentiorum à nostrâ doctrinâ alieniſſimam.

Probatur eadem Minor à pactis, & promiſſis diuinis cum primo homine & Dauide. Certum enim est illis exprimi voluntatem internam Dei paciſcentis, se impleturum quæ promittit, si adsit conditio appoſita: & hoc ipſum vrget auctor Articulo ſecundo verbis Chriſti ad Petrum Matthæi 26. Quibus Chriſtus asſerit exhibiturum Patrem legiones Angelorum, ſi rogetur à Filio. Vnde infert exhibitionem illam, eo momento quo à Chriſto asſerebatur, non ſolùm fuiſſe præuiſam à Patre; ſed etiam volitam: tùm quia dictum illud Filij probatur à Patre de futura exhibitione; Ergo reuera illam volebat. Quid enim est velle, quam ſibi reipſa placere? Tum quia ſi poſſibile tantùm eſſet illud decretum de mittendis Angelis, voluntas erat indifferens & ſuſpenſa: quomodo ergo certa & firma fuit exhibitio, & à Chriſto asſerta vt indubitata? Ad hoc Argumentum pertinet illud, quod fuſiùs proſequitur Diſputat. 5. Artic. 7. Num. 9. ſi nulla inerat Deo voluntas exhibendi legiones Angelorum, vel manebat voluntas diuina omnino ſuſpenſa, vel determinata, quod emiſsâ precatione filij decerneret ſe miſſurum Angelos; ſi dicas ſecundum, jam habemus decretum actuale non poſſibile: ſi vero primum aſſeras; ſicut voluntas manet omnino ſuſpenſa & indeterminata, cur vis effectum magis certo determinatum, quàm ipſammet cauſam? Ergo vel vtrimque est ſuſpenſio, & indifferentia, vel reſoluenda est voluntas diuina per actuale decretum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vaſquis Reſponſio præcipuè ex D. Auguſtino impugnatur.

AD hæc omnia reſponderi poteſt cum Vaſque, conuinci decreta Dei de futuris abſoluta quoad actum; ſed non magis conferre ad futurorum cognitionem, quam ad poſſibilium, eſſentiam nudam maximè, cum decretum nihil addat præter relationem rationis, cuius fundamentum

tum sit ipsamet mutatio creaturæ, citra quam nequeat dari vllum decretum: & hinc probat impossibilia esse decreta de conditionatis, quia nullam habent mutationem.

Sed contra hanc responsionem tria oppono: primo efficaciter refelli primâ demonstratione, quâ probatum est futura non posse cognosci, nisi medio decreto, sicut nec possibilia, nisi cognitâ essentiâ vt causâ. Secundo apertè repugnat Augustino multis locis, potissimùm de Prædestinatione Capite decimo nono vbi certam de futuris, & promissis, notitiam repetit à prædestinatione, & decreto Dei: nam Capite decimo egens de promissione facta Abraham, Patrem multarum gentium esse constituendum, post multa, hæc adiungit. *Credidit Abraham, dans gloriam Deo, quoniam quæ promisit, potens est, & facere. Non ait prædicere, non ait præscire; nam & aliena facta potest prædicere atque præscire. Sed ait potens est facere ac per hoc facta non aliena, sed sua.* Et suprà dixerat: *Non de nostra voluntatis potestate, sed de suâ prædestinatione promisit.* Et cum hæc promissio facta in semine Abrahæ, id est, Christo vt Redemptore, pertineat ad eos omnes quorum est Redemptor, nec tamen salui fient, hinc concludit Ioannes à S. Thoma, illâ promissione voluntates conditionatas salutis illorum.

Sed eiusdem libri 2. Capite multo apertius, & validius confirmat nostram de veritate futurorum quorumcumque in decreto sententiam, & expressis verbis scientiam mediam, quæ ante decretum actuale, quodcumque verè futurum conditionatè cognoscit, à Massiliēsibus assertam, referentibus Hilario & Prospero, & ipsiusmet Augustini Epistolâ 42. confirmatam euertit. Massilienses enim volebant totam Prædestinationis veritatem, niti præscientiâ diuinâ, quâ Deus cognosceret ante vllum decretum quidquid futurum esset, & vbi Deum certiorem fecisset, quid futurum esset, si eo tempore & loco prædicaretur Euangelium, & quinam essent credituri; huic scientiæ mediæ adiungebant decretum de prædicando Euangelio, & de gratiâ vocationis conferendâ, iis quos præsciebat ante omne decretum actuale, consensuros, de danda gratiâ, ex quâ infallibiliter sequeretur consensus; & huic opinioni in speciem fauebat Augustinus illa Epistolâ quæstione sextâ, cum dixit; *Christum voluisse apparere, & prę-*

dicari doctrinam suam, quando, & vbi sciebat esse, qui in eum erant credituri.

En expressis verbis controuersiam nostram de scientiâ mediâ, Semipelagianorum nomine, etiam vt fatetur Suarez propositam Augustino. Quid de illâ censet & statuit? Negat omnino vllam præscientiam futurorum ante decretum, nec præsciri à Deo, nisi in suâ Prædestinatione, id est, Christum hominibus voluisse apparere, & apud illos prædicare doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitionem. Si vlla vmquam occasio oblata fuit, aut potius necessitas imposita Augustino agnoscendi, & approbandi scientiam mediam, si vllo modo veram & necessariam iudicasset ad explicanda arcana diuinæ prædestinationis, ea sanè fuit de quâ modo agimus: & tamen ne vel minimo quidem verbo indicauit sibi probari, imò funditùs euertit, repetitâ veritate & notitiâ quorumcumque futurorum, à Prædestinatione & decreto.

Atque ex illo loco explicari potest alter eiusdem Augustini lib. 1. de Origine animæ, vbi exagitat Pelagianorum opinionem, asserentium animas paruulorum carne alligari, aut ab eâ solui in pœnam peccatorum, quæ præsciebantur commissuræ, si ad vsum rationis peruenissent. Nam post plura Argumenta contra hanc responsionem, istud tandem adiungit: *Quid quod ipsa exinanitur præscientia, si quod præscitur non erit: quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Eodem spectant verba Prosperi Epistola ad Augustinum, *præterita quæ non existant, & futura quæ non sunt futura confingunt, nouoque apud illos absurditatis genere; & non agenda præscite sunt, & præscita non acta sunt.*

Ex quibus locis arripit solutionem P. Annatus, quasi ad futurorum conditionatorum veritatem, satis sit decretum merè possibile, & determinatio cuiuscumque causæ, quæ essent positâ conditione, sed quæ nullo modo sint. Verum immeritò, ita Augustinum ad suæ sententiæ patrocinium aduocat: nam in Semipelagianorum sententia distinguenda sunt duo: nempe assertio scientiæ mediæ conditionati futuri ante decretum: secundo abusus illius scientiæ, seu erroris inde deducti, qualis est gratia danda ex meritis, & bonæ voluntatis initium ex nobis, & pœnæ quas vole-

bant dare paruulos ob peccata conditionatè futura, quæ tamen non essent absolutè admissuri. D. Augustinus impugnat vtrumque principium & conclusionem: & ita abhorret à scientia media, vt non patiatur sua verba in speciem illi fauere: & ideo capite illo nono concludit, *cernitis-ne, me sine præiudicio latentis consilij Dei, hoc de præscientiâ dicere voluisse, quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obijcerent quæstionem, sufficere videretur.* Ergo non admittit præscientiam antecedentem decretum, quandoquidem dicit fuisse sine præiudicio latentis consilij, in quo huiusmodi cognoscebantur futura.

Libro autem primo de Animâ, refellit vltimum errorem hoc Argumento: præscientia peccatorum quæ puniuntur non est quæcumque, sed absoluta: quia nulla peccata castiganda sunt pœna actuali, nisi quæ reipsa sunt futura: Ergo exinanitur præscientia, si pœna actu sit inflicta, de peccato tantùm sub conditionate futuro. Ex quâ interpretatione D. Augustini, non video quid commodi possit referre Aduersarius, pro suis decretis possibilibus, quæ reipsa non sunt, sed forent positâ conditione. Nam si conditio quæ suspendit existentiam futuri, suspendat etiam actum decreti; inde sequetur voluntatem salutis omnium hominum, promissiones Dei, seu communes, seu priuatas, nullum actum diuinæ voluntatis ponere, sed omnes suspendere, & esse merè possibiles, quando quidem sunt de re conditionatè futurâ numquam implendâ.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Alterum Argumentum pro decretis conditionatis, quod Scripturæ consentanea sint, nec repugnent.

ATQVE ex his validum elicimus Argumentum, pro decretis absolutis in Deo de futuris conditionatis, & quæ subinde sint media ad illa cognoscenda. Habent enim innumera testimoniâ ex Sacrâ Scripturâ, quæ non possumus interpretari ad sensum literalem, secundum mentem SS. Patrum, nisi de decretis actualibus: Ergo

sunt omninò admittenda. Consequentia probatur iuxtà regulam receptam, verba Scripturæ sensu proprio esse accipienda, si nullum sequatur absurdum & incommodum: Atqui huiusmodi decreta pluribus demonstrauimus esse fundamenta veritatis, & media cognitionis certæ futurorum, nec ex vllo capite habent repugnantiam: Ergo. Minor probata est quoad primam partem: quoad secundam, latè eam prosequitur Ioannes à S. Thoma locis citatis: Nam si quæ sit, repeti debet ab obiecto, vel à prouidentiâ, & perfectione diuinâ, vel à libertate creatâ: Atqui ex omnibus his capitibus conuenientissima sunt decreta, & nihil habent Deo repugnans, aut indecens. Minor quoad primam partem probatur à Ioanne à S. Thoma Articulo 7. Numero 5. & 10. Imprimis obiecta huiusmodi decretorum honesta sunt, qualis est (verbi gratiâ) gratia primi hominis communicanda posteris, & peruentura ad gloriam, nisi ponat obicem.

Nec deest obiecto connotatum decreti diuini, & extrà positum: nam præter quod Suares docet contra Vasquem, dari actualia decreta Dei, sine mutatione physica, & sola morali rei volitæ, vt denominatur ab actu æterno, volita & conditionate futura, quod satis est ad voluntatem antecedentem, vt distinguitur à consequenter; addimus etiam huiusmodi voluntatem antecedentem, habere adiunctos effectus, vt voluntas salutis omnium hominum consulit de mediis sufficientibus, mors volita Ezechiæ apposuit causam ex vi morbi, licet per miraculum sit impedita. Soluimus etiam cum de libertate Dei Argumentum Vasquez, illâ distinctione notandâ huius propositionis, rebus inuariatis nullam sequi denominationem, si inuariatæ maneant, tum actiuè, tum passiuè, tum absolutè, & conditionatè transeat: si varietur obiectum passiuè, & Deus variet actiuè, Nego. At res ita se habet, Deus immutatus mutat obiecta, vel absolutè, si efficax sit, vel conditionatè, si sit suspensa, & tunc res illa conditionatè futura, non est quid bonum actu subiectiuè, quasi iam existens, aut reipsa extitura; sed est obiectiuè bonum ex suâ specie, ordinatum ad esse vi causarum inferiorum, quod satis est vt sit actu amabilis.

Neque etiam repugnant huiusmodi decreta conditionata perfectioni & prouidentiæ diuinæ, vt variis locis

probat illis duobus Articulis Ioannes à S. Thoma. Nam in primis, non est imperfectum decretum, quod careat vltimo effectu, dummodò causis inferioribus imprimat inclinationem ad illum producendum; nec defectus est iudicij, aut decreti practici, carere vltimo effectu, nisi id contingat impotentiâ, aut vitio facultatis dirigentis: quod longe abest à causâ vniuersaliſſimâ, quæ cum ceteras omnes ambiat, interdùm pugnantes inter se, fieri nequit, vt omnes suum effectum sortiantur: Ergo tantùm abest vt prouidentiæ repugnet, velle multa conditionatè futura, quin potiùs ad ipsam pertineat, causas contrarias creare, quæ sibi sint impedimento, ex quibus perfectio vniuersi constat. Et hanc Dei ordinationem commendat Ecclesiastes capite 33. *Intuere omnia opera Altissimi: duo & duo, & vnum contra vnum.* Hoc latè prosequitur Ioannes à S. Thoma Articulo 7. Numero 11. & 12. ex quibus

PARAGRAPHVS SEXTVS.

Plura Aduersariorum Argumenta ex vna agentis vniuersaliſſimi notione profligantur.

SOLVITVR aliud Argumentum: si semel dentur decreta conditionata de futuris, concedenda esse infinita de omnibus combinationibus possibilibus, quod videtur omnino superfluum, & repugnans. Ad hoc Respondeo, admittenda esse decreta de futuris conditionatis, quæ Scriptura reuelat, vel quæ pertinent ad regimen huius vniuersi. De cæteris nihil possum certò citrà temeritatem asserere, quia fortè Deus de cæteris possibilibus non futuris statuit nihil decernere; quamvis non careat, vt diximus, temeritate, velle Deum nostro modulo metiri, & huiusmodi decreta otiosa reputare. Certum quidem est superfluam forte sollicitudinem nostram, si de regimine Hierarchiæ Cœlestis, & Ecclesiasticæ aliquid statuamus: nam quæ suprà nos nihil ad nos. At quis neget, de his omnibus Angelos, & Ecclesiæ Pastores posse consulere & statuere, & interdum etiam debere? Multominùs possunt ista subduci à curâ Dei, vt Oecumenici rerum om-

nium gubernatoris, *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, & locat res sub diuersis ordinibus, quorum vno futuræ sint secundum propensionem causarum inferiorum, aliis impediantur secundum vim superiorem.

Atque hinc soluitur obiectio communis, si Deus decernat rem impediendam, nec fore absolutè, hoc ipso excludi ab ordine futurorum, & impossibilibus accensendam; nec minùs otiosum videri, de illis quidquam statuere, quàm de Chimæris. Longè enim diuersa ratio est Chimeræ, & cuiusuis rei per se impossibilis, & rei non futuræ, quæ fieri possit, & debeat, ex lege vtius status, nequeat vero ex conditione alterius: hæc enim repugnantia oritur à suppositione aliquâ liberi decreti Dei; altera vero prouenit à principiis naturæ intrinsecis: quare licet otiosum sit de istis, vtile tamen, & interdum necessarium est de illis decernere.

Ex eadem notione agentis vniuersalissimi; soluitur aliud Argumentum in speciem vrgentius ex Suare Prolegomeno 2. de gratia cap. 8. vana & irrisoria est promissio, eâ conditione, quæ à nudo sponsoris arbitrio pendeat, quàm nolit apponere; vt si quis dicat dabo tibi 100. aureos, si voluero, si eo die venero, & statuat se aut noliturum, aut non venturum: Atqui secundum nos ille est sensus promissionum Dei; sponsor sum tuæ salutis, si te prædestinauero, &c. Et decernit se non prædestinaturum. Difficile in speciem Argumentum; sed vires tantum habet ab angustâ, & demissâ cogitatione nostrâ, quâ Deum vt particulare agens concipimus, more aliorum, quæ nobis sunt familiaria, & ægrè possumus assurgere ad vniuersalissimi gubernatoris prouidentiam nullo fine cohibitam, ad quam pertinet non solum diuersa; sed etiam contraria ordinare. Licet otiosa videatur huiusmodi promissio, & ordinatio, si effectum qui decernitur, & promittitur, nec futurus est, spectemus; vtilis tamen & necessaria est ad alios fines consequendos; qualis est certa veritas futurorum, quæ in Scripturâ reuelantur, manifestatio inclinationis causarum secundarum. Atque eo consilio decernenda fuit Tyriorum conuersio, si apud illos edita fuissent miracula à Iudæis visa, licet apud ipsos numquam facienda; vt præ

illis agnoscerentur pejores Iudæi esse

Nec reiici potest hæc responsio, aduersariis necessaria eorumque principiis non omninò dissentanea: nam cum vltrò admittant, rerum omnium ordinibus, & singularibus, suam inesse determinatam veritatem, ex ipsâ ratione causæ secundæ, & voluntatis creatæ, præscitam à Deo, non decretam sub conditione; quid repugnantiæ, quid otiosum causantur, si illud determinationis genus, quod à seipsis causas inferiores habere volunt, pendeat à voluntate diuinâ, vt à causâ vniuersaliſſimâ suprà omnes rerum ordines constitutâ, earumque origine, & basi? Cùm verò statuit, aut promittit Deus, aut paratus est dare gratiam, & concursum vi decreti prædeterminantis, non absolutè, sed sub aliqua conditione; non sequitur esse ponendam conditionem, neque ideo fit otiosam fore promissionem, siue conditio à solo Deo pendeat, siue à causis secundis: quia licèt effectus suspendatur, duo tamen consequuntur summè necessaria ad ordinem diuinæ prouidentiæ, nempè determinatio veritatis conditionatæ, & inclinatio causarum secundarum ad effectum, licèt reipsa non sit ponendus.

Ex eâdem ratione agentis vniuersaliſſimi, & efficaciſſimi, soluit idem author aliud Argumentum paris in speciem difficultatis; si ex decreto quo Deus prædefiniuit rem sub conditione futuram, deducatur veritas ipsius futuri; necessariò saltem necessitate infallibilitatis, & immutabilitatis, huius futuri notitiam pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ omnia necessaria attingit, non ad scientiam liberam, seu approbationis, & visionis. Hoc Argumentum soluit tribus locis Disput. 2. de scientia Dei Art. 4. & Art. 5. ad 3. & de voluntate Disp. 5. Art. 7. eadem vbique responsio habetur, & omnium breuis summa, hæc est: ex decreto prædefinitiuo, seu absolutè, seu conditionatè, (eadem est vtriusque ratio) deduci rem futuram, seu veritatem rei futuræ consecutione necessariâ consequente ad decretum vt sic loquar, exercitum, & actu positum: Concedo, necessitate antecedente decretum, nec ex illius orta immutabilitate, Nego: vnde nulla est quæ additur Consequentia, pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ.

Nam vt egregiè S. Doctor quæst. 3. de veritate Art. 3.

ad 8. Scientia simplicis intelligentiæ id nomen inde sortitur, quod duo excludat, quæ sunt extra genus notitiæ; nempè existentiam rerum, quam addit scientia visionis, vel ordinem voluntatis ad rem scitam, quam affert scientia approbationis. Ex hoc vltimo capite scientia futurorum conditionata excluditur à scientiâ simplicis intelligentiæ; quia addit ordinem voluntatis ad rem producendam, licet non perueniat ad existentiam. Ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinent ea, quæ necessariâ connexione Prædicatorum nituntur, quæ præueniat exercitium omne liberi decreti, & ab illo dependentiam: quæ vero nituntur libero decreto, & ex illius suppositione aut immutabilitate, inferuntur infallibili necessitate, pertinent ad scientiam visionis, aut liberam, nec ex illo decreto quod præit, oritur necessitas antecedens, sed consequens: quia est causa ponens, non tollens libertatem: quatenùs eminenter continet quidquid est in actu libero, & perinde ex suppositione illius ac ex suppositione propriæ nostræ voluntatis, deducitur infallibili, non necessaria consequentia.

Si instes Hæc propositio: *Si idem auxilium efficax antecedens detur Petro, conuertetur*, conditionalis est necessaria, quia non potest saluo Antecedente non dari consequens: Ergo ex decreto conditionato fiet propositio necessaria, quæ pertinebit ad scientiam simplicis intelligentiæ: Ad hoc respondendum est, decretum dupliciter comparari posse ad vetitatem, & propositionem futuri: primò si apponatur vt conditio, & Antecedens, propositionis hypotheticæ, si prædestinetur Petrus saluus erit, si prædeterminetur conuertetur. 2. Si assumatur tanquam medium extrinsecum, propositionis hypotheticæ positum, quod tamen sit ratio cognoscendi connexionem antecedentis cum consequente: *Vt si Petrus accedat ad domum Pontificis Christum negabit*; quæ propositionis partes secundum se ad summum fallibilem habent connexionem, certò tamen cognoscantur, vt subsunt decreto conditionato, tanquam medio extrinseco, non Antecedente propositionis, cuius vis in hoc sita est vt res fiat infallibiliter, & liberè non necessariò: Ergo totum hoc pertinet ad scientiam liberam, non simplicis intelligentiæ, quia inquit, Ioannes à S. Thoma

fundatur in ipso decreto libero, tacita, aut omissa eius natura, aut connexione, vt suo exercitio ducit ad effectus infallibilem notitiam.

Si vero ipsa natura decreti, aut vis illationis, & connexionis cum effectu, attendatur quasi in actu signato; pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, quia spectatur secundum quidditatem, & vt abstrahit ab exercitio, & existentia, quâ ratione sumitur, cum locum habet partis, seu Antecedentis in propositione hypothetica: tum enim expenditur sola vis illationis; & ideo pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ: si verò decretum sumatur vt actu positum, vis consequentiæ nititur exercitio libero: vnde licet dicat ordinem infallibilem ad effectum, & ex illo fiat consequentia necessaria vi illationis, aut consequentiæ, non vi consequentis; tamen ad scientiam liberam spectat: quia nititur decreti exercitio libero, quod etiam vim suam in hoc exerit, vt actus sit proditurus libere & infallibiliter. Hæc in antecessum dicta sint, clarius infrà explicanda, & validius propugnanda.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

Confirmantur superiora, breui Argumentorum complexione, & noua adduntur contra decreta indifferentia.

RECENTIORES bonâ fide, & eruditè totam hanc controuersiam ad hæc 2. Capita reuocant: conditionatorum certa est & recepta apud omnes Dei scientia, nec potest haberi, nisi ex decreto actuali, vel ex suppositione futuritionis rei ante omnem quamcumque causæ primæ, aut secundæ determinationem: Atqui non potest Deus scire huiusmodi futura in decretis, *quis enim* inquiunt, *has Deo curas imposuit, volo vt si vellem Petrum interesse concioni, aut comediæ conciperet liberè talem voluntatem bonam aut prauam? Quis Deum cogitauit de nusquam existentibus sollicitum, vt pars eius prouidentiæ illos hominum actus dirigeret, qui nunquam erunt?* Ex nouitate decretorum inferunt antiquitatem scientiæ

mediæ, quæ nihil aliud sit, quam olim creditum esse scientiam liberorum actuum conditionatè futurorum, & non esse credita decreta, ex quibus illa pendeat, quod probant scisscitando, vt aliqua sibi huiusmodi vestigia ostendantur: si nulla enim apparent apud veteres Scriptores, restat vt iam mirari meritò possint, sicut ad conspectum nouorum fructuum.

Atque indè aliud sibi commodum comparant, cum suam opinionem antiquam nostram velint esse nouam, onus probandi detrectant, & nobis imponunt. Cum aliundè solâ negatione se defendant, non dari conditionata decreta: probationes à nobis expectare debent, quæ nullæ adhuc apparuere satis idoneæ.

Tota hæc Argumentatio longioris operis Epilogo præfixa, satis demonstrat, Aduersarios magis arte quam Marte velle pugnare; & probandi onus recusare vnâ conscientia inopiæ Argumentorum saltem à priori, quæ hac parte versamus. Primùm ponunt tanquam certum, conditionata certò scibilia & scita esse à Deo omnium consensu, independenter à decretis: quod tamen quoad primam partem, Recentiorum multi negant doctissimi, quos inter eminent Curiel, & Thyphanus. Deinde, esto certa sit, huiusmodi futurorum Dei notitia; malè inde deducitur exclusis etiam decretis, scita esse huiusmodi conditionata, beneficio scientiæ mediæ, ex vnâ suppositione futuritionis illorum, ante quamcumque causarum determinationem. Constat enim infinitas ex Scripturâ, ex Theologiâ, compertas, & apud omnes receptas assertiones, & veritates, licet varij, & incerti sint modi quibus explicantur. Fide credimus Verbum generari, non Spiritum Sanctum: nec tamen hactenus inuenta est certa huius differentiæ causa, quæ omnes Theologos exerceat. Demus æquè receptam futurorum conditionatorum notitiam ac Filij generationem; malè inde infertur, non minus compertam, communem, & receptam esse rationem explicandi hanc suam, ex suppositione futuritionis, scientiam mediam, quam futurorum insinuatam à Scriptura cognitionem quocumque modo explicetur.

Præterea Argumentum, quo carpuntur decreta conditionata quasi otiosa, & penè ridicula, non longè absunt ab iis, quibus Lucretius, aliique antiqui impetunt, &

traducunt Prouidentiam, diuinam; quæ ad singularia ac minuta quæque ad muscas, & atomos descendat: & si vellem vicem reponere, longè vberiorem suppeditarent materiam inexhaustæ illæ, & pares, aut fortè maiores possibilitate rerum futuritiones, ex innatâ vi creaturarum, quæ Deum per totam æternitatem distentum tenent, quam aliquot futura, vel decreta conditionata, quæ ex Scripturâ nouimus, vel ad œconomiam vniuersi necessaria sunt, qualia sunt quæ superiore Paragrapho collegimus, etiam de futuris disparatis, vt cum Elizeus ad quinquies terram percussam, victorias de hostibus referendas numerat. Atque inde susceptο probandi onere, primum pro decretis actu positis contra scientiam mediam, Argumentum iam insinuatum assumo, quod Epilogo dimidiatum refertur.

E tribus futurorum generibus, nempè absolutis, conditionatis disparate, & inter hæc duo extrema quasi mediis, nempè contingentibus & liberis, fallibili vinculo connexis, in confesso est apud Aduersarios, priorum notitiam hauriri ex decretis actualibus. Si ab extremis liceat de mediis statuere, vti necesse est, immerito nouitatis arguitur nostra sententia, quæ idem de futuris conditionatis libere, & contingenter connexis tradit, & male sibi antiquitatis auctoritatem vindicant, qui id negant Aduersarij. Argumentum videtur efficacissimum, etiam vniuersim propositum; sed vis eius eluceſcet singularum partium probatione. De disparatis quidem retulimus ex Arrubal, & Alarcon, non posse cognosci, nec subinde reuelari à Deo, vt aliquando contingit, nisi adsit actuale decretum, quo eius partes ligentur, & innotescant: & idem de conditionatis liberis, consecutione euidenti deductum est. Nullo loco illud Argumentum obiectum, aut solutum ab Aduersariis lego, & dum ad illud responsionem expecto; vrgeo exemplum de absolutis.

Futura absoluta non cognoscuntur nisi decreto præsenti: Ergo neque conditionata futura. Quam vim habeat istud Argumentum, quamquam sit Aduersariis molestum, probat ipsorum discordia. Suares, & alij plures eiusdem Familiæ, negant Antecedens, & contendunt futura absoluta cognosci, sicut conditionata, ex lege contradictoriarum, vi decreti futuri, eo rationis instanti, quo conci-

pitur scientia media prælucere decretis & præire scientiæ visionis. Nihil enim vetare putant, pro illo priori concipi decretum diuinum vt futurum; quandoquidem plura quæ posset habere, possibilibus decretis annumerantur.

Sed in Suarem insurgunt cum nostris Vasquez, ac plures alij è Societate; qui negant futura absoluta cognosci posse, nisi in decretis præsentibus, & negant consequentiam nostri Argumenti: Atque hoc discrimen afferunt inter conditionata, & absoluta futura: quòd inquiunt necesse sit, vt omnis voluntas Dei, quæ erit, iam sit, nec fieri potest quin futurum absolutè, quod necessariò postulat aliquam Dei voluntatem pro tempore illo quo futurum est, eamdem voluntatem iam supponat præsentem: sed quia non est similiter necessarium vt Deus velit actu, quidquid velle posset; ideo quod sequeretur ex illa Dei voluntate quæ posset esse; non debet illam præsentem supponere: & frustra confingitur decretum præsens.

Contrà hanc responsionem, qua tota Aduersariorum defensio continetur, possem instaurare Argumentum à futuris disparatis, ad quorum veritatem requirunt actuale decretum: sed omissa hac difficultate satis insinuata, vrget Argumentum ex Suare allatum, pro illo priori naturæ, quo scientia media prælucet diuinæ voluntati se determinaturæ secundo instanti; vel futurum absolutè cognoscitur; vel adhuc latet, & occultum & ignotum est: si hoc secundum asseras, destruis fundamentum scientiæ mediæ ex lege contradictoriarum, quæ non minus obtinet de absolutis, quam de conditionatis: si priùs dicas, non potes pro illo priori, quo causas secundas explorat scientia media, vt præluceat voluntati, concipi decretum diuinum vt præsens: ad quid enim opus esset exploratrice scientiâ, & præuiâ illâ luce cum extet decretum, cuius vnius causâ præit, & prælucet? Ergo est omninò asserendum, futurum non cognosci pro illo priori naturæ vllo modo: neque in decreto præsenti vt euincit nostrum Argumentum, neque in futuro vt contra Suarem demonstrat Vasques, sed post decretum. Ergo nec futurum conditionatum scibile est, aut scitum, ante decretum actuale.

Atque inde refellitur alia responsio eiusdem Epilogi

Numero 19. proportionem habere existentiam causæ, cum existentia effectus; & sicut necessarium est, vt effectui qui est, assignetur causa quæ sit; ita sufficere si effectus qui erit, assignetur causa quæ erit, quamvis modo non sit; & effectui qui esset, assignetur causa quæ esset: qualis causa, & effectus respondet scientiæ mediæ, cuius obiectum ita explicatur, Deum velle posse, vt sit causa talis, cum talibus circumstantis, etiam si fortè illud nolit, & si hoc vellet Deus, causa quæ tunc esset, foret ratio, cur hoc sequeretur, & illud.

Præter Argumentum à duobus extremis futuris, quo illud scientiæ mediæ ex analogiâ petitum fundamentum euersum est; insto alio Argumento. Possibilia futura ad possibilia accedunt magis quam ad præsentia & necessaria, Atqui rerum possibilitas, nec à seipsis est, nec in ipsis cognoscitur, sed ex causis oritur, & innotescit: Ergo. Deinde, eo modo futura libera sunt, quo necessaria, cum analogia: Atqui necessarij futuri determinatio est à causis, non à seipsis: Ergo. Ex his itaque habetur sententiam nostram non posse vllius nouitatis suspectam haberi, cuius aduersam compertam demonstro hoc Argumento. Cognitio conditionatorum in decretis, consentanea est Scripturæ & Theologiæ principiis certis, ex D. Augustino & Dionysio, de cognitione diuinâ creaturarum in essentiâ diuinâ vt in medio & in causa: vndè sicut possibilia nequeunt cognosci, nisi in essentiâ diuinâ, ita nec futura nisi in eadem essentiâ vt determinatâ per decretum. Nostra Argumentatio vires acquirit eundo, & sicut massa niuis, dum voluitur progressu excrescit, & confirmatur.

PARAGRAPVS OCTAVVS.

Plura superioribus adduntur.

EX dictis constat, in quâlibet scientiâ, seu diuinâ, seu creatâ, duo esse obseruanda; nempè rem sciram, & medium sciendi, quod præter lumen insitum menti, obiectum contineat, eiusque obeat vices, vt ex obiecto, & potentiâ prodeat cognitio: malè verò conuenit scientia media excogitata à recentioribus, cum ratione seu scientiæ

generatim, seu scientiæ diuinæ nominatim: quia medium ad cognoscenda futura Deo innatum omnino tollit, & ideo potiùs sine medio quàm media dici deberet. Deinde cum rerum creatarum, quas Deus scientiâ suâ attingit, quatuor sint genera, nempè possibiles, futuræ absolutæ, futuræ conditionatæ, disparatæ, & connexæ vinculo fallibili, ex nostris principiis huius quarti & vltimi generis eâdem secundum analogiam ratione, quâ tres superiores cognoscit, nempè in essentiâ vt in medio cognito; cur igitur aduersarij nobiscum conueniunt de tribus prioribus generibus, de quarto singularem cognoscendi comminiscuntur rationem, quæ subinde noua sit, & parum consentanea Scripturæ, Theologiæ, & cæterarum omnium scientiarum principiis, vt statim dicam, imò vix secum ipsi consentiant.

Hinc refellitur solutio Epilogi Numero 12. non negari omnem in Deo voluntatem conditionatam, & obiectam quæstionem esse de prædestinationibus conditionatis, eorum quæ homines nec fecerint vnquam, nec faciunt, nec facturi sunt; sed quæ facerent, si placeret hanc, aut illam conditionem ponere; quatum contendunt nullum in Scripturâ Sacrâ exstare vestigium. Nullam autem esse consequentiam à prædefinitionibus necessariis, ad otiosas & inutiles. Ita est profecto, sed probandum est inutiles esse quas Paragraph superiori plures conditionatas ex Scriptura deprompsimus. Nec video quid responderi possit ad disparatas; qualis est iterata percussio terræ, ad quam erant numerandæ victoriæ, iuxta Dei promissionem; quod vnum exemplum sufficit refellendæ solutioni, quâ contenditur nullum in Sacrâ Scripturâ exstare vestigium huiusmodi decretorum.

Omitto Argumentum à tribus rerum scitarum generibus ad istud quartum, vndè maximum causæ nostræ, & inuictum comparetur præsidium, quo prorsus Aduersarij destituuntur; quæcumque fides & ratio tradunt, à Deo sciri, quatuor enumeratis generibus contineri: è quorum tribus inferimus consentaneam rationem cognoscendi quartum, cum Aduersarij contrariam, & dissimillimam statuant. Quis ergo inde non colligat nostram sententiam antiquissimam, & solidissimam, quæ sicut de virtute dicitur, conuenientiâ constat sine vlla

principiorum diſenſione : & cum diuerſa Philoſophandi ratio placeat Aduerſariis, in illis ſanè deſideratur quam in D. Thoma mirantur omnes, partium & principiorum omnium conſenſio.

Deinde in qualibet ſcientia præter rem ſcitam, attendendum monuimus maxime eſſe modum ſciendi, qui in eo elucet, vt rem ad ſe trahat mens, & medium cognoſcendi habeat intime ſibi iunctum. Hoc communne axioma ex verâ Philoſophiâ confirmatur, & receptum ab omnibus, ſeruamus tenaciſſimè : Aduerſarij fere euertunt, vt conſtat ex Numero 23. vbi nullum aliud medium cognoſcendi futura conditionatè agnoſcitur diſtinctum ab ipſis : Atque hoc ſenſu Deum videre illa in ſeipſis, neque in aliis eorum cauſis, tanquam in medio cognito.

Et ſi inſtes hæc futura in ſeipſis nihil eſſe : reſpondetur non cognoſci quod ſint aliquid ; ſed tantùm quod eſſent, & hoc verum eſt, ſeu affirmabile, & cognoſcibile ab infinita intelligendi virtute. Non immeritò huius diſputationis de ſcientiâ mediâ initium fecimus à quæſtione illa grauiſſimâ, an præter extrinſecam creaturam cognitam, aut cognoſcibilem neceſſarium ſit aliquod medium, iunctum Deo, quod obiectum contineat, vi cuius cognoſcatur ; & an illud medium ſit eſſentia diuina vt cauſa cognita. Vtrumque probauimus contra, Vaſquem, quare quidquid eo Articulo dictum eſt confirmando vtrique medio, valet contra reſponſionem allatam, quæ præter futuritionem rei, quæ futura conditionate ſupponitur, aut fingitur, & quæ merè Deo extrinſeca eſt, nullum Deo datur medium, quo vel in quo huiuſmodi futura cognoſcat.

Hinc refellitur quod eiuſdem Epilogi Numero 21. & 22. dicitur, in ſcientiæ mediæ immeritam commendationem, nec æquiorem ſententiæ noſtræ ſugillationem, ſe longè oculatiorem Deum cogitare quam nos, quorum hac ſententia primò ante actuale, & præſens decretum, Deus nihil videt in hiſce futuris ; poſt decretum vero videt hoc tantum : *Quod prope dicam, videre poſſint & noctua : quid enim, quaſo, eſt in noſtra ſcientia quod oculos Dei commendet ? An quod ſibi conſcius ſit ſuæ prædeſtinationis? Quis mortalium non eſt etiam ſuæ ? Ne pueri quidem adeo*

ineptè ludunt, vt ille fortunatus habeatur qui diuinat, id quod ipse absconderit: Deus vero quid amplius facit, dum hoc tantum diuinat, quod ipse prædiffiniuit? Vnde concluditur contra quoddam verbum à Ioanne à S. Thoma innoxiè prolatum de difficultate Argumenti, *videat ergo lector an alios dentes habeat quam quibus Aduersarij mordeantur.*

Sed omissâ omni verborum acrimoniâ, ad rem ipsam dico scientiam mediam iis commendari, quibus Articulo primo huius disputationis probatum est infici, & euerti: nihil enim magis à ratione alienum, quam si admittas actum voluntatis nullâ præuiâ luce intellectus, vel intellectionem nullo concursu obiecti, solâ vi luminis quamlibet infiniti. Nihil vero deterius contingere potest Deo, quam si à rebus creatis certam notitiam hauriat, quasi nequeat à se ipso habere: Atqui ex scientiæ mediæ principiis, hæc duo pugnantia consequuntur: quorum primò tollitur in totum intellectio, quæ dari nequit sine medio intrinseco, quorum hactenùs nullum assignatum lego toto illo opere, nec potest aliud præter essentiam cognitam, nisi vltrò velis in aliud magis absurdum incurrere, nempè cognitionem diuinam precario assumptam à rebus extrinsecis, quę omninò sunt nihil; sed essent aliquid, si conditio apponeretur.

Quod vero obiicitur: *Scientiam futurorum, vt à nobis explicatam, nihil habere singulare quod noctuis, aut pueris ludentibus non conueniat*: Mirùm est sane adeo humili, abiectoque exemplo, deiici rem à nobis suprà omnem comparationem positam. De præscientiâ Dei diuinâ futurorum, tria habet S. Doctor singularia, quæ ne dicam noctuis aut pueris ludentibus, vel suprimis intelligentiis, seriò, totisque viribus conantibus; sed nec ipsi Deo ex scientiâ mediâ creaturarum fibras rimanti conueniant. Nam quanta quanta sit hęc cognitio, hos tres habet defectus, à quibus longissimè abest præscientia in decretis, à nobis constituta; iudicium sit æqui Lectoris, quæ duarum dignior sit Deo. Nos de rebus verè futuris (qualia non sunt, quæ ex decretis mere possibilibus à nullo actuali pendent) ne dum vniuersalissimam damus, vt nihil illam scibilis, & veri lateat; sed à se ipsâ instructam mediis esse volumus, vt nihil opus habeat à creaturis quidquam

quidquam mendicare, vnde scientia media veritatem quærit. Plenitudini luminis addimus efficaciam, quâ eadem scientia certam veritatem iungat cum rerum contingentiâ, & libertate. Tertiam tandem adiungimus dotem; infinitam nempè amplitudinem, quâ omne tempus ambiat, omnibus partibus eius coexistat, & futura ac præterita illi præsentia sint. Quid ad hæc scientiæ mediæ defensores? An communia esse volunt noctuis, & pueris? imò inconcessa etiam Deo causantur. Sed dum grauant nos, ne à seipsis dissentiant; & hinc criminentur nos infrà noctuarum caliginem & puerorum infantiam deiicere diuinam præscientiam, inde conquerantur nos illi incredibilia ascribere. Quî enim fieri potest, nos adeò pugnantia docere? Certe vtrique accusationi veritas constare nequit: Ergo alteram necesse est falsam esse, aut verius vtramque.

Paucis itaque comparationem ineamus præscientiæ Dei à nobis constituræ cum scientiâ mediâ. Illa tota diuina est, totaque à Deo; hæc ab obiectis tota hauritur, ne dato quidem vel minimo medio intraneo, quo innotescant futura. Illa non minus efficax quam lucida: *Facit concordiam in sublimibus* libertatis, & contingentiæ creatæ, cum prouidentiâ immobili: ista tota theorica est, ne dicam otiosa, & sedendo spectat. Tandem nostra præscientia, ne dum obiectiuam seu euanidam, qualis non negatur Chimeræ, sed realem habet cum futuris præsentiam: istam verò solâ obiectiuâ contentam esse oportet. Vnde vires maximas habet alibi insinuatum Argumentum. Si præscientia futurorum conditionatorum, qualem Deus nanciscitur beneficio scientiæ mediæ, petenda sit ex suppositione, quod res futura sit, nec aliquid requirat præter præsentiam obiectiuam, nisi alterum duorum, quæ insinuantur Numero 10. nempè suppositionem causæ actualis, quæ esset, si apponeretur conditio, vel præsentem suppositionis causæ liberæ possibilitatem; Rogo quid horum de futurum sit, ne dicam Deo; sed nec etiam cuilibet Angelo? Non obiectiua præsentia, quæ nulli nõ adest cognitioni; non cognitio possibilitatis causæ liberæ: nam cum sit finitæ virtutis, & perfectionis, non potest illi, nisi per summam peruicaciam concedi attributum incomprehensibilitatis, & negari ab intellectu crea-

to posse adæquari; cum quidquid concipitur de huiusmodi futuro quacunque conditione, sit omninò finitum, & limitatum. Quare immeritò horum futurorum ex scientia media cognitio vindicabitur Deo.

Si dicas cum Vasque, hæc obiecta vni Deo esse proportionata: audimus responsum; sed vim non capimus, nisi tota repetatur ab ipsâ thesi, apertâ petitione principij: nam si possibilitas causæ liberæ sit sufficiens ratio & causa futuritionis hypotheticæ illius effectus; quis neget comprehensâ possibilitate, cognosci huiusmodi futura quorum determinationis, & veritatis vnicam causam esse volunt, tum loco mox citato, tum alibi passim, max imè Disputatione primâ toto ferè Cap. 2. Nec minùs euidens, & apertum est, hanc possibilitatem causæ liberæ, & contingentis, subiici comprehensioni mentis creatæ, cuius vis intellectiua, gratis negabitur par dari posse passiuæ intellectioni huiusmodi causæ possibilis.

Sed parum conuenit, hæc responsio, iis quæ ex eodem Authore retulimus contra sententiam Molinæ, tantum abesse ex possibilitate causæ liberæ sui ipsius determinatiuę, aut si velis etiam supercomprehensione, cognosci determinatè futurum; vt potius, quo exactior, & plenior est possibilitatis causæ sui determinatiuæ comprehensio, eo sit occultior futurorum determinatio: hæc omninò dissentiunt ab hâc vltimâ responsione ad nostra Argumenta, ex possibilitate causæ liberæ, vnde asseritur non minùs certus cognosci futurus effectus, quam ex possibilitate causæ necessariæ, quorum extremorum conuenientia, ne dum nobis, sed ipsis etiam Aduersariis repugnat. Vnde parum solida videtur solutio pluries iterata, quæ huic astruitur comparationi possibilis causæ liberæ cum necessaria: quia hęc determinata est, & nullius patiens suspensionis, nisi forinsecus adueniat; illa non dicitur determinata; sed sui determinatiua.

PARAGRAPHVS NONVS.

Repugnat scientia media tribus Logicæ regulis.

MVLTA ex Scripturâ, ex Theologiâ aliisque scientiis principia posuimus, quæ salua esse nequeant, stante scientiâ mediâ; sed vix illi cum vlla scientiarum conuenit, & ne per singulas decurram, alio id forte loco facturus, præter exempla Scripturæ, & scientiarum, quæ supremum locum occupant, adiungam aliud ipsius Logicæ; vt agnoscamus omnibus perinde infimis, ac summis infensam esse: tres habet Logica immotas regulas, quibus cum pugnant scientiæ mediæ principia: prima est de disiunctiuis, cum duorum extremorum, quæ medium non admittunt, alterum esse oportet sub disiunctione, & ad illud fit descensus vt loquuntur Dialectici, confusus, non determinatus, donec in vltimam se se determinationem exerat, quam gratis fingunt Aduersarij ex suppositione commentitiâ inesse futuris, quorum causæ omnes in suspenso sunt, excluſâ omni determinatione præsenti, quâ solet niti futuritio actus liberi, & contingentis, sicut effectus necessarij ab omnimodâ causæ determinatione seu necessitate pendent. Certum quidem est duorum extremorum, cuiuscunque sint ordinis, quæ nihil medij habent, alterum sub disiunctione secuturum; atque hoc sensu veras admittimus omnes propositiones contradictorias de quocumque futuro, ante vllam determinationem causarum: atque de absolutis perinde verum est, ac de conditionatis, ad quorum extrema itur sub disiunctione, seu descensu confuso, non determinato, ante actualem Dei præscientiam, vel causæ infallibilis determinationem.

Prima regula apud omnes recepta patet luculento exemplo. Certum est oculorum alterum necessarium esse ad videndum, & ad quemlibet recte fieri descensum confusum, non determinatum, neque enim necessarius est dexter, aut sinister; quia vterque sufficit, & quamdiu agitur de vi necessariâ ad videndum quæ nondum in vltimum videndi actum se exeruit, valet regula de sensu disjunctiuo & de sensu confuso: vbi vero facultas visiua

in actum prodiit, tunc vera est de altero oculorum determinatè. Sic explicata prior Logicæ regula mirè illustrat nostrum doctrinam: quia futura, quamdiu suspensæ manent causæ, & merè possibiles sunt vel actiuæ, omninò pertinent ad disiunctiua, quorum veritas determinationem vltimam excludit.

Eodem etiam pertinet 2. regula contradictoriarum de futuris liberis, & contingentibus, superiùs explicata ex Nazario controuersia 2. de futurorum cognitione: vbi aduertit harum duarum propositionum: *Antichristus erit*, *Antichristus non erit*. antè decretum diuinæ voluntatis, pro illo priori negatiuam semper esse veram, qua contradictoria est: quia tum hic vnus sensus est, nulla datur causa futuritionis rei pro illo instanti, licet possit dari pro instanti sequenti, ac perinde potest vera dici veritate fallibili, non immotâ: nam propositionis negatiuæ, duplex est sensus; vnus omninò negans denominationem, & fundamentum futuri à quâcunque præsenti determinatione causæ: alter licet quoad speciem negans, virtute tamen affirmat, determinatum esse, Antichristum nunquam futurum, vnde plurimum differunt hæc duo: non conuenit Antichristo esse futurum, & conuenit Antichristo non esse futurum, primum est purè negatiuum, & antè causæ determinationem vllam, & est verum fallibili veritate, id est, quamdiu nulla aduenit causæ determinatio, quam tamen accedere nihil vetat: Ergo verum est, non tamen omninò inuariabili veritate. Alia propositio Antichristo conuenit non esse futurum, est virtute affirmatiua, & falsa ante omnem causæ determinationem de Antichristo non producendo.

His ita explicatis, mirari licet profundissimam Aristotelis, & D. Thomæ illius interpretis mentem: nam vt obseruat Nazarius, harum propositionum Antichristus erit, & non erit, cùm vna sit negatiua, & altera, affirmatiua, saltem quoad speciem, inter contradictorias reponunt saltem verbis tenus, negant tamen earum alteram esse determinatè veram, propter implicitam affirmationem in propositione negatiuâ, Antichristus non erit: vt enim esset vera, veritate non quâcumque, sed infallibili, necesse erat inuolui affirmatiuam, conuenit Antichristo non esse futurum, quâ ratione desinit esse contradicto-

ria, & transit in contrariam isti, Antichristus est determinatè futurus, & nihil vetat vtramque esse falsam, vt sæpè contingit contrariis, contradictoriis vero numquam.

Ex hâc duplici regula Logicæ colligimus duo competere effectis contingentibus, & actibus liberis, quamdiu causæ quibus continentur ad illarum sunt suspensæ productionem. Certum est enim primò, sub disiunctione futuros esse, aut non futuros, idque necessario: quia nullum datur medium, & necesse est ad alterum illorum descendere, confusè non determinatè. Si vero velis vti descensu determinato, addimus aliud ex secunda regula, propositionem negantem puro sensu negatiuo, cum omnis abest, aut concipitur abesse determinatio causæ, veram esse veritate tamen non omnino infallibili, & inuariatâ. Si vero sumas propositionem negatiuam, non erit actus, sensu virtute affirmatiuo, tum falsum erit vtrumque, effectui competere non esse futurum, & esse futurum: quia reuera eo instanti, aut si velis toto spatio temporis, quo manent omnes causæ suspensæ, nec futurum esse conuenit actui, nec non esse futurum positiuè, sed ad summum negatiuè, quæ tamen negatio tolli possit.

Hinc colligere licet secundo, authores scientiæ mediæ peccare contra vtramque regulã Logicæ explicatam. Nam causis omnibus suspensis, & indeterminatis, non solum disiunctiue, & descensu confuso, volunt rem futuram nec-non futuram; sed omnino determinatè: nec propositionem negantem sublata quacumque determinatione volunt habere vim puræ negationis, quod nos vltro admittimus, sed etiam vim affirmationis, quâ ratione diximus propositionem à contradictoriis ad contrarias transire, ac proinde vtramque falsam esse: vnde constat hos authores male duas has regulas interpretari, & ad suam causam adhibere.

Nec melius capiunt, aut explicant tertiam regulam de propositionibus hypotheticis, quas suprà ex Ioanne à S. Thom. notauimus maxime attendi ex bonitate illationis, in hoc posita; vt sublato consequente verum esse nequeat Antecedens: Et si illo perempto saluum sit, propositionem hypotheticam falsam esse: vnde inferunt Logici, hanc omninò certam regulam pro hypotheticis propositionibus, nullam veram esse, nisi eadem sit necessaria. Et cum

hoc proponit quæsitum Tuissius, an vlla propositio conditionalis sit vera quæ non sit necessaria, non hæreticum agit, sed Logicæ peritum.

Nec valet quod illi vicissim reponitur, an vlla propositio absoluta sit vera, quæ non sit necessaria, neque enim ab absolutis bona est consecutio ad conditionatas, cum istarum veritas in illatione posita sit, quæ non patitur saluum Antecedens sublato Consequente. Alia vero est ratio propositionis absolutæ, quam nihil vetat veram esse veritate variabili vt diximus, de quacumque re contingente vere dici non esse futurum, quandiu suspensæ sunt, aut concipiuntur illius causæ. Quare cum Aduersarij omnes de futuris contingentibus, & liberis propositiones conditionatas veras esse determinate volunt, vt hanc, si Petrus accedat ad domum Pontificis Christum negabit: euertunt regulam mox explicatam, ex quâ falsæ sunt omnes huiusmodi propositiones, quibus iungitur Antecedens Consequenti vinculo fallibili, id est, quod dissolui possit, saluo, & vero Antecedenti: ita vero est, cum Petrus potuerit adire domum Pontificis, nec tamen Christum negare.

Sed dices veram esse hypotheticam, suppositione factâ quod Christum sit negaturus. Sed quæro, vndenam habeas, aut repetas illam suppositionem negationis futuræ, accessu facto ad domum Pontificis, quandiu concipis omnium causarum à prima ad vltimam suspensionem? Respondebis suppositionem illam repeti à suspensione tollendâ: sed iterum quæro, vndenam supponas suspensionem tollendam. Nihil aliud superesse video, quam si à seipsa dicas: vt apertâ petitione principij, contendas futurum à se ipso futurum, & ex mera suppositione sui ipsius: neque enim peti potest consequens negatio ab accessu antecedente, vt vera sit hypothetica; quandoquidem potest accessus stare cum confessione, perinde ac cum negatione Christi, & si velis necessarium esse ex suppositione, quia erit, idem probas per idem. Vel enim oritur ex suppositione antecedentis accessus præcisè, vel ex suppositione negationis adiunctæ, si hoc secundum asseras, affers pro causa quæstionem: si primum dicas: Ergo accessus secundum se necessario infert actum liberum, & cum careat huiusmodi Antecedens tribus dotibus,

quas ineſſe dicimus præſcientiæ diuinæ, eamque velis conciliare libertatem, & contingentiam actuum noſtrorum infallibili veritate, huiuſmodi cauſa antecedens omnimodam neceſſitatem inducet. Ex his omnibus patet ſcientiæ mediæ Argumenta omnia à priori, ad vnam tandem ſuppoſitionem futuritionis fictitiam reuocari, quâ tamen ſolidiora omnium fundamenta ſcientiarum conuellantur.

PARAGRAPHVS DECIMVS.

Ex dictis defenduntur primum Argumenta à priori Ioannis à Sancto Thoma contra ſcientiam mediam.

NIHIL verius quam quod aſſerit Ioannes à S. Thoma, nullum dari vere futurum contingens & liberum, etiam conditionatum, quod aliqua ſui parte non ſit abſolutum, & nitatur re aliquâ præſenti, qualis eſt determinatio cauſarum ſecundarum ad effectus futuri productionem: ea vero ſi ſit libera, & contingens, nequit eſſe ſine abſoluto, quoad potentiam, decreto præſenti Dei, in quo cognoſcatur veritas illius futuri. Hoc probat Ioannes à S. Tho. Art. 4. ratione profundiſſimâ à priori, quam vt propugnem, & vrgeam contrâ reſponſiones, quibus infringitur, ad hanc formam reuoco.

Futura conditionata, qualia exſtant in Scripturâ de conuerſione Tyriorum, factis apud ipſos miraculis, quæ edita fuerant apud Iudæos, de proditione Dauidis à Ceilitis faciendâ, ſi apud ipſos moraretur dum Saül acceſſiſſet, & alia id genus futurorum conditionatorum, habent veritatem certam ſcitam à Deo, quæ ad liberorum ordinem pertineat, & diſtinguatur à veritate, quæ ineſt huiuſmodi rebus, vt purè poſſibilibus; aut vt futuris ſub diſiunctione. Hoc multis Argumentis pluries repetitis probat Ioannes à S. Thoma, quia, inquit, proditio à Ceilitis facienda, eſt quædam veritas, quæ potuit non aduenire, & tamen reipſa eſt, cuius oppoſitum falſum eſt: Atqui huiuſmodi veritatis vt liberæ, & diſtinctæ à veritate poſſibilitatis aut futuritionis diſiunctiuæ, nulla poteſt dari vera cauſa, niſi actuale decretum Dei abſolutum, quo ad po-

tentiam, conditionatum quo ad obiectum: Ergo illud futurum non potest cognosci vt verum, nisi in decreto actuali, ac proinde est excludenda scientia media, ad hoc inducta, vt ante decretum actuale cognoscatur huiusmodi futurum. Consequentia est euidens.

Tota disputatio vertitur in minorem propositionem probandam, quam sic confirmo: Causa veritatis quæ conditionato inest, vt distinctæ ab aliis designatis, non potest esse quid commune ad veritatem possibilis, vel disiunctiuè futuri, neque etiam quid posterius ipsa veritate: Atqui nisi dependeat à decreto actuali explicato, & ad illud confugiamus, quidquid reliquorum affertur ab Aduersariis, est quid commune ad veritatem possibilis, & futuri disiunctiuè: Ergo sublato actuali decreto, nihil est in Deo, à quo huiusmodi veritas oriri, possit, ac proinde est verissimum, negato decreto actuali à quo dependeat huiusmodi veritas, nasci illud quod deduxit Ioan. à Sancto Thoma. *Horridum in tota Theologia & Philosophia, dari aliquem statum in creaturis imparticipabilem à Deo, & ab aliquo eius attributo.* Maior est euidens; nam quod est multis commune, nequit esse causa determinationis, qua diuersa sunt: multo minus quod est posterius, potest esse causa prioris.

Minor non potest euidentiùs probari, quam relatis responsionibus ad Argumentum Ioannis à Sancto Thoma, quæ nihil prorsùs ex Deo afferunt excluso decreto, quod non sit commune aut posterius. Primum declaratur optimè Disputatione quarta, Num. 52. De facto est possibile Dauidem in Ceila manere, Saülem aduentare, Deum ordinariam habere circa Ceilitarum voluntatem, in illo rerum occursu prouidentiam. Item de facto est impossibile, vt ex illâ hypothesi sequantur 2. opposita contradictoria, cuiusmodi sunt traditio Dauidis, & non traditio, necessitas autem est vt sequatur alterutrum. Hactenus verba responsionis, quæ explicant veritatem possibilis traditionis, & futuræ, etiam sub disiunctione: sed vt sit veritas distincta ab iis duabus, res transferenda est ad alium statum, & postquam ambo sequi non possunt, & alterutrum disiunctiuè necessario sequitur, statuendum est alterum illorum determinatè, nempe traditio aut non traditio: quoad causam primam, & propriam huius veri-

tatis, seu traditionis futuræ; contendimus Argumento Ioannis à S. Thoma, dari illud horridum in Theologiâ, nempe statum illum futuri determinate distinctum à possibilis, aut futuri disiunctiuè status, cui nihil in Deo respondeat, à quo efficiatur aut quod participet.

Quæro enim quid sit illud: vel est decretum Deo possibile, quod sit habiturus, positâ tali conditione concurrendi indifferenter, prout creatæ voluntati placuerit; vel est decretum actuale secutum præuisum consensum creatæ voluntatis. Primum est quid commune ad veritatem possibilis; & futuri disiunctiue: Ergo non est propria, & prima huius veritatis causa. Secundum etiam minus est verisimile; nulla enim ratione potest veritas illa participata futuri, determinate in id refundi, quod est posterius: Atqui ex te decretum Dei actuale, est posterius veritate consensus causæ secundæ: Ergo non est illius causa prima, ac proinde ex his omnibus consurgit consecutio quam susceperat probandam Ioannes à S. Thoma, vt immerito dicatur *non videri probabilitatem huius consequentiæ, nec satis digestam hanc ratiocinationem, quæ si adolescat in Argumentum idoneum, facile fore distinctæ difficultati distinctam adhibere solutionem.*

Ne igitur detur locus de nobis expostulandi, hâc formâ propono Argumentum. Distinctæ veritatis futuri conditionati determinate assignanda est causa prima, & propria ex Deo, quam participet: Atqui huiusmodi causa nequit esse decretum possibile indifferens, quia est cómune ad veritatem possibilis, & futuri disiunctiuè; neque etiam decretum actuale posterius, pendens à præuisione futuri consensus causæ secundæ & voluntatis creatæ: Ergo est recurrendum ad actuale decretum prius prædefinitiuum futuri, quod sit causa prima, & propria illius veritatis ac fundamentum & veluti causa formalis, & efficiens futuræ rei, eo prorsus modo quo omnipotentia diuina, si cum causis secundis velit concurrere, est fundamentum & causa efficiens, ac quasi formalis, demonstrationis possibilitatis rei & futuritionis, etiam sub disiunctione, vt eleganter explicant Salmanticenses Disput. 7. de Scientia Dei, Num. 6. 26. & Num. 108.

Non expendo singulas responsionum partes, quia satis refelluntur hâc communi ratione, his additis quæ suprà

diximus de regulis ex Logica Constitutis, maximè de propositionibus hypotheticis, ex quibus constat veras esse huiusmodi propositiones vi illationis, non assertionis: quia supponunt non asserunt; & si supponant aliquod Antecedens quod verum esse possit, sublato Consequenti, propositio est falsa.

Vndè patet non stare hanc responsionem, vt Deus cognoscat futurum determinate debet illi constare de suo decreto, *supponendo* inquiunt *non asserendo*. Si ita sit, quæro an posito illo decreto possit non esse consequens, vel non possit? Si primum dicas assentiris nobis, qui volumus ex decreto infallibili consequi effectum: si primum dicas: Ergo falsa erit proprositio hypothetica, quandoquidem inter falsas reponitur, cuiuscumque Antecedens verum esse potest, falso, & sublato consequenti: Atqui posito decreto indifferenti, & possibili, nulla est determinatio ad rem futuram potius quam non futuram; Ergo illa propositio hypothetica inuoluẽs decretum indifferens, quæ rem futuram asserit, est falsa, aut ad minus non est vera, nec cognoscibilis ex vi decreti indifferentis, quod antecèdit, vel actualis quod sequitur veritatem futuri.

PARAGRAPHVS VNDECIMVS.

Defenditur alterum Argumentum à priori repetitum ab obiecto scientiæ mediæ.

HÆc de primo Argumento, cui lucem, & vires addit secundum; id vero ita se habet. Cum scientia media sit speculatiua, cui futurum vt proprium obiectum debeat præire, & prælucere; ac proinde illud nosse oportet, cum omni genere influxus, seu causæ primæ, & secundæ ad eius productionem necessarij; & cum omnes huius scientiæ defensores reijciant modum singularem Theophili suprà refutatum, obiectum huius scientiæ cõstituentis actum voluntatis creatæ, ab illa profluentem quasi à solâ, & nullius concursus diuini egeat; necessariò illud futurum debet aliquod Dei decretum inuoluere, eiusque concursum: id vero tribus modis potest intelligi, primum si cum Suare, & Molina, asseramus decretum Dei

possibile concipi vt præuium ad actum, indifferens tamen ad illius productionem, aut suspẽsionem, determinandum a causa secunda: secundo si cum Vasquez Arrubal, & aliis, concipiamus decretum Dei absolutum merè concomitans, & constitutum, vt isti auctores volunt, extrinseca causalitate: vel tertio denique, si statuamus decretum illud medio modo, præuium, & determinatiuum actus, & modi, seu libertatis, & contingentiæ: Atqui decretum ad futurorum cognitionem, & existentiam, non potest explicari nisi tertio genere decretorum: Ergo duo priora inutilia sunt, & inepta ad futurorum cognitionem, ac proinde ex illis non potest constitui obiectum scientiæ conditionatorum.

Huius Argumenti vis maxima est, & licet nequeat hic exacte tractari; vrgebo tamen quantum exigit nostra ista Disputatio. Et inprimis, constat Recentiores, in hoc constituendo obiecto, plusquam verbis differre; quandoquidem quidam nullum volunt inuolui decretum Dei, aut concursum, alij exigunt præuium indifferens, alij absolutum mere concomitans. Sed secunda sententia, & responsio vbique nostro Argumento opponitur. Cum enim obijcit Ioannes à S. Thoma non aliâ ratione produci illud futurum quam per decretum quod placeat, ac proinde, quod actu Deo insit; distinguunt decretum illud, etsi Deo placeat, esse tamen possibile & indifferens, quia placet complacentiâ non liberâ; sed necessariâ, quæ perinde pertineat ad hoc decretum, & ad oppositum: placet enim Deo quod hoc possit decernere, & contrarium, sed inde sequitur euidenter quod inferebamus, *horridum*, dari aliquam veritatem liberam, cuius prima determinatio & participatio repeti nequeat, ab vllâ perfectione increatâ. Neque enim reuocari potest ad decretum illud indifferens, & placens necessariâ complacentiâ, vt ad primam causam: nam liberum creatum debet eiusdem generis perfectionem increatam habere, quæ illi respondeat, qualis esse nequit decretum indifferens, placens complacentiâ necessariâ.

Dices illi esse addendum aliud nempè hypothesim concursus indifferenter oblati, quâ datâ, sequitur futuri veritas scibilis, & scita à Deo; sed iterum quæro, quæ sit prima huius hypothesis causa, concursus indifferenter oblati? Respondent non aliunde quærendam esse; sed illa se-

mel datâ consequi infallibiliter futurum; sed contra hanc solutionem inuincibiliter vrget primum Argumentum. Determinatio futuri nequit esse à ratione communi ad possibile, ad futurum, & non futurum: Atqui oblatio concursus indifferentis est necessaria ad hæc omnia, & si denegaretur à Deo, futurum illud non esset possibile, neque futurum: Ergo prima ratio liberi determinatè, à nulla perfectione increatâ repetitur. Deinde ab illo est primum actuale liberum, quod determinat indifferentiam causarum ad vtrumlibet: Atqui huiusmodi indifferentia determinatur à causâ 2. quia Deus paratus est concurrere, si causa 2. velit: Ergo.

His omnibus adde, incredibile videri minus actualitatis inesse rei participatæ, quam participanti; nam possibilitas creaturarum est ab actuali omnipotentiâ Dei: Atqui veritas futuri plus habet actualitatis, quam decretum Dei; quia illa est actu scibilis, & scita, imò est obiectum formale diuinæ cognitionis, quia vt habetur Disput. 4. Num. 61. nulla est ratio sciendi futurum potius quam illud, quia futura libera siue absoluta, siue conditionata, nihil habent quod ipsis sit ratio vt determinatè videantur, ideoque videri dicuntur in illâ suâ præsentiâ, quæ est in ipsis res cognita, & ratio cognoscendi: decretum autem est tantum mere possibile: Ergo plus habet actualitatis veritas futuri conditionati, quod pertinet ad genus liberi, quàm decretum quod manet in genere possibilium, ac proinde aperta est repugnantia, à decreto possibili determinari futurum illud liberum.

Hinc defenditur prima probatio Ioannis à S. Thoma: non potest à concursu Dei cum suspensione, & indeterminatione explicato causa 2. determinari, vt euidens est, & concedunt Aduersarij; neque etiam potest concursus Dei ita indeterminatus perfici, & determinari à causa 2: quia iam non esset Deus causa vniuersalissima, & prima, desineret enim esse prima in ordine ad illum actum, & gradum, ad quem exspectaret determinationem, & ad illum vt præuisum futurum ex vi causæ secundæ determinantis primam; se haberet vt causa cœco modo agens, præter cuius intentionem accideret à casu effectus, nec illum Deus nosset nisi ex euentu, imò etiam cum aliquo periculo concursum suum frustrandi.

Hæc omnia declarantur, primò exemplo, si Deus cognoscat effectus futuros conditionatos, vel absolutos, quatenus est paratus cum creatura concurrere concursu simultaneo, indifferenti ad assensum, & dissensum; perinde se habet, ac si quis sagittam eiaculari, aut machinam bellicam vellet displodere per cœcos meatus, dubius quo tendat, quidue eâ viâ attingat, nisi per fenestram exerto capite id exploret: aut similis est, inquiunt Salmaticenses, illi, qui tibi author est vt sedeas, & vi persuasionis in actu primo spectatæ, nescit certo sessionem tuam; sed illam tantum cognoscit cum te videt re ipsâ sedere, ac proinde illam tantum nouit ex euentu: Atqui sic Deus ita omninò se habet: neque enim scit consensum futurum ex suo decreto, quandoquidem est indifferens ad assensum, & dissensum, vt vult Suares, vel mere concomitans, vt asserunt Vasquez, & alij: Ergo cognoscit tantum ex ipso euentu, & consensu, qui est sibi ipsi ratio cognoscendi; & res ipsa cognita; Ergo ex euentu nouit: Ergo præter intentionem accidit Dei, cum sit indifferens ad assensum & dissensum: Ergo cœco modo agit, quia modus agendi Dei præsupponitur ante scientiam mediam, cum sit speculatiua, ac proinde supponat ad futuræ rei cognitionem, & productionem, omnes causarum influxus ad hoc necessarios, qualis est causæ primæ. Sed ille agendi modus est per ignorantiam rei futuræ, & singularis, præter intentionem Dei, cum eo non feratur, nisi influxu indifferenti ad assensum, vel dissensum.

Confirmant Argumentum Salmaticenses. Iuxta sententiam defensorum scientiæ mediæ, id quod supponit huiusmodi scientiam, non est necessariò requisitum ad existentiam actionis causæ secundæ; quia hæc scientia est speculatiua, ac proinde supponit suum obiectum, & omnes essentiales dependentias ad illius existentiam requisitas: Ergo cum modus volendi, & agendi primæ causæ per consilium, & prudentiam, & intentionem effectus particularis, scientiam mediam supponat, hic modus concurrendi non est necessarius ad existentiam huiusmodi actionum; ac proinde sunt distinguendi illi duo modi concurrendi causæ primæ cum secundis; vnus à casu, per ignorantiam sine consilio, & necessarius omninò: alter cum deliberatione; sed minime necessarius: quo nihil ab-

surdius dici potest. Ad hæc pleraque Argumenta quæ habent Salmanticenses illa Disputatione, hactenus non occurrit locus, vbi illis respondeatur; sicut nec etiam alteri Argumento, quod vrgent valide Disputatione 7. Num. 26. ex sententia Aduersariorum sequi Deum cognoscere futura conditionata, qua libera sunt, triplici genere cognitionum, quarum vna alteram impediat, vel reddat superfluam.

Declaratur: si Deus hoc ipso cognoscat futurum conditionatum, quod ex innatâ vi, & libertate causarum, concursu Dei non denegato, esset res futura, & cùm certum sit res plurimas earum quæ futuræ erant conditionate, transiuisse in futuras absolutè: euidens est, præter cognitionem conditionatam, terminare alteram absolutam. Et cum aliunde, eo priori instanti, quo per scientiam mediam cognoscebantur, vi decreti possibilis essent contradictoriæ secundum formam absolutam; non potest negari, eo instanti priori ante decretum actuale, fuisse cognita in decreto futuro, & tandem in decreto præsenti: Ergo est admittenda Aduersariis triplex cognitio huiusmodi futurorum, quod videtur absurdum.

Ad hoc etiam Argumentum ex Salmanticensibus, nondum occurrit responsio, sicut nec ad istud quod obiicit Ioannes à S. Thoma, ad finem Art. 4. & superiora confirmat: ita autem habet. Vel Deus cognoscit se cooperaturum voluntati creatæ, præuisione consensus ante oblatum influxum indifferentem, vel non præuiso consensu; si primum dicas; incidis in opinionem Theophili, constituentis obiectum scientiæ mediæ actum causæ secundæ, perinde scitum, ac si à solâ illâ penderet; atque ita labor esset inutilis, in ponendo Dei concursu, præuiso ante humani consensus præuisionem, si illa responsio obtineret, ante præuisum concursum scitum esse consensum. Si vero Deus adhibeat concursum, aut præuideat se adhibiturum, ante notitiam consensus liberi; temere, & fortuito adiunget se humanæ voluntati, ad eliciendum consensum, obiiciet enim se periculo irritum faciendi suum concursum. Nec ista possunt euitari, nisi subiiciat voluntatem sibi creatam, vt velit, quod ipse decreuerit: atque ita constituetur decretum prædefiniens.

Idque confirmat Axioma apud D. Thomam receptum,

Cum duæ cauſæ liberæ agunt, nec vna ſubiicitur alteri, nec ambæ vni tertiæ, omnes agunt caſu, & fortuito ſe iungunt, cum periculo fruſtrandi conatus. Vltimò confirmatur eadem ratio. Quocunque modo explicetur Antecedens, ſcientiæ mediæ, ſiue per decretum obiectum concurrendi & indifferens, ſiue per decretum abſolutum, & mere concomitans; euertitur obiectum: Ergo & ipſa perit, cum ſtare nequeat euerſo obiecto. Id vero duo requirit: primo certam, & determinatam veritatem, 2. veritatem liberi ordinis, quæ non pertineat ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel ſaltem non tranſeat in propoſitionem identicam, vel circulum vitioſum: Atqui defenſores ſcientiæ mediæ alterutram dotem, aut vtramque tollunt: Ergo euertunt ſcientiam mediam. Probatur Minor. Duobus modis interpretari poſſumus propoſitionis hypotheticæ Antecedens: *Si Deus concurrat, ille conſenſus eſt futurus*; vt intelligatur de voluntate concurrendi indifferenter ad aſſenſum, vel diſſenſum: vel 2. vt intelligatur de decreto, ſeu concurſu, quoad actum ſecundum vt eſt cauſalitas, & dependentia à Deo. Primo ſenſu tollit certam veritatem, 2. tranſit in ſenſum pure neceſſarium, imò identicum, & circulum vitioſum: Ergo, authores mediæ ſcientiæ ſunt ipſius euerſores.

Hæc ſumma eſt, & vis Argumenti Ioannis à S. Tho. *quo*, ait, *acriter morderi Aduerſarios, & inde telorum imbrem ingruere*, & quamvis velim de rebus magis, quam de verbis diſceptare, non video tamen ab illo læſam modeſtiam, aut leges Diſputationis: quia reuera illud Argumentum eſt difficillimum, nec tam Argumentum dici poteſt quam germen inexhauſtum Argumentorum, vt conſtabit breui examine probationum, quas annectit, quibus infringuntur, reſponſiones. Nam ſi primo ſenſu interpretemur concurſum Dei, id eſt, voluntatem indifferentem ad cooperandum cauſis ſecundis, & ab illis determinandam, certum eſt, non poſſe apponi, vt Antecedens propoſitionis hypotheticæ; vndè verum agnoſcatur, vt Conſequens conſenſus futurus; hic enim habet locum lex Dialecticæ, falſam eſſe hypotheſim, cuius Antecedens poteſt eſſe verum, falſo Conſequente: Atqui ſalua eſſe poteſt voluntas Dei, parata concurrere ad aſſenſum, & diſſenſum, quolibet eorum determinatè ſublato.

Hæc est vis primi Argumenti, quod immeritò dicitur difficultatem parere propter solam obscuritatem, & confusam rerum notionem; cum non minus apertum sit, quam efficax, quod satis patet responsione ad illud necessario adhibenda. Cum enim instamus; voluntas concurrendi indifferenter, non habet connexionem cum consensu, magis quam cum dissensu, id verum admittitur, sed quid inde sequatur, à nobis quæritur. Hoc vnum quod iuxta regulas Logicæ, nulla sit ineptior propositio hypothetica, quam cuius Antecedens non magis connexum est cum Consequente deducto, quam cum opposito; vnde cum instamus, decretum indifferens non conducit, vt videatur determinatio voluntatis ad consensum, magis quam dissensum; Distinguit, non conducit sola indifferens voluntas, Esto: coniuncta cum libertate creaturæ indifferentiæ determinatrice, Negant; sed hæc responsio confirmat primi Paragraphi Argumentum, primam liberæ veritatis creatæ causam repetendam esse à creaturâ, non ab vlla creatrice perfectione: deinde eluduntur omnes leges dialecticæ, quibus falsæ censentur omnes propositiones hypotheticæ, quorum Antecedens saluum fit, dempto Consequente.

Prætereà inauditum est, Antecedens propositionum hypotheticarum, esse rem scitam, & obiectum materiale, non formale, seu rationem sciendi; nisi hoc sensu, si sumatur concursus in actu primo pro decreto concurrendi, eius suppositionem esse quidem rationem sine quâ nihil sciri potest conditionate, ac liberè futurum; sed non esse rationem sciendi magis hoc futurum quam illud: Ergo extra propositum, & thesim est hæc responsio, & Antecedens huius hypotheticæ, si Deus paratus sit concurrere determinate, consensus erit futurus, quandoquidem qui ita Respondent, vltro agnoscunt, Antecedens nihil conducere ad controuersiam nostram, vnde sciat Deus consensum potiùs quam dissensum: hoc enim addunt aliunde sciri non posse, nisi ab ipsomet consensu, ac proinde à concursu, & influxu Dei simultaneo, quem diximus esse dependentiam illius consensus à causa prima, quæ sit causalitas ipsius, nec distinguatur saltem realiter ab ipso consensu.

Ergo ad constituendum obiectum scientiæ mediæ, confugiendum

fugiendum est Aduersariis ad secundam interpretationem, id est, ad decretum absolutum mere concomitans, quod Vasques, & Arrubal volunt constitui per causalitatem extrinsecam explicatam: quæ responsio tandem necessaria vt vltimum perfugium, scientiæ mediæ defensoribus, tot patet & obuia est difficultatibus, quæ inde emergunt, vt non immerito dixerit illos morderi, & telorum imbrem pati. Exemplo sint Vasquez, & Arrubal, qui pro suâ ingenuitate maluerunt difficultati succumbere, quàm dissimulare, aut fucum facere Lectoribus. Nam cum decretum Dei necessariò includi fateantur, obiecto scientiæ mediæ, & aliunde illud constituant, vel ente rationis, vel causalitate extrinsecâ Dei, indistinctâ à concursu simultaneo, & subinde ab actu causæ 2. vltro agnoscunt euitari non posse circulum vitiosum, ac penè nugatorium, rem esse futuram, quia Deus vult, & velle quia futura est. Et ad has, & alias similes consecutiones, ac propositiones identicas allusit, vt credo, Ioannes à S. Thoma, cùm in hoc ait stare hallucinationem huius sententiæ, quod cum primâ interpretatione decreti diuini, solam curent indifferentiam ad seruandam libertatem, interpretatione 2. propositionibus identicis continuò ludant.

Vnde facile explicari possunt, & defendi Argumenta, quibus Ioannes à Sancto Thoma hanc partem sententiæ Aduersariorum impugnat: nec verum est suo discursu implicare multa Philosophice dicta; sed non est satis obseruatum ex verâ Philosophiâ, distingui concursum Dei, vel causæ secundæ, vt causalitatem, non vt causam ab effectu: & si ita interpretemur verba Ioannis à S. Thoma nihil peccauit contra rigorem Philosophiæ. Id vero certum est, scientiam mediam à defensoribus resolui in propositiones, non solum necessarias, & cognitas scientiâ simplicis intelligentiæ; sed etiam in identicas, ac pane nugatorias, qualis est hæc, volo concurrere, si Petrus concurrat, quæ non est libera; sed omnino necessaria, eâ necessitate, quâ repugnat dari determinationem causæ secundæ, sine determinatione causæ primæ. Sed de hoc argumento iterum.

Hinc etiam refellitur Argumentum, quod aduersus Ioannem à Sancto Thoma retorquetur, in idem incom-

modum delabi, quod obiicit patronis scientiæ mediæ, nempe resolutam esse in scientiam necessariam, concurram si causa secunda concurrat, imò in identicam vt ex Vasque referebamus: Atqui in eandem perlabimur necessitatem, quâ consequitur actus prædefinitus ex prædefinitione antecedenti efficaci, quâ positâ repugnat non sequi effectum. Sed est addendum, repugnare non sequi libere, quia prædefinitio vtrumque inuoluit, & efficit. Nec potest quoad hoc caput æquari sententia Aduersa cum nostra: nam præter differentias inter vtramque supra allatas, addimus quartam, nempe Aduersarios implicari propositionibus identicis circulo vitioso, à quibus longissimè expediti, statuimus certam veritatem ex prædefinitione, tanquam causâ vniuersaliſſimâ, & efficaciſſimâ, quam nihil subterfugiat, neque substantia actus, nec libertas aliæque proprietates.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Breuis superiorum Collectio.

VT paucis quæ fusè dicta sunt colligam, hæc omnium summa esto: malè consuli à suis auctoribus, scientiæ mediæ, primum quidem graui dissentione, non modo verborum, vt obtenditur, sed etiam sententiarum, satis insinuatâ, ne illorum, nostraque vestigia cogar iterum relegere; Adeoque à Logomachiâ absunt illorum contentiones, vt cum passim in rebus grauissimis concordes esse soleant, & hic maxime esse oporteret, aliquot ex illis à communi causâ & sententiâ in totum defecerint, quales sunt Henriques, Azorius, Typhanus aliique nonnulli: reliquorum qui à nobis dissentiunt, vix duo inter se conueniunt.

Huc pertinet quod à viro fide digno accepi, se audiuisse quemdam eiusdem familiæ authori intimum, testantem, sibi non placere, quæ in his disputationibus inita est, rationem defendendi scientiam mediam, & à se inuentam meliorem: vt inde agnoscas oportere noua quotidie cudi; adeo parum satisfaciunt, quæ hactenus scripta sunt, ne quidem ipsismet Authoribus qui ea inuenere: nec

occasione datâ, pro summâ ingenuitate testari desinunt, scientiam mediam adhuc implicitam difficultatibus, quibus non modo mordeantur, sed obrui, ac pene se absorberi sentiant. Argumento sint quæ à Vasques, & à Theophilo retulimus dicta fugiendis difficultatibus; neque id magis obscurè præ se fert Suarez 2. Prologomeno, dum conqueritur sibi à nostris falsò impositum, futuris absolutis assertam veritatem ante actuale decretum, æquè ac conditionatis: neque enim hoc obiectum illi est, sicut obseruant Salmanticenses Disput. 7. Num. 112. quasi ab ipso sponte dictum, sed quasi necessariò dicendum lege contradictoriarum, à quâ vnâ repetitur veritas conditionatorum ante decretum quodcumque, nisi forte possibile, & indifferens; quæ perinde obtineat de absolutis.

Atque vt cætera taceam, quæ possem in eandem rem congerere, non videntur validius causam scientiæ mediæ fulcire, neque difficultates amoliri, quæ addita sunt contrà Ioannem à Sancto Thoma. Nam præter quod breuius, & obscurius huiusmodi dissonantiæ difficultates ab illo attinguntur, quæ ideo citra culpam prætermitti potuerunt; ad Theophili opinionem & Molinæ alio loco reiectam, videntur accedere quæ lego eadem Disput. 4. Cap. & Parag. citato sciri determinationem ad consensum cum indifferentiâ increatæ voluntatis, nec maiore ipsius cum consensu quam cum dissensu connexione: quid enim hoc aliud sibi vult, quam quod Theophilus dicit videri actum creatum, ac si Dei concursu non egerent causæ secundæ; quandoquidem eo scito, & posito, adhuc indeterminata manet voluntas diuina.

Nec magis satisfacit, aut solidius videtur, quod passim omnibus paginis legimus, futurum conditionatum, aut absolutum videri hoc tantum nomine, quod illud esset, & istud erit ex suppositione quod esset, aut erit: quâ responsione nullâ alia ratione fultâ, aut luce illustratâ, quam quæ illi innata creditur, obscurissima, & insuperabilis quæstio resoluitur in veritatem per se notam, cui nullo sit opus medio, neque rei cognoscendæ, nec cognoscenti adiuncto: vt frustrà videantur hactenus se torsisse Patres, ac Theologi omnes, in vtroque medio inquirendo, & statuendo, cum nullo opus sit, sed duobus verbis tota difficultas profligetur, & subiiciatur veritas

per se nota, *esset*, quo ad conditionata, *erit*, quoad absoluta.

Sed vt omittam hæc gratis dici nullo fundamento vti nullo medio, nec vlla causarum determinatione, nisi supposito alterutro verborum *esset*, aut *erit*, cur illud esset præire debet isti erit, id est, conditionatum absoluto, seu scientia media scientiæ liberæ, cum indicatiuum priùs sit subiunctiuo, & *erit* simpliciùs ac breuius quam *esset*. Tanti tamen est hoc alteri præire, vt ordo nequeat mutari, nisi euersa prouidentiâ, & scientiâ diuinâ. Sed de illis hactenus. Ad vltimum huius primæ classis Argumentum progrediamur.

ARTICVLVS QVARTVS.

An ex influxu scientiæ Dei in res creatas, scientia media fulciatur, aut euertatur.

SINGVLARI methodo, nec ab vllo initâ quod sciam, hanc de scientiâ mediâ Disputationem aggressi, & prosecuti sumus: excussimus loca Argumentorum à priori, quæ illi fauere possint, aut nocere: & omnia fere huius generis, atque ex eo capite repetita, huic scientiæ aduersantur. Vnus supereſt locus istius ordinis, à quo aliquod præsidium sperant, vnde depromunt hoc Argumentum, res sciri à Deo, quia futuræ sunt, tanquam à causa & ratione à priori: non ideo futuras, quia sint à Deo scitæ.

Id vero probant triplici genere Argumentorum: primo quod potentia rerum creatarum operatiua distincta sit ab intellectu, & voluntate, vt censet Suares, aut saltem ab intellectu, cuius sententiæ est Vasques, vindicata voluntati efficaciâ ad operationes: Ergo res futuræ non sciuntur à Deo, quasi ab ipsa scientia factæ. Addunt aliud principium quod latiùs pateat: quamcumque scientiam etiam increatam, posteriorem esse suo obiecto, & ab illo metiendam. Et quamuis admittant Dei scientiam esse rerum causam, id de scientia visionis negant, vt locus sit huic consecutioni, res sciri, & videri à Deo, quia futuræ sunt, non futuras esse quod sciantur.

& videantur. Fundamentum confirmant, comparatione Dei ad artificem creatum, quem certum est aliâ scientiâ, aut cognitione artefactum dirigere, alia intueri. His tertium addunt fundamentum, frequentissimum apud Patres illud suum effatum, res sciri à Deo quasi à priori, & à causâ, quod futuræ sint: idque vsurpatum ab illis, quasi necessarium vindicandæ nostræ libertati, quæ peritura sit omnino, si hæc causalis admittatur, res ideo esse futuras, quod sciantur à Deo, non solum vt à causâ directiuâ, sed etiam efficiente. Hæc sunt præcipua Argumenta à priori in gratiam scientiæ mediæ, quæ tamen constant principiis cum D. Augustino & D. Thoma, ac penè cum ipsa veritate apertè pugnantibus. Sed primum omnium secernere oportet certa à dubiis, & quæ in confesso sunt apud omnes, à controuersis.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Scientiam Dei causam esse rerum certò directiuam, & verius etiam efficientem.

CONVENIVNT nobiscum Aduersarij, nec salua fide, & reuerentia Scripturarum, negari potest, Dei scientiam esse rerum causam, latè sumpto vtroque vocabulo, tum scientiæ, tum causæ, id est, aliquam Dei cognitionem, siue illa visionis sit, siue simplicis intelligentiæ, influere ad rerum productionem, aliquo genere causæ, siue directiua sit, siue efficiens proximè, aut remotè. Id ad minus euincunt loca Scripturæ & Patrum, Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti*, Psalm. 135. *Qui fecit cœlos in intellectu*, & D. Augustinus 11. de Ciuitate cap. 10. *Occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset: Deo autem, nonnisi notus esset, esse non posset.* Plura afferemus expressiora Patrum testimonia. Multis id rationibus probat S. Doctor 2. contrà Gentes cap. 23. quæ afferam, quia totam disputationem velut germina continent, & euincunt scientiam increatam causam esse rerum, non quamcumque, & directiuam, vt Aduersarii concedunt, sed etiam efficientem.

Prima ita habet: Causæ perfectissimæ competit modus agendi eiusdem perfectionis, qualis est agentis intellectualis, siue per intellectum & voluntatem; ad quod pertinet dirigere agentia naturalia, & illis vti quasi instrumentis: hinc excluditur exemplum productionis Verbi, per actionem naturalem: neque enim ad hanc conttouersiam pertinet; tum quia, vt inquit Caietanus, hîc agimus de verâ causâ efficiente, & effectu ad finem relato; Verbum non procedit à causâ efficiente, nec est ordinatum ad finem, sed est finis omnium: tum etiam quia agens intellectuale, quod omnium perfectissimum censetur, opponitur agenti per formam naturalem inditam; Verbum autem procedit modo intelligibili, vt distinguitur à naturali iam explicato, & à libero, quâ ratione agit Deus ad extrà, & hic modus agendi liberè, inferior est modo agendi naturali, & intelligenti, quo Verbum generatur. Est vero satis ad vim Argumenti, modum operandi ad extrà liberè, nobiliorem esse modo agendi quolibet per formam inditam.

Secundo probat S. Doctor, res creatæ eâ ratione producuntur, quâ in Deo continentur: at illas præhabet secundum suum esse, quale est intelligere, non solum, inquit Caietanus, hac ratione, quod sit naturæ Dei constitutiuum, sed quod sit esse Dei vt causæ; operatur enim vt intelligit & vult, non vt est; & præhabet res omnes secundum vim intelligentem per Ideas, atque hâc ratione efficiens est rerum causa.

Probatur denique egregiâ ratione ex quæstione prima de verit. art. 14. Cum duo conueniunt inter se aliquâ similitudine, oportet vnum ab altero, quam habent formam & similitudinem, vel à tertio superiori recipere. Cognitio verò quæcumque siue creata, siue increata, siue humana, siue Angelica, aliquâ similitudine cum re cognita conuenit: Ergo similitudo profluere debet, vel ab obiecto in cognitionem, vel à cognitione in res, vel ab aliquo superiori vtrique. Primi generis est cognitio humana, quæ à rebus deriuatur in intellectum: secundi ordinis est increata scientia, à quâ res emanant: tertii generis est scientia Angelica, quæ nec ab rebus est vt nostra, nec res sunt ab ipsâ, vt à diuinâ, sed quasi media inter extrema, deriuatur à Deo, rebus & menti Angelicæ superiori.

His rationibus euincitur, diuinam scientiam vt liberam, & visionis, esse causam rerum effectiuam, idque per actum Imperii: ac proinde veram esse hanc causalem ex Diuis August. Gregorio, & Thoma, res esse quod sciantur, & videantur à Deo; non videri quod sint. Deus est naturæ purè intellectualis, & infinitæ, cui non alia potentia conuenit, præter intellectum & voluntatem, quibus operetur ad extra: Ergo agit solo intellectu, & voluntate: & sicut Pater æternus producit intrà se Filium, per scientiam visionis necessariam, & vt est dictio; ita producit ad extra liberè creaturas, per scientiam visionis liberam, seu per Imperium, iuxta illud *ipse dixit & facta sunt.*

Sed totis viribus obsistunt Recentiores huic veritati, & innumera congerunt impedimenta. Tria potissimum annotaui, à communi ratione potentię extra operantis, quam Suares distinguit ab intellectu & voluntate, & Vasquez cum voluntate confundit; à communi notione obiecti, quod præire semper contendunt scientiæ: & ab authoritate SS. PP. qui illationem omninò oppositam relatæ ex Augustino habent, res sciri à Deo quod futuræ sint. His depulsis fundamentis sententiæ aduersæ, & nostræ impedimentis, certò constabit scientiæ diuinæ visionis influxus causæ efficientis in res, à quo ita abhorrent Aduersarii, vt vix vllam assignare possint scientiam diuinam, quæ sit aliqua ratione, etiam per directionem causa rerum, vt probat Gonzales Disputatione 38. Sect. 3.

Quæ enim tandem futura est nostri consensus causa? Non scientia visionis, quam merè speculatiuam rei, eaque posteriorem volunt: non scientia simplicis intelligentiæ; quia vt inquit S. Doctor, scientia non est operatiua ad extrà, nisi à voluntate impellatur: neque etiam causa est rerum, scientia per decretum applicata; quia non est antecedens & efficax, sed concomitans, vt docet Vasquez, vel conditionatum & indifferens vt tradit Suares, quâ ratione decretum illud non habet vim agendi. Quare ad summum scientia simplicis intelligentiæ est rerum causa, quoad actum primum, sicut scientia artificis, vt præuenit actum voluntatis se applicantem, habet omnia ad agendum necessaria, sed otiosa futura est, nisi voluntate ad operationem admoueatur. His generatim disputatis ac-

cedamus ad examen principiorum, quæ noſtræ ſententiæ opponunt Aduerſarij.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Scientia diuina non diſtinguitur à potentia ad extra operatiua.

EST contra Authores citatos, qui præter fundamenta inſinuata, addunt hanc cauſalem veram eſſe, Deum omnia ſcire quod omnipotentiam habeat, quâ continet creaturas: Ergo omnipotentia eſt attributum à ſcientiâ diſtinctum. Vaſquez verò vim efficiendi ad extrà, refert in voluntatem, quia tria, inquit, concurrunt principia ad opus quod efficimus; nempe intellectus vt cauſa remota, voluntas vt proxima, ſed inefficax, quare neceſſaria eſt tertia facultas, quæ in neruis & organis reſidet. Hæc verò ſuperflua eſt Deo, quod eius voluntas, cum ſit efficaciſſima, ſe ſola poteſt quidquid libuerit. Sed mens D. Thomæ, quem omnes Diſcipuli multique extranei ſequuntur, eſt, omnipotentiam Dei non diſtingui ab intellectu, & voluntate, & in vtrâque facultate reſidere, non tamen ex æquo, ſed præcipuè intellectu vt moto à voluntate.

Huius aſſertionis probationem repetit à naturâ diuinâ, quæ cum ſit merè ſpiritualis, & ſimpliciſſima, nullam præter intellectum & voluntatem potentiam exigit; nam facultates actiuæ, ſunt proprietates, & quaſi fœtus, ex genere & differentiâ ſpecificâ procreatæ: quare cum natura diuina, & Angelica prorſus intellectuales ſint, nec naturæ intelligenti aliæ præter intellectum & voluntatem competant facultates, fruſtra tertiam comminiſcitur Suares, ortam à communi ratione entis: quia ab ente, niſi aliquâ differentiâ contrahatur, nullæ profluunt proprietates.

Et hoc confirmat S. Doctor variis locis maximè prima parte quæſt. 54. art. 5. naturæ ſimplici nullæ competunt actiones, præter proprias & congenitas, niſi admiſceatur alteri ſubſtantiæ. Ita, inquit, igni, ſi ab omni corpore ſeiungatur, competit vrere, & ignem generare: vim

secandi habere potest à ferro cui admiscetur. Ita nobis præter intellectum & voluntatem alię conueniunt potentiæ, quod simus naturæ compositæ, voluntas inefficax sit, vsus potentiarum ab imperio rationis distinctus, cui non parent facultates, nisi organa applicentur. Quid verò horum, quæ in nobis augent numerum facultatum, habent locum apud Deum, cum sit naturæ simplicissimæ, nec minus efficacis voluntatis & imperij, & aliunde hoc eius cognitio & volitio differant à nostrâ, quod rerum bonitatem & veritatem efficiant? Quare semotis à Deo quibuscumque aliis facultatibus, vis operandi vt principio proximo, competere debet intellectui, aut voluntati. Cui vero duarum facultatum ius illud vindicandum est? Nempe intellectui: nam præterquod nobilior est facultas voluntate, singularem habet vim res omnes continendi modo intelligibili per Ideas: nihil autem magis confert ad efficientiam effectuum, illorum continentiâ in principio, vnde emanare oportet.

Hinc patet responsio ad fundamentum Suares. Falsum enim est omnipotentiam distingui ab intellectu, & voluntate, vt diuersum omnino atttibutum, quâ ratione intellectus à voluntate seiungitur. Differunt ergo ad summum muneribus inadæquatis, aut quibusdam connotationibus, quo genere distinctionis, Salmanticenses distinguunt immensitatem ab omnipotentiâ, vt est vis applicans, & locans Deum in creaturis, quas continuo conseruat.

Atque vt difficultas quâ fieri potest exhauriatur, obseruandus est hic diuinorum actuum ordo: primo scientia simplicis intelligentiæ voluntati obijcit rem faciendam, cuius deinde peragendæ rationem inquirendam intellectui præcipit voluntas, & ad opus admouet, quod vltimo absoluit intellectus. Atque hinc patet omnipotentiam ab intellectu non distingui, nisi vt connotat voluntatem, te ad opus mouentem. Quare commune habet omnipotentia cum intellectu obiectum, nempè diuinam essentiam, quatenus non solum est ratio cognoscendi, sed etiam volendi, & efficiendi creaturas, quas scientiâ simplicis intelligentiæ respicit, vt possibiles, scientiâ visionis vt productas aut producendas: quare prior scientia est rerum causa actu primo, & se habet vt ars opificis, antequam

voluntate ad opus admoueatur; scientia vero visionis, & libera, est causa rerum actu secundo.

Nec solum obiecto conueniunt scientia & omnipotentia, sed operationis etiam genere: quia Deus ad extra non agit nisi voluntatis, & intellectus operationibus, quæ formaliter insint Deo, virtute transeant, seu vim exerant in res extra se positas. Atque hoc differt Deus, quâ agens, ab agente creato, quòd istud agat actione formaliter transeunte in passum, & ab eo receptâ; vnde fit, agens creatum, si ab æterno existeret, & operaretur, habiturum ab æterno effectum, quia operatur actione transeunte, quæ ab effectu seiungi nequeat multis de causis, sed hoc maximè nomine, quod tota in effectum referatur, & ab eo pendeat, & suam inde sumat speciem: quare concipi nequit actio causæ creatæ ab effectu seiuncta. At secus est de Deo, cuius differentiæ ratio est, quod potentia comparetur ad actum secundum, vt illo perficiatur, ac proinde sit aliquâ ratione minor: si igitur Deus actione transeunte operaretur, esset quid inferius actu ad quem tendendum illi esset, vt quid innatâ sibi potentiâ actualius. Hoc vero absurdum vitari nequit, nisi admissâ differentia, quâ S. Doctor distinguit Deum à causa creata, quod actione immanenti agat ad extra, ac subinde ita suprà res emineat, vt licet ab æterno sit actio, effectus ponatur quo voluerit tempore & modo. Sed de hâc quæstione obiter sit dictum, alio loco accuratiùs tractandâ.

Ad hanc disputationem propiùs pertinent alia duo principia Aduersariorum; nempè obiectum prius esse scientia quâcumque & repugnare produci eadem, quâ videtur cognitione. Sed hæc fundamenta apertè pugnant contrà D. Thomam, D. Augustinum & D. Gregorium: & validè euertuntur Argumentis, quæ iam præmisimus, & SS. PP. expressis verbis. D. Gregorius lib. 2. cap. 23. *Nam ea quæ sunt, non ab æternitate eius videntur, quia sunt, sed ideo sunt quia videntur.* Et lib. 22. cap. 6. *Non existentia videndo creat: Existentia videndo continet,* & D. Augustini libri 13. Confessionum cap. vltimo. *Nos itaque ista quæ fecisti videmus, quia tua sunt: tu autem quia vides, ea sunt, & nos foris videmus, quia sunt; & intus quia bona sunt: tu autem vbi vidisti facta: ibi facienda vidisti.* Vide plura apud P. Gonet Disput. 3.

Art. 2. vbi valide refellitur Ruisij responsio.

A D. Thoma, non solum sunt expectanda testimonia, sed demonstrationes insinuatæ huius Articuli exordio. Efficacissima est quæ habetur quæst. prima de veritate de triplici scientiarum genere; & validissimè confirmatur exemplo processionis Verbi, quod negare nequeunt Aduersatii, eâdem cognitione produci, & videri. Quid ergo habet repugnantiæ, visionem rei visæ esse productiuam, cum id eluceat, in prima omnium cognitionum, & emanationum, cuius nos aliquam assequimur similitudinem? Nam præterquam quæ obijciuntur nobis entia rationis, eodem cognoscimus, quo producimus actu: idem contingit verbo mentis, quod productione cognoscitur, & cognitione producitur. Quid autem vetat ita fieri, vt oculus, aut mens, vim habeant à Deo, efficiendi lapides, eâdem quâ intuerentur operatione, instar productionis Verbi æterni, aut nostri mentalis.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Argumentum Fasoli, prius rem habere in se veritatem, quam sit à Deo intelligibilis, ab Arcturo refellitur, cui plura adduntur.

PRÆTER communia quæ extant apud omnes interpretes de hâc quæstione vulgari, accuratissimè præ ombus pro scientiâ mediâ à Fasolo, pro nostrâ scholâ ab Acturo (cuius Disputationes Vlyssipone legi) tractatur. Fasolus itaque pro suâ sententiâ vnico fundamento sic pugnat. Prius inquit ratione res habet esse in se, quam sit intelligibilis: Ergo prius futurum est, quam à Deo sciatur, & videatur. Antec. probat. Intelligibilitas, & veritas, quâ res fit scibilis, est passio entis: Ergo priùs est rem esse futuram, quam esse scitam à Deo, quia subiectum omne prius est sua passione. Vnde infert priùs à Deo, & ab eius scientiâ rem attingi vt effectum à causâ, quam repræsentetur vi cognitionis.

Respondet Acturus, Fasolum hoc Argumento, quod demonstrationem vocat, non aduertisse, toto genere distare scientiam creatam speculatiuam, à diuinâ practi-

cà rerum effectrice: & quæ assumit principia, valere de ptiori scientiâ, nullum habere locum cum de posteriori agimus. Quamuis enim ratio entis futuri, aut possibilis, supponatur ad rationem veri, quod debet attingi ab intellectu creato; tamen si comparetur ad mentem, aut scientiam diuinam, tantum abest passionem veri esse eius cognitione priorem, quin potiùs ipsa ratio possibilis, & futuri, sit ipsa Dei scientiâ posterior, à quâ metiendum est, & hauriendum quidquid habet veri & entis. Malè igitur & prepostere omninò deducitur, si ratio entis supponatur ad rationem veri, debere etiam preire scientiæ diuinæ. Vnde retorquetur Argumentum: non solum veritas, & intelligibilitas obiecti metiendę sunt à scientiâ diuinâ, sed etiam eius entitas, quę est subiectum veritatis, & à cognitione practicâ pendet quasi à causa formali, & efficiente: implicat igitur, quodcunque ens possibile, aut futurum, quâ ens, aut quâ verum, scientię diuinæ preire.

Et cum instat Fasolus, priùs esse rem futuram, aut possibilem, quam cognosci ab intellectu diuino; negari potest: sed placet Acturo distinguere, rem esse priùs possibilem, aut futuram, quam sit intelligibilis, id concedendum, si ordo prioris attendatur à re possibili ad veritatem cuius est passio: falsum vero est, si ordo referatur ad scientiam diuinam, quæ prior est non solum veritate, sed etiam rei entitate.

Instat Fasolus: Prius est in Deo ratio intelligibilis, quam actualis intellectionis: Ergo priùs est, rem creatam esse intelligibilem à Deo, quam intellectum. Negari potest Antecedens iuxta sententiam communiorem, quæ naturam Dei ipsâ intellectione constituit, ac proinde falsum est prius esse Deum intelligibilem quam intelligi: verum Acturo cui hæc scientia displicet, alia solutio tentanda fuit. Negat itaque consequentiam, si essentiam diuinam comparemus ad eius intellectum, ratione distinguenda sunt, esse intelligibile, & actu intellectum; & illud est prius isto: at secus est, inquit, de obiecto creato, cuius tota non solum veritas, sed entitas est actu cognosci, & commensurari cum intellectione diuinâ: quare si res creatas ad intellectum diuinum comparemus, non sunt prius cognoscibiles, quam cognitæ vt possibiles, cognitione necessariâ simplicis intelligentiæ: nec vt fu-

turæ, aut existentes, prius sunt cognoscibiles scientiâ libera, quam actu cognoscantur, esto possibile præeat scientię visionis, id tamen est omnino negandum de veritate futuri.

Hoc egregiè illustrat S. Doctor quæst. prima de veritate Art. 8. Cognitio creata tota est in assimilatione passiuâ, quæ supponat obiectum: at scientia diuina sita est in assimilatione actiuâ, quâ res ad se trahit sibique conformat. Vnde infert Deum habere scientiam non existentium; quia potest illa assimilare sibi: existentium vero docet causam esse scientiam liberam. Vnde quæst. 2. de veritas Art. 13. scientia Dei secundum quod ad opus ordinatur, quod facit voluntas, est existentium aliqua differentia temporis, futuri, aut præsentis. Et expressius in primo Dist. 39. Art. 1. ad 5. Deus potest non præscire creaturam scientiâ causante illam, id est, liberâ, quia si necessaria sit, non posset non præscire.

Hinc soluitur ab Acturo aliud Fasoli Argumentum. Eâ scientiâ Deus producit creaturas, quâ constituitur actu primo agens, cum eadem virtus quæ actum primum ponit, debeat in 2. prodire: Atqui scientiâ simplicis intelligentiæ Deus habet primum actum, seu potentiam ad creaturas producendas: Ergo ab illa, non à scientiâ visionis, debet prodire operatio, qua creatuæ fiunt: aliàs inquit, Fazolus, sicut nos distinguimus duplicem scientiam, vt rerum causam, ita etiam inducenda esset omnipotentiæ distinctio. Ad hoc Argumentum neganda est Maior: & potest confirmari exemplo. Si quid valeat Argumentum, efficeret quoad rationem efficiendi creaturas, distinguendam voluntatem liberam à necessariâ, & productionem creaturarum adscribendam esse, potiùs absolutæ voluntati quam liberæ. quare scientia rerum causa, saltem quoad actum secundum est scientia libera, quæ addito decreto, à scientiâ simplicis intelligentiæ, euadit in scientiam visionis, & à priore non distinguitur, nisi vt causa actu 2. à seipsâ in actu primo constituta. Et si attendamus vim agendi, non sunt diuersæ hæ scientiæ, nisi vt actus primus, & secundus, seu vt causa eiusque causalitas, aut secundum eiusdem causæ statum diuersum: sic ergo distinguntur qua causæ sunt.

Quâ vero cognitiones, expressior videtur esse distin-

ctio. Quare propria nomina exigunt, quia prior scientia terminatur ad creaturum possibilem, altera ad futuram, aut præsentem. Magis ergo differunt ratione cognitionis, quam effectionis. Hinc etiam fit magis esse necessariam, aut conuenientem, & idoneam duplicis scientiæ, quam omnipotentiæ distinctionem: quia omnipotentia respicit rem quamque producibilem, & perinde illi est, an futura sit, an possibilis tantum: ad cognitionem, autem refert multum rei cognitæ repræsentatio; & cum alia sit scientiæ necessariæ, alia liberæ, distinguendæ ad minus sunt ab illâ diuersâ ratione obiectorum, quamuis si principium attendatur, eadem sit omnino cognitio.

Hinc etiam facile soluitur Argumentum à comparatione artificis creati ad Deum rerum creatarum opificem: tribus enim differunt. Primo artificis creati potentia exequens est distincta ab intellectu, & voluntate: deinde cognitionis agentis creati duratio, nec operis durationi par est, aut superior, id est, nec illam æquat, aut illam ambit: 3. cognitio operatiua est artefacti dum fit tantum, vbi absolutum est, cognitio artificis inutilis est, aut speculatiua, nec eâ cessante desinit artefactum. His omnibus differt Deus ab artifice creato, solo intellectu admoto à voluntate, ad extra agit cognitione æternâ, quæ proinde ambiat durationem creaturarum quas efficit, aut conseruat perpetuo: ac proinde potest dum fiunt, efficere, & seruare quamdiu durant.

Hinc expendere licet, quæ de hâc quæstione graui habentur Disput. 2. à Numero 22. ad 37. vsque: licet enim hâc Disputatione plura, & diuersa attigerimus, omnia tamen continentur primo quod posuimus fundamento, de cognitione creaturarum, ad quam præter lumen Dei infinitum, & rem extrinsecam secundum esse obiectiuum, probauimus contra Vasquez ex communi ratione intellectionis, requiri medium aliquod intellectui intimum quod vim habeat rei intelligibilis, eiusque vicem supleat: quod medium non desiderari, vbique supponitur, nullibi probatur: vel si omnino superfluum non censetur, certè nullo loco inquiritur, aut statuitur. Quare non potest euitari, quin obiectum sit vera causa cognitionis, nisi intelligens à se ipso, huiusmodi medium præhabeat, quamlibet infinito polleat lumine: sanè de huiusmodi

medio non fuit omnino prætermittenda Disputatio, aut saltem commemoratio, vt constaret de illo quæ sententia sederet, quâ tacitâ, aut omissâ, plurium manca est omnino hæc Disputatio, quamuis accurata, & absoluta aliunde.

Nec verum est, quod monetur præ oculis habendum; non magis pertinere ad vim intellectiuam suum obiectum efficere, quam ad potèntiam effectiuam suum opus intelligere. Esto hoc valeat de huiusmodi difficultatibus generatim; tamen omnino est falsum, si eidem facultati conueniat intelligere, & efficere: hoc autem singulare esse diuino intellectui, mens est D. Thomæ, eius Argumentis à nobis confirmata.

Quod tertio loco eodem Paragrapho vrgetur Argumentum ex SS. Patribus, assignantibus vt causam, res sciri à Deo, quod futuræ sint, non futuras esse quod sciantur: aduersus 4. aut 5. exceptiones Anonymi multis modis solui potest: nam verum est quod dicit 1. Anonymus, multis locis allatis, SS. Patres de futuris per Prophetas prænunciatis magis agere, quam de præscitis à Deo: & verissimum esse Prophetias posteriores esse rebus vt futuris, nihilque obesse illarum libertati, & contingentiæ. His vero locis quibus expressè agunt de præscientia, defendi potest altera expositio, quamuis cæteris deterior, si dicatur Patres populariter locutos, declarare solum velle præscientiam diuinam nihil nostram libertatem lædere: duplex enim est methodus popularis: vna ad fucum, & fraudem comparata; altera quidem & sincera, sed quæ difficultatem rei magis eleuet ad captum, & solatium imperitorum, quam exhauriat ad sensum, & gustum peritorum.

Ex triplici vero capite oriri potest, præscientiam diuinam nihil nocere libertati. Primo si omnino concedamus, quod Aduersarij contendunt, ex mente SS. Patrum res creatas prius futuras, quam à Deo sciantur: & hac negamus solum SS. Patres viâ libertatem nostram fuisse tutatos; sed alias duas innuisse certiores. Primo negarunt rem futuras esse, quod sciantur à Deo quacunque cognitione, maximè necessariâ & simplicis intelligentiæ, quia inde libertas perimeretur: id vero minime timendum est, si proficiscantur à scientia diuina libera, vt

causa dirigente, quod vltro concedunt Aduersarij etiam de scientia simplicis intelligentiæ: cur ergo id negandum est de scientiâ liberâ visionis, quæ cum sit vniuersalissima, & efficacissima, infert actum infallibiliter suæ causæ conuenientem, liberum, & necessarium ex suppositione tantum; qualis necessitas competit contingentibus, & liberis, cum existunt.

Hinc fit, D. Thomam sæpius hanc difficultatem de concordia liberorum cum præscientiâ diuinâ, illustrare exemplo rerum præsentium; tum quod non aliam inferat necessitatem efficientia diuinæ scientiæ: tum quod suâ duratione æterna ambiat differentias temporis, quibus extituræ sunt res scitæ. Adde S. Doctorem non admittere hanc consecutionem, res futuras esse, quod fore sciantur à Deo; nisi interpretemur de scientia liberâ, vt habet adiunctum decretum; à quo fit scientia approbationis, & ideam propriam obiecti futuri. Hinc negat illam consecutionem: peccata futura, quod sciantur à Deo; quia deest vtraque conditio ad bonitatem huius illationis necessaria.

Hinc etiam constat, conuenienter D. Thomam, & SS. PP. ad explicandam & seruandam libertatem, negasse aliquando, res futuras esse ex Dei scientia, nempe necessaria; & adhibuisse exempla rerum præsentium, quod non alia necessitate, nisi infallibilitatis, qualem nanciscuntur ex sui præsentia, res liberæ à Deo proficiscantur. Quare licet illud exemplum cum re subiecta non pugnet omnino, non tamen satis habet similitudinis, vt possint res præsentes ad hanc controuersiam adhiberi nisi quâdam methodo, vt dicebat Anonymus populari, non exacta, quæ omnem difficultatem tollat; sed hac saltem parte exemplum conuenit cum re subiecta, quod quæcumque necessitas, si quæ sit, siue à præsentia, siue à præscientia, sit suppositionis. Eâ de causa, citrà fraudem liberum fuit SS. PP. eâ comparatione vti: maxime si his addas; res futuras Dei scientiæ præsentes esse, & huius existentiæ beneficio posse conciliari; non tamen eo sensu, quo Aduersarij volunt, Deum ex euentu solo addiscere rem futuram, quod scire non posset à se ipso, nec in causis, tum enim reuera Deum nobis similem faceremus, quasi ab euentu penderet.

Hæc

Hæc in anteceſſum dicta ſint de mente SS. PP. in hac controuerſia quam expendendam ſuſcepimus ſecunda Parte huius Diſputationis, vbi fuſius reſpondebimus ad interpretationem D. Auguſtini, D. Gregorij, & D. Thomæ. Nam præter quod, ex loco quaſi argumentoſo neceſſario deducitur; D. Auguſtinum & D. Thomam, non poſſe aliam futura cognoſcendi rationem admittere, quam quæ ex decreto habetur; quod vnum agnoſcant creaturas cognoſcendi medium in eſſentia cognita: quis non videat primo interpretationem verborum D. Gregorij minus ſolidam eſſe, quæ habetur Numero 30. quaſi eâdem ſcientia viſionis nequeat videndo creare non exiſtentia, ſicut exiſtentia videndo continere? Non quidem vt in nihilo ſunt, ſed eo momento quo extrahuntur è nihilo. Quod ad D. Thomam pertinet tot & tanta nedum teſtimonia, ſed etiam Argumenta ex illo collegimus, quibus perpetua, & indubitata eius mens, hac de re conſtat, vt non poſſint eleuari, iis quæ ex illo afferuntur, de futurorum certâ cognitione ex præſentia æternitatis, cuius ſenſum iam præmiſimus, ne hic diutius hæreremus, quaſi D. Thomas à ſe ipſo diſſentiret.

Vnum tantum addo ad ſuperiorum confirmandam fidem, D. Thomam ita velle ſcientiæ diuinæ veritatem abſolutam eſſe à rebus creatis; vt quæſtionis 14. art. 15. diſtinguat reſpectus rationis Dei volentis, & ſcientis, à relatione dominii: vt iſtarum dicat repeti fundamentum à mutatione creaturæ, illas vero relationes nulla ratione à creatura pendere. Quid de ipſa Dei ſcientia credendus eſt ſentire, qui ipſas relationes rationis inde conſecutas abſoluit à creaturarum dependentia?

SECTIO SECVNDA.

Examen ſcientiæ mediæ ex Patrum, & Scripturæ teſtimoniis.

HÆc eſt altera noſtræ Diſputationis pars ſuperiore ſin breuior, certe clarior futura. Id enim compendij reportamus, ex longiore principiorum ſcientiæ mediæ

discussione : vt citrà vllum dispendium , omnino prætermitti , aut certè perstringi possint, reliquæ quæ supersunt probationes , ab auctoritate , tum sacrâ tum humanâ , & ab Argumentis à posteriori. Diuersam enim methodum, ab eâ quam secuti sunt Aduersarii iniuimus. Illi quidem principiis scientiæ mediæ tradendis , iaciendisque fundamentis , breuissimi sunt , ac penè nulli : in consectariis, aut testimoniis prolixissimi. Prudenter quidem,& more ab omnibus recepto : nam toti sumus in ostentandis, quæ præsidio , & ornamento , aut occultandis quæ dedecori, aut noxæ esse possent. At scientiæ mediæ à principiis communibus plus periculi imminet , quam sit spes adiumenti : ideo summa arte tacentur omninò , aut breui , & obiter attinguntur , quasi ad rem nihil pertineant.

Theologi etiam nostri eorum consiliis , minus quam par sit obsistunt ; & quasi quæ illis comperta sunt , alii negare , aut dissimulare nequeant , principia communia scientiæ diuinæ , stare contra scientiam mediam ; contenti alio loco huiusmodi fundamenta posuisse, vix attingunt, aut certè non satis vrgent , cum peruentum est ad controuersiam. Cautiùs hac in re actum est à Salmanticensibus , qui totâ Disputatione 12. scientiam mediam impugnant variis rationibus, quas strictim attingunt notatis locis , quibus principia statuerunt , vnde eruuntur Argumenta,quibus nihil vidi responsum : nec tamen erat dissimulandum:sed ne huiusmodi silentio,aut vlli dubitationi locus sit , quidquid ad scientiæ mediæ defensionem, aut ruinam conferre potest , altiùs repetiuimus, fusiúsque sumus prosecuti: vndè licebit nobis aliis partibus esse breuiores,citra causæ noxam. Quod enim ex Scripturâ ; & Patribus afferri solet ab Aduersariis , cui non sit in promptu responsio ? Et quæ Argumenta depromuntur , à nostris non fuerunt insinuata ? Paucis tamen omnia decurram , cum ne videar silentio difficultates fugere : tum vt ex superioribus adiungam plura , reconditæ eruditionis omissa , aut breuiùs explicata.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ex Scripturâ Sacrâ colligi possit de scientia media.

CVM vna Scripturæ authoritate omnes Theologiæ controuersiæ contineantur, & dirimendæ sint; nihil mirum si in hâc disputatione grauissimâ, in eo sibi vindicando patrocinio, totis viribus contendentium quique hinc & indè nitantur. Hoc præmittendum censeo, duo disputari, primùm an detur vlla futuri cuiusque conditionati, certa notitia: deinde an illa habeatur ante omne decretum, ex aliqua suppositione futuræ determinationis causarum, pro sibi ingenitâ libertate, concursu Dei non denegato. Vtriusque disputationis causam præbent, quæ in Scripturâ leguntur à Deo factæ reuelationes de futuris, appositâ aliqua conditione, quæ cum defutura sit, nunquam existent. Inde duplex nascitur controuersia: prima, an ex huiusmodi reuelationibus, euincatur certam fuisse, certóque scitam à Deo huiusmodi rerum, quæ reuelantur futuræ, veritatem: deinde si hoc primum admittamus, quod nonnulli negant, grauior indè emergit disputatio, vndénam aduenial futuris liberis, huiusmodi determinata veritas; cum à seipsis minimè habere videantur.

Vt paucis de vtroque capite sensum meum aperiam, fusius toto Articulo confirmandum; dico verbis expressis nihil horum Scripturam statuere, sed tantum consecutionibus ex illa hactenus fuisse rem agitatam. Quo verò successu? Eo sanè, vt saluâ fide Curiel, Typhanus, & alij negent, certam huiusmodi futuris constare veritatem; licet sic probabilius sentiam cum Thomistis & recentioribus. Quod ad aliud caput spectat, vndè huiusmodi repetenda sit veritas, dico id ex Scripturæ Sacræ verbis expressis non esse compertum: si tamen Argumentis ex tenore verborum deductis disputemus, nullâ verisimili ratione, huiusmodi futuris astrui veritatem certam, semoto decreto actuali. Paucis vtrumque experiamur.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

An ex Scriptura Sacra necessario, habeatur futuris quæ à Deo sciuntur sub conditione reuelata, certam inesse veritatem à Deo scitam.

NON dissentimus ab Aduersariis hâc in re: conuenimus veritatem certam inesse huiusmodi futuris, quæ extant Scripturæ verbis reuelata: tantum discordes esse possumus, hâc re, quo gradu vera sit assertio: si eâdem fide veritatem illis velint inesse, quâ certum est aliquam huiusmodi reuelationem factam. Nam vt aduertit Anonymus, seu Typhanus ex Societate Theologus, latum est discrimen, inter diuinam scientiam, & reuelationem externam: id enim verum est, dum Deus nobiscum hypotheticè loquitur, dum reuelat, non tamen hypotheticè certò rei reuelatæ assentiri: nec verum est quod Disput. secundæ, cap. 3. additur non solum negare Anonymum, hoc suo monito, Deum eo modo cognoscere quo loquitur, sed rem illam cognoscere, quam loquitur; quia certissime agnoscit quidquid de illa efferri & sciri potest: videt autem semoto decreto, rem in causis secundis probabiliter futuram in se nullam, & nihil esse; & ex illa probabilitate, quam Deus certo, non probabili assensu consequitur, vt sæpiùs explicatum est Disput. secunda & tertia, potest denuntiari periculum, ex causis secundis imminens iis quos monet, & qui ex se scisitantur, quid facto opus sit.

Atque vt paucis plurima quæ eodem capite obijciuntur, validè refellamus; duo diligenter annotanda sunt: primò, sicut omnipotentiæ nihil derrahitur, cum negas à Deo effici posse, quod fieri repugnat; ita scientiæ diuinæ nulla fit iniuria, aut imminutio, si dicas, id non attingere, cui certa veritas desit. At vero multis probatum est, futuris conditionatis, non magis ante decretum sibi conueniens, quam futuris absolutis ante simile decretum, certo scibilem aut scitam à Deo, competere veritatem: quare quidquid ante decreta actualia de huiusmodi futuris

fingamus, vel nihil certi habent, vel si quod illis conueniat, à scientia simplicis intelligentiæ attingitur.

Huic obseruationi alteram ex disputationibus citatis repeto summè necessariam. Cum propositionum hypotheticarum, & argumentationum vnus sit scopus, vt bonitate illationis deducatur mens ad rei illatæ assensum: hinc consequitur tres, aut quatuor cognitionum gradus distinguendos, pro vario assensu illationis, & rei illatæ. Si contingat euidenter bonitatem illationis, & rei deductæ veritatem attingi, assensus præstitus est necessarius ac scientificus. Ab hoc supremo gradu cognitionis summè distat secundus, quo illatio, & res illata probabiliter agnoscitur, & de vtroque iudicium prodit formidolosum. Inter hos duos gradus extremos, duo medij sunt constituendi, quorum vno fit assensus certus, & euidens probabilitatis illationis, & rei deductæ formidolosus, vel nullus; quia cohibetur à re probabili assensus metu erroris: atque huius postremi gradus, aut generis iudicium de rebus liberis, & contingentibus demonstratum est eo loci, Deo conuenire. Hoc enim aliud nihil est, quam nosse euidenter vim rebus insitam, quâ propellant ad sui assensum errori obnoxium, quæ in Deum non possit agere. Sed quid prohibet ex illa certissima notitia probabilitatis, reuelare huiusmodi probabilia hominibus, in quorum mentes vim suam possint exercere, ingenerare opiniones, quibus ducantur, & sibi à periculis caueant?

His duabus obseruationibus munitis, facile est iudicare de his quæ toto capite traduntur: & si quid sententiæ quam propugnamus obsit, soluere & refellere. Primum quod refertur ex Iulio Pacio, propositiones hypotheticas, non conficere syllogismos; verissimum est si interpretemur de quarto gradu à nobis constituto, cum cognitâ euidenter probabilitate illationis, assensus cohibetur à re illatâ, quod non sit compertæ, & euidentis veritatis, ac subinde assensus nequeat præberi citrà periculum erroris, qui omnino Deo repugnat.

Hinc facile est interpretari omnia Scripturæ loca, quibus Deus homines monet de rebus conditionatè futuris, non certò, & infallibiliter, sed probabiliùs inspectâ causarum propensione. Licet enim Deo repugnet, co-

gnita euidenter, probabilitate illationis, rei illatæ assentiri; quid vetat illa reuelare hominibus in periculo constitutis, imò illos ad opinionem, & metum malorum quæ imminent inducere, vt sibi caueant, & consulant? Et hæc solutio satisfacit omnibus fere locis ex Scripturâ pro scientiâ mediâ.

Potest alia singularis responsio desumi ex tertio gradu, ad locum Matthæi 11. de Tyriorum conuersione, hæc dicta à Christo, quâ homine, ex cognitione euidenti illationis probabilis, & illatæ conuersionis morali, & probabili; quæ licet Christo quâ Deo omninò repugnet, non videtur quâ hominem dedecere: & ex illâ fuisse locutum.

Hæc omnia confirmat egregiè S. Doctor 2.2. quæst. 71. art. 6. ad 2. vbi ait, diuinam præscientiam futurorum, illa respicere, primò, vt in seipsis sunt præsentia æternitati: deinde vt referuntur ad existentiam, secundum ordinem causarum. Primo respectu determinata sunt, non altero: sed vtrumque præscientia diuina coniungit, quam tamen Prophetia non assequitur: quia inquit, S. Doctor impressio agentis non adæquat eius virtutem; vnde fit vt interdum Prophetia, quæ est impressio diuinæ scientiæ, illam imitetur vt respicit futura in seipsis, atque ita certò eueniunt quæ reuelat, vt illud Esaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet*: aliquando Prophetia est impressio diuinæ scientiæ, vt respicit inclinationem causarum secundarum ad effectum, & tum potest aliud euenire, quam quod reuelatum est, licet non subsit falsum Prophetiæ, quia sensus est, quod ea sit inferiorum causarum siue naturalium siue liberarum dispositio: atque ita interpretari oportet illud Esaiæ ad Ezechiam, *Morieris tu, & non viues*. Atque hoc sensu explicare licet omnia futura conditionata, quæ à Scripturâ prædicuntur, non certitudine Metaphysicâ, sed morali, consentaneâ causarum inclinationi; quæ cum effectu futuro connexionem habent, non tamen infallibilem: & ideo particula, forte interdum apponitur, quasi innuens rem non omninò certam.

Ex his facilè est occurrere Argumentis, quæ aliquâ ratione huic assertioni aduersantur, quale est illud Numero 49. ex reuelatione colligi necessariò scientiam rei quæ reuelatur, quia reuelans non nescit quid dicat. Sed iam ex D. Thomâ insinuatum est, reuelationem interdum signi-

ficare causarum secundarum inclinationem ad futurum effectum, non ipsius coexistentiam in æternitate: vnde sumenda est omninò infallibilis veritas. Adde ad reuelationem satis esse euidentem notitiam probabilitatis, seu rei probabilis, cuius opinationis assensus repugnet Deo reuelanti, non illi, cui fit reuelatio.

Quod additur Num. 50. propositiones de futuro contingenti esse conformes rei, ac proinde veras: responsum est ex Nazario, habere conformitatem, & veritatem fallibilem. Aliud enim est, non competere rei contingenti, & liberæ, esse futuram, aliud competere non esse futuram, quod à decreto habet: illud vero est negatiuum, istud affirmatiuum, & necessarium ad infallibilem cognitionem, & veritatem, quod cum desit omnibus contingentibus, & liberis, ante decretum Dei, aut illorum præsentiam in æternitate, hinc fit non posse certo sciri à Deo, nec reuelationes quæ exstant in Scriptura, significare hiusmodi infallibilem veritatem, sed tantum causarum inferiorum, ad ponenda huiusmodi futura propensionem: vnde soluuntur quæ Numero 50. 51. & 52. habent aliquid difficultatis.

Vno verbo ad totum Caput Respondeo in gratiam Tiphanij illum non negare in totum scientiam quamcunque conditionatam, sed quæ anteceserit rerum absolutè futurarum præscientiam, quasi has scire non potuerit, nisi priùs exploraset, quid futurum esset hypothetice: quod iam monui, & pluries inculcandum est, vt agnoscamus totum ex scientia media Ecclesiæ comparatum præsidium, hoc ordine contineri; vt priùs sit verum & scitum à Deo; hypotheticum esset, quàm simplex erit, nec istud scibile à Deo nisi illud ante consuluerit. Hinc etiam constat expostulationem Ioannis à Sancto Thoma, Disputatione 2. Art. primo, cui respondetur Disput. 3. Cap. 1. æquissimam esse contra Alarcon, aliosque Authores, quod in vulgus scriptis suis sparserint, Thomistas antiquos denegasse Deo scientiam huiusmodi futurorum, Recentiores vero vi suorum Argumentorum conuictos, illam concessisse, confugisse autem paucis ab hinc annis, ad illud asylum de decretis conditionatis, in quibus Deus futura illa certò attingat, contra quæ addit Ioannes à Sancto Thoma, infœliciter pugnasse Suares, Ruiz, aliosque Societatis Au-

thores, anxiè deplorare Alarcon, quod in eandem sententiam conspirent nobiscum, & solo loquendi modo dissentiant. Quare triumphi palmam defert vni Vasques, qui nullo decreto conditionato actu admisso, mediam scientiam sustinuit.

Ad hæc Disputationis 3. Cap. primo, pluribus respondetur, ita tamen vt manifestum sit, quod ante nos obseruatum est à nonnullis, Authorem profundæ esse calliditatis, & sæpe argutiis agere, quæ magis resipiant Sophismata, quam legitimas Argumentationes, & huic expostulationi Ioannis à Sancto Thoma ita respondetur, vt omnia ad causæ commodum inuertantur, magis quam aliqua bonæ fidei cura refellantur. Tacetur enim, aut dissimulatur, omnium ad vnum, tum Recentiorum, tum Antiquorum Thomistarum consensus, quoad principia communia capitaliter aduersa scientiæ mediæ; nullam à Deo haberi posse cuiuscunque futuri certam cognitionem ante decretum aliquod actuale. Hoc solum differre videntur, quod nonnulli decreto addendam putent coexistentiam futurorum in æternitate, & huius sententiæ est Capreolus: alij ex Recentioribus, è quorum numero Dominicanum vnum noui Ledesmam, & Corneio, & Curiel, negant huiusmodi decreta conditionata, nisi admodum pauca, forte de quibusdam futuris, quæ reuelantur in Scripturâ. Alij nolunt Deum suspensum, & ob libertatis actualissimæ infinitam perfectionem censent de quibuscumque futurorum combinationibus decreta conditionata habere.

Sed quid istæ dissensiones minutæ nostrorum, iuuant causam scientiæ mediæ, vt admissâ conditionatorum scientiâ, non sensu Molinæ, sed nostro, id est, fulra decretis, triumphum canant Aduersarij, rem confectam putent, quod controuersia ad hoc vnum caput sit reuocata, an dentur prædefinitiones huiusmodi futurorum? Vnde colligunt sine causa turbatum esse in Hispania dum hæc quæstio moueri cœpit, & Molinam ex hoc capite iniquam vexationem passum esse, si non erat alterius criminis reus, quam quod negaret esse prædefinitiones huiusmodi conditionatorum, quas Thomistarum multi negant. Vnde subinferunt 2. totâ controuersiâ, ad huiusmodi prædefinitiones reuocatâ, suis Authoribus incumbere eas proban-

di onus, se suo satisfacere officio, si nostris Argumentis respondeant, sed gratias nobis habendas putant, quod nostrâ confessione eâ se laboris parte, quæ ad hoc probandum necessaria videbatur, leuatos voluerimus: vnde sibi sufficere, si nostras pro huiusmodi definitionibus Argumentationes soluere commode possint: quod est munus, eorum qui negant in omni Disputatione.

His duobus consectariis, eorumque fundamento, alia duo adstruuntur, quæ stare, aut euerti necesse est pro sorte superiorum: in hac autem totâ dissertatione sinceritatem desidero; non solum quod non bonâ fide relatæ sint Thomistarum sententiæ; sed quod vno capite tota controuersia, quæ latissimè patet, contineri velit. Esto non dentur prædefinitiones, nonne his sublatis, statuendum est aliquod medium cognoscenti intimum, quo futura possint attingi? Illud vero hactenus frustra quęsitum sublatis decretis, totâ sectione superiore demonstratum est. Id forte sufficiat ad stabiliendam futurorum cognitionem, prædefinitiones sustulisse; quibus hoc vnum studium est, aliena refutare, & sua probare nunquam: sed iis qui de re Christiana benè mereri student, duplex incumbit labor, nempè refellendi falsi, & veri confirmandi; & neuter est dissimulandus, aut fugiendus, nisi forte iis, qui diffidant, se neutrum posse consequi. Hinc factum est vt nulla exstet, aut tentata sit probatio huius articuli, hypothetica priùs vera esse absolutis, & totam ab illis ad ista deriuari veritatem; & ante vel saltem post euersas prædefinitiones, probanda erant hæc capita, vnde prius necessariò est explorandum Deo, quid veri habeat esset hypotheticum, quam illi constare possit erit absolutum.

Miror discussa adeò diligenter expostulatione Ioannis à Sancto Thoma, prætermissam, nec vllo verbo excusatam lamentationem Alarcon, & comparationem ab illo initam Vasques cum Suare, quoad impugnatas prædefinitiones, quod infauste Suares, fœlicius ait successisse Vasques. Sed quem tandem habuit exitum Disputatio à Vasque suscepta? In id omnes eius conatus reciderunt, vt decretum Dei in ens rationis resoluat; totamque eius causalitatem in hunc circulum nugatorium: *Res est futura, quia Deus vult: & ita Deo placet, quia futura est*: cum eius productione temporaria constet præter ens rationis

decretum diuinum. Si ea Vasques contra nos impugnatio, felicem, Alarcon eius discipulo, visa est habere exitum; quod tandem futurum est Suaris infortunium, quem præ Vasque hoc bello infœlicem prædicat? Hinc forte accidit vt horum casu alij cautiores facti, negent impugnandos Thomistas, sed eorum tantum impetum sustinendum sibi assumant.

Ad reliqua quæ superioribus addduntur, nihil attinet respondere: neque enim verum est, Molinam ob solas prædefinitiones damnatas, fuisse accusatum; sed quod gloriaretur à se inuentam scientiam D. Augustino, & aliis Patribus ignotam, ex supercomprehensione causarum; vel vt alij, ex solo euentu, aut lege contradictoriarum: & alia id genus singularia, quæ sublatis prædefinitionibus sufficiebant Recentiores, & quæ illis probanda erant, ne viderentur Christianam veritatem deserere, aut præbere ridendam hæreticis, maximè Soncianis omnium pestilentissimis, qui futurorum certam Deo notitiam negant, quod non magis ipsis satisfaciat supercomprehensio Molinæ, lex contradictoria Suaris, nec satisfactura sit, hypothesis futuritionis ex euentu, quam prædefinitiones Thomistarum.

Quid ergo fiet Religioni, si conuulsis nostris fundamentis, sua non probent Aduersarij, nisi vnâ asseueratione, vel solutione negatiuâ Argumentorum, vel probationibus in speciem positiuis, quæ vna constent petitione principij perpetuâ, qualis est Molinæ, futura hypothetica cognosci in causis secundis, quod illas Deus super comprehendat; quid verò id sit supercomprehensionis nomen; verè incomprehensum est, nec ab ipso, aut eius discipulorum vllo, hactenus explicatum. Nihilo meliores sunt eius discipulorum probationes, pro opinione communi; nisi quod vitio petitionis principij, addatur aliud fortè grauius; nempe scientiæ mediæ ruina: nam cum ad hoc excogitata fuerit, vt conditionatorum notitia præluceret præscientiæ absolutorum; id est, prius illa, quam ista vera essent, & scirentur; tamen adeo infœliciter quæsita est conditionatorum veritas, à contradictoriarum de futuris lege, aut à suppositione euentus futuri ante omnem causæ determinationem, vt si huiusmodi principia de conditionatis obtineant, de absolutis perin-

de valere necesse sit, ac proinde aliquo etiam rationis, aut naturæ instanti, prælucere non posse scientiam mediam conditionatorum absolutorum præscientiæ. Certe qui rem Christianam eo deduxerunt, atque his appenderunt fundamentis, non videntur eius veritati, & auctoritati consuluisse, melius quam ij, qui prædefinitionibus eam fulciunt & sustentant.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

An Scriptura faueat scientiæ mediæ.

ADVERSARII totis viribus nituntur scientiam mediam ex Scripturâ deducere, quasi fide diuinâ credendam: sed multa obstant illorum conatibus, & consiliis: neque enim ad fidem pertinent quæcunque ex Sacrâ Scripturâ probantur, nisi vel expressis verbis ea tradat, vel illam communis Ecclesiæ traditio, ad eum sensum interpretetur. Sed ab vtrâque fidei regulâ longissimè abest scientia media: quo enim loco, etiam nomine tenus, illius Scripturam meminit? Aut quis SS. Patrum, & interpretum, ante hanc exortam controuersiam, suis in Scripturæ, commentariis, vel minimo verbo significauit? Multis sanè Argumentis longissimè repetitis opus est, scientię huiusmodi ex Scriptura trahendæ, & extundendæ: quare nihil ad fidem, sed à summum potest ad opiniones Theologiæ pertinere.

Scriptura expressis verbis reuelationes aliquot de futuris conditionatis refert: sed ex reuelationibus probatum est futurorum certam notitiam deduci non posse, maxime cum obiurgationes spectant potius quam futurorum notitiam huiusmodi reuelationes, & conciones magis quam Prophetias resipiunt, qualis est illa Iudæorum ex comparatione cum Tyriis reprehensio: neque enim ad maiorem exigenda est veri sermonis rigorem hæc increpatio, quam minæ Regi Ezechiæ denunciatæ ab Isaiâ, *morieris tu, & non viues*: quas fuisse veras ex causarum naturalium serie, ac propensione, non ex morte secutâ, certissimum est. Quid vetat, quin qui pœnitentiam Tyriorum, ex eodem capite, id est, ex minus pertinaci ad

malum voluntate Tyriorum denunciauerit, non ad euentum certò significandum, sed ad obiurgandam Iudæorum malitiam? Quare quod inde assumunt Aduersarij ex eo loco, aliisque similibus, inferri non minùs certam conditionatorum quam absolutorum notitiam, vel falsum est, vel ad summum probabile.

Si ex rebus eiusdem generis, nempe ex futuris, absolutè aut disparate conditionatis, liceat de huiusmodi liberis fallibili vinculo connexis statuere, aut coniicere, causâ cadent ex Scripturæ sententiâ, defensores scientiæ mediæ, suoque iudicio damnabuntur: quandoquidem ad cæterorum omnium certam notitiam, decreta præire volunt ex Scripturæ sensu; cur igitur singularem de huiusmodi futuris legem constituunt, quâ à decretis eximuntur, qua esset, prius quam erit verum, & istud ab illo pendere volunt? Et ne dicam necessariò, sed vix vllo verisimili Argumento nituntur: quin potiùs si hæc futura, ad reliqua de quibus Scripturæ agunt, vel omnia ad Scripturæ regulam exigantur, perit omnino scientia media.

De illo conditionate futuro, quod ad disparata pertinet, relato 4. Regum 13. non vna est Recentiorum sententia. Suarez existimat metiendum esse regulis aliorum futurorum: id est, veram esse alteram illius partem determinatam ante decretum vllum. Alarcon, & Arubal contrà, exigunt ad illius veritatem decretum aliquod actuale; quæ opinio defenditur Disputationis 2. Num. 57. quod scilicet eo loco, non tam significetur quid homo ex hypothesi liberè faceret, quod potissimum quæritur, quam quid faceret ipse Deus: cum sensus sit: *Si percussisses quinquies terram*, dedisset tibi Deus vires ad percutiendam Samariam vsque ad consummationem. Sed sententia Suarez magis consentanea est principiis scientiæ mediæ: nam præter quod, ante quodcumque instans rationis, verum esse oportet, & scibile, quidquid futurum, seu à Deo solo, seu à creatura coagente Deo, pendeat: nihil horum deest huius generis conditionato disparato, neque enim quæritur solum, quid Deus, sed etiam quid homo facturus sit: nempe, si percusserit septies, aut quinquies terram, sit hostes ad internecionem deleturus: Ergo vel illud, vel nullum futurum

conditionatum, ante decretum Dei erit determinatè verum, aut scitum.

Hæc dicta sint vt agnoscat Lector, quam infirma sint Aduersariorum Argumenta, quæ in gratiam scientiæ mediæ ex Scriptura depromunt; nam nisi fere gratis illis concedamus, dari certam, & Deo dignam huiusmodi conditionatorum scientiam; vix vllo legitimo Argumento id conficere possunt. Hoc tamen partim probato, partim concesso, sic argumentantur. Huiusmodi futura conditionata nequeunt nota esse Deo in decreto efficaci, & prædefiniente: Ergo sunt vera, & scita, ante decretum, vel ex supercomprehensione, vel ex lege, &c. Probant minorem: nisi Deus cognosceret futuram pœnitentiam Tyriorum, patratis apud ipsos miraculis, quæ apud se edita viderant Iudæi; vana fuisset increpatio istorum, præ Tyriorum malitâ: quia non deerat illis iusta excusatio pœnitentiæ dilatæ, aut repulsæ, quod scilicet illis desit efficax decretum omnino necessarium ad pœnitentiam agendam.

Confirmatur: comparatiua increpatio iusta esse nequit, nisi sit æqualitas: aliàs iniustè increparetur seruus vnus præ alio, qui mille aureis receptis, totidem fuerit lucratus, cum ille centum comparauerit, quia plura non receperat. Maior autem est inæqualitas, orta ex efficaci decreto; quam quæ nasci posset ex dispari pecuniarum summâ: quia fieri potest vt qui centum nummos receperit, sua industria lucretur plura centena; nunquam autem potest contingere, imo repugnat, vt cui defuerit efficax prædefinitio ad pœnitentiam, à peccatis resurgat; sicut cui affuerit, non potest illum suorum peccatorum non pœnitere.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Solutio Argumenti ex comparatione Iudæorum cum Tyriis.

NON est dubium quin illud Argumentum sit ex totâ Theologiâ difficillimum: sed quatuor nobis suppetunt grauissima, quibus eleuetur, eaque paucis perstringam; Respondeo itaque primo eamdem difficultatem

sibi obiecisse D. Paulum ad Roman. 9. & ex illo D. Augustinum & D. Prosperum. Nam cum statuisset hanc veritatem: *Ergo cuius vult Deus miseretur, & quem vult, indurat:* statim obijcit sibi, quod ex Aduersariis retulimus: *dicis itaque mihi, quid adhuc quaritur?* Et respondet *Voluntati enim eius quis resistit? ô homo! tu quis es qui respondeas Deo.* Vis obiectionis eadem prorsus est, cum relata ex defensoribus scientiæ mediæ, sed paucioribus verbis comprehensa. *Itaque dicis mihi quid adhuc quaritur?* Quorum sensus est, inique arguor quod non resipuerim, & abiecerim peccatum: hoc enim mihi imputandum non est, cui defuit gratia efficax, citrà quam impossibile est meam vitam corrigam, & in Deum referam.

En tota ratio iniustæ querimoniæ; quasi reprehendi nequeat peccator in malo pertinax, cui denegata sit gratia naturâ suâ efficax: & tùm tantum iusta sit expostulatio, cum omnibus confertur gratia communis sufficiens, quam quisque ex innata libertate reddat efficacem, aut inefficacem. quid vero D. Paulus ad hanc difficultatē? Non dignatus soluere, sicarguentem reprehendit, *ô homo! tu quis es qui respondeas Deo?* Quasi deterreret à tanta profunditate scrutanda, quæ tamen modica, ac fere nulla esset, si reuocari posset ad voluntatis humanæ consensum præuisum, aut dissensum. Vnde desumitur grauissimum Argumentum contrà scientiam mediam: vel latuit Paulum discrimen gratiæ faciendum ante omne decretum Dei, ex præuisione consensus; vel illud Mysterium illi innotuit, sed tacuit sola admiratione contentus, quasi impenetrabile, vt inquit D. Prosper 1. de vocatione gentium cap. 25. confessus hanc quæstionem, nec per liberi arbitrij velle, aut nolle soluendam: vel reuera ita solui posse existimauit. Si duo priora velis; suspecta imò damnanda est ea Theologia, quam D. Paulus ignorauit: si postremum asseras; reum illum peragis, detentæ & oppressæ veritatis, & preuaricationis causæ Dei, quam cum vno verbo tutari posset aduersus impios, passus est in graue scandalum incurrere. Eiusdem criminis conscios habebit D. Augustinum & D. Prosperum, quorum hic primus toto libro de correptione & gratiâ, docet cur corripiendi sint peccatores, si à gratia Dei donari debeat ipsis, vt resipiscant.

Huic primæ responsioni addo secundam: rationem humanam, dum altiora se quærit, per prærupta incedere, & in eos se induere laqueos, quos aliis instruit. Quare hoc Argumentum Aduersariis omnino soluendum est. Quamuis enim doceant Iudæos, & Tyrios, pari Physicè gratia fuisse præuentos, non tamen negant, longè disparesmoraliter, & ratione beneficij: quia Tyriis erat conferenda, consentanea eorum ingenio, & corporis, atque animi affectibus, vt ex Vasque, vel ex Suare, ea temporis differentiâ, eoque rerum ordine erat impertienda, vt infallibiliter consensus voluntatis sequeretur. At contrà Iudæis exhibita fuit, nulla temporum, affectuum, habitâ ratione, & iis circumstantiis, quibus præuidebantur dissensuri. Si ergo iniustam reputant increpationem vnius præ alio, qui non sit par auxiliis & beneficiis gratiæ, inique reprehenduntur Iudæi exemplo Tyriorum, cum isti gratiam congruam, alij incongruam essent recepturi.

Si dicas iuste reprehensos Iudæos, non solùm quod ex maiori malitiâ repulerint gratiam oblatam; sed quod illis nihil defuerit eorum, quæ necessaria erant ad posse; nec aliunde Deum debere captare eas tantùm occasiones, quibus præuidebat consensuros, nec in illis collocare vnquam quibus non erant consensuri: quia gubernator vniuersalissimus vbi muniuit singulos facultate ad agendum necessaria, ad arbitrium ipsius pertinet, finis tamen honesti causa, congruas quibusdam seligere occasiones, vt de istis melius mereatur, quam de his quibus auxilia dat sufficientia quidem, sed incongrua, id est, in actum secundum non proditura.

Quod illi ad suæ sententiæ defensionem, & diuinæ prouidentiæ causam afferunt, licet nobis vsurpare: & iisdem aut similibus responsionibus Argumentum contrà nos instructum infringere: & hoc est tertium quod promisi me præstiturum. Atque ad id ex Salmanticensibus, & Ioanne à S. Thoma, tria obseruanda sunt, primum vt iusta sit delinquentis increpatio, tria necessaria esse: primò vt instet aliquod officium, quod debeat, & quod possit implere, re tamen non impleat: vnde inferunt ad iustam obiurgationem minimè requiri decretum efficax, quod tertiam conditionem tollit ad obiurgationem, & ponit ne-

cessariam : quia infert libere, & infallibiliter rem faciendam & implendam. Non poterant ergo Iudæi obtendere iustam suæ pertinaciæ, & malitiæ excusationem ; cum illis tria suppeterent, ad hoc requisita : nec decretum efficax tollebat potentiam antecedentem, quamuis non poneret consequentem, id est, cum actu coniunctam.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Altera eiusdem Argumenti solutio.

ALTERVM quod ad Argumenti solutionem addendum occurrit, maximi momenti est, auxilium efficax à sufficienti distingui quidem, non sicut videntur insinuare Ioannes à Sancto Thoma, & alij, quod efficax tantùm actum respiciat, sufficiens vero potentiam, id est actum primum : licet enim aliquo sensu verum sit, videtur tamen commodius, si illorum distinctionem, eâdem ratione explicemus, qua animæ rationalis à gradu sensitiuæ, & vegetatiuæ ; vel numeri superioris ab inferiori ; vt non se mutuo excludant, sed comparentur sicut incluſum ad includens, totum ad partem : quia sicut anima rationalis exercet munus vegetatiuæ & sensitiuæ, additque rationis vsum, & facultatem ; ita mihi videtur comparanda gratia efficax cum sufficienti, vt præter potentiam, istius actum secundum inferat certo & infallibiliter : quod præter exemplum gratiæ congruæ, & incongruæ Aduersariorum, potest alio explicari aptiore ex D. Thoma desumpto gratiæ sanctificantis, quæ vt in animâ per modum habitus residet, habet rationem, & vim auxilij sufficientis, prout actu infunditur, animamque impellit prior secundum genus causæ efficientis, posterior secundum genus materialis, & dispositiuæ, consensu, seu actu contritionis quo recipitur, vim habet non solum auxilij sufficientis, sed etiam efficacis : Ergo vtrumque continet, & à sufficienti distinguendum est, vt anima rationalis à sensitiuâ.

Quod potest alio forte conuenientori exemplo illustrari, iudicij, & imperij, quo posito sequitur libere consensus voluntatis, nec potest non sequi sensu composito : illud vero iudicium, & imperium vltimum distinguerem à gene-

à generali, eodem discrimine, quod est obseruatum intercedere inter animam rationalem, & sensitiuam: & eodem, diuerso genere comparationis priorem esse, aut posteriorem consensu voluntatis, vti diximus habitum charitatis præire consensui, quo recipitur, aut illum sequi.

His tertio est addendum ex Ioanne à S. Thoma; peccatorem indignum esse gratiâ Dei, illique resistere duplici genere impedimentorum: quam doctrinam profundissimam desumit ex S. Thoma 3. contra Gentes cap. 59. & 60. Primum genus impedimentorum, sunt peccata quæ præcesserunt, vel actualia, vel originalia: quorum licet interdum rationem non habeat Deus, sed summâ misericordiâ superatis obstaculis, maximam gratiarum copiam effundat in eos qui huiusmodi malis detinentur; tamen certum est occasione illorum, Deum posse, & interdum re ipsâ esse parciorem beneficiorum, & auxiliorum, & in illorum pœnam recusare gratiam, cuius abcessum alia peccata sequuntur.

Sed præter illud impedimentum antecedens, quod potest multo tempore præire peccato inde secuturo; aliud est genus impedimenti concomitans, priùs tamen secundum genus causæ materialis, ad quod sequatur primum peccatum. Illud vero Ioannes à S. Thoma vocat impedimentum culpæ concomitantis, vel inconsiderationis, quod priùs sit secundum genus causæ dispositiuæ, seu materialis: denegatio vero auxilij efficacis præerat secundum genus causæ efficientis, sicut dictum est de gratiâ habituali, & de iudicio vltimo practico; hæc vero distinctio, seu ordo prioris secundum diuersum genus, receptum in Schola Peripateticâ, & Thomisticâ, tanti momenti esse putat Cardinalis de Lugo Disput. 8. de pœnitentia, Sect. 7. vt eo constituto, dicat Thomistas, qui eo confugerint, tutos esse ab istis Argumentis, contra præmotionem & gratiam efficacem à libertate læsâ repetitis.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Confirmatio Superiorum.

QVARTVM, & vltimum ad illius Argumenti solutionem addendum est, quasi interpretatio, vel am-

pliatio primi. Ita enim mordicùs suæ scientiæ mediæ adhærent Aduersarij, tantumque præsidij in hoc suo Argumento, quo illam ex Scripturâ eruunt, sibi adesse putant, vt vix curent pluribus aliis Scripturæ locis vim inferre: & tanti faciunt querelas peccatorum, vt illis compescendis, nihil dubitent totum caput salutis reuocare, seu diuinæ gratiæ efficacis, & sufficientis totum discrimen trahere, ab innata libertate quâ quisque se discernit, quo gloriari possit. Consecutio est euidentissima hoc Argumento, quod vrgent Salmanticenses Disput. 9.

Cum duo partim conueniunt, partim differunt; ratio distinctionis non potest repeti vt à primo principio, ab iis, quibus inter se conueniunt, & pares sunt: res videtur euidentior, quam vt egeat probatione; nec minus certum est ex Aduersariis communem omnibus hominibus dari gratiam sufficientem, & interdum maiorem reprobis quam electis, & conuertendis: Ergo, vt inquit D. Augustinus de Prædest. Sanctorum cap. 5. in ea verba ad Corinthios. *Qui gloriatur, in Domino glorietur: quis enim te discernit? Nihil huic sensui tam contrarium est, quam de suis meritis quemquam gloriari, tanquam sibi ea fecerit, non gratia Dei: sed gratia quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est bonis, & malis.* Hoc Argumentum ex loco D. Pauli vrgent Salmanticenses Dub. 1. quem suppressis aliis multis selegerunt, *quod* inquiunt *Eius veritas non possit ita benè saluari*, si semel admittatur scientia media. Illorum Argumento respondetur accuratè toto Cap. 2. Disput. 3. sed quod Salmanticenses dixerunt pro summâ modestiâ, non ita benè saluum esse illum locum admissâ scientiâ mediâ: non debuit ipsis, nec causæ, quam propugnant, fraudi esse; quasi ille locus parum vrgeat contra scientiam mediam, quæ in tuto sit, nec quidquam timere à Scripturâ possit, illo loco explicato, qui videtur longè abesse ab assertione probanda prædefinitionum, & nisi illas verbis quolibet radio solari illustrioribus, nostris oculis subiiciat legendas, neque hunc, neque vllum ex tota Scriptura locum obiici posse, qui vel minimum mediam scientiam lædat: quasi non possit impeti ex aliis capitibus à prædefinitionibus diuersis, quasi Cap. 9. ad Romanos grauissimo silentio non videatur prædamnata.

Nam licet Argumenta, à silentio, seu ab auctoritate ne-

gatiuâ repeta', videantur esse debiliora; illud tamen ex Apostolo desumptum, demonstratiuum dici potest, quia si vera, aut quod perinde est, si Apostolo nota fuisset hæc scientiæ mediæ Theologia, & aliunde sui defensores necessariam omninò putent, & continuò adhibeant soluendo, quod sibi Apostolus obiicit, Argumento, repetito ab excusatione peccatorum, defuisse officio, & in peccatum lapsos, quod sibi defuerit illa voluntas saluans, & gratia efficax necessaria ad salutem, & perseuerantiam, quæ prædestinatorum nulli negetur, concedatur reliquorum hominum nemini; quâ ratione, aut quâ conscientiâ potuit Paulus graui huic scandalo auertendo, prætermittere nedum idoneam, sed etiam necessariam scientiam mediam, & totam difficultatem admiratione soluere, & ad omnipotentissimam voluntatem deducere? Hoc Pauli silentium, grauius, & expressius censeo contra scientiam mediam, quâlibet censurâ, in illam conceptis verbis latâ.

Nec dicant Aduersarij, hunc vnum ex Scripturâ locum posse in illam proferri: nam plura alia hoc Paragrapho insinuata sunt. Theologi sæpe malè audiunt, nec interdum sine causâ, quod videatur nonnumquam non omnino agere sincere, & bonâ fide. Eam autem requiro in responsione ad Argumentum Salmanticensium: vt omittam male vim authoritatis Apostoli, vt aduersetur scientiæ mediæ, ad id caput reuocari, vt necesse sit prædefinitiones nostras, eo loco legi, quæ tamen adeo longe dicuntur inde exulare, *vt is qui se ea legere eo loci dicat, quicumque sit; possit etiam facile Hebræa legere sine punctis.*

Sed si Argumentum ex eo loco petitum, nihil habet difficultatis contra scientiam mediam; ad quid in eo soluendo tot impletæ paginæ, & quatuor pluresque responsiones congestæ sunt? Nec tamen propositum fuit totâ suâ vi, sed magnâ ex parte eneruatum: nam totum robur Argumentationis duobus verbis nitebatur; ex Augustino gratiam communem bonis malisque, non posse inducere illorum discrimen ad salutem, ex illo axiomate, plurium inter se parium conuenientium, partim distinctorum, causam differentiæ nullâ ratione assumi posse à communibus notionibus & rebus: à quibus tamen verbis, nescio an de industriâ abstinuerit Aduersarius: sed hoc certum est, nullo loco legi; quare responsiones nihil esset opus

refellerre; cum prætermissa sit præcipua vis Argumenti.

Sed vltro conceditur quod euincit: nam Numero eiusdem Cap. 17. ad finem sic habetur. *Hoc proprium est liberorum agentium, vt antecedens eorum æqualitas possit esse causa consequentis inæqualitatis*, neque aliter stat libertas seu facultas agendi: Ergo prima causa illius excessus qui elucet in actu 2. & passim vocatur consequens, est ipsa creata libertas, & à Deo tantum est materialiter, ac per accidens, ac præter illius intentionem: à quo non videtur abhorrere, quod lego eiusdem Cap. Numero 14. his verbis. *Atque in eo ni fallor, deceptus est Auctor cum quo disputamus: quia videtur sentire ascribendam esse Deo discretionem hanc formaliter, & quatenus vnus aliquid habet pra alio, non autem materialiter tantum, ita vt sufficiat id in quo vnus alium excedit*, esse à Deo, id est, materialiter, nec magis ex mente, & intentione Dei, quam ratio minoris boni est aliquid tibi appetibile, aut eligibile præ maiori bono, quod illi sæpius ante ponis.

Non detrecto eruditi Lectoris iudicium ad quod fit prouocatio: idoneane sit ad saluandam, vt postulant Salmanticenses Apostolicæ sententiæ veritatem, hæc interpretatio: quæ non magis refert in Deum illud Apostoli, *Quis est, qui te discernit?* Quam in voluntatem creatam, minoris boni electionem supra magis appetibile: & cum illud Reproborum, ac Electorum discrimen, sit præcipuum ordinis gratiæ ornamentum, à causâ vniuersali præcipue inspiciendum; non video quâ ratione dici possit, à diuinâ prouidentiâ esse materialiter præter intentionem, & cœco modo, vt alias inferebamus ex scientiæ mediæ principiis, quam responsionem videtur ferire illud, *Quis est, qui te discernit?* Quod plus habet energiæ, quam vt dici possit huiusmodi excessum, aut discrimen esse à Deo materialiter, & quasi specificatiuè; reduplicatiue vero referri in causam secundam liberam, vel potius à nullâ esse intentum, sed casu prouenire.

Non est melior responsio ad 2. Argumentum ex eodem loco Apostoli, quod inuoluit quæstionem intricatissimam, de emanatione actuum supernaturalium, à facultatibus nobis congenitis. Et vt rem, cui sedulo expendendæ, opus esset multis libris, breui perstringam, quantum vis Argumenti exigit; sub hac forma propono.

Quamuis in confesso sit apud omnes, quoscunque actus vitales actiue à potentiâ prodire, quâ recipiuntur, siue Deo auctore gratiæ, siue auctore naturæ coagente fiant; seu à facultate, habitibus infusis, vel naturalibus instructâ progrediantur; triplex tamen à Theologis inter actus naturales & supernaturales discrimen constituitur: quorum primum est, facultatem naturalem comparari ad actus supernaturales, vt potentiam remotam, seu obedientialem, quæ egeat eleuatione; ad actus vero naturales proximam vim habere: vnde secundum discrimen inferunt, Beatos disparis intelligentiæ naturalis, quales sunt homo & Angelus, æquali gloriæ lumine donatos, parem omnino elicere visionem: vnde tertium, deducunt discrimen, vsum donorum gratiæ, effectum esse prædestinationis, sicut & ipsa dona. Hic est consensus Theologorum, de potentiis nobis innatis, si comparentur ad actus supernaturales, à quo recessit vnus Molina, his tribus capitibus à nobis notatis; cuius singularis opinio, proinde minus tuta, defenditur à Numero 18. nec opus est singula expendere, quia corruunt explicatione, & deductione triplicis differentiæ, inter actus naturalis & supernaturalis ordinis. Quam vero solida sint hæc principia; Argumento est, vix vnum Theologorum, excepto Molina, fuisse ausum dissentire: vnde deserendus est potius, quam defendendus, si nobis sit cura veritatis.

Responsio ad 3. Argumentum Salmanticensium Nro 15. ac duobus sequentibus, nititur differentiâ conditionatorum futurorum, & absolutorum, quasi illa prius vera, & scita sint à Deo, & ex illis deriuetur veritas in ista; atque ex illorum præscientiâ Deus statuat; se in illo rerum ordine constituturum hominem in quo præuidit consensum gratiæ, prætermissis infinitis circunstantiis, quibus præuidit male responsurum gratiæ, & officio, atque hunc delectum occasionum præcipuum esse beneficium gratiæ. Sed quid fiet, si *esset* conditionatum, nec prius sit verum, nec scitum quam *erit* absolutum; ac proinde istius veritas nullâ ratione ab illo pendeat? Corruent sine dubio, quæcunque illi prioritati, aut subordinationi, veluti caduco fundamento astruuntur: vt nihil opus sit, singula refellere pluribus, cum omnia vno verbo conuellantur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An scientia media sit consentanea principiis D. Augustini, & D. Thomæ.

IAM monui id nos ex nostrâ methodo captare commodi, vt citrà causæ dispendium breuiores esse liceat hâc parte controuersiæ, in cuius examen dimidium fere expenditur operis, cui respondemus: nam loca Patrum, menti illorum certius rimandæ, & consequendæ, opportuna sunt, quæ argumentosa cum Suare vocauimus; atque hoc genere locorum seu probationum, breui resoluenda est nobis duplex quæstio, de mente Augustini cum Aduersariis, vbique capitaliter pugnantibus, nempe Molina, & Iansenio, eorumque sectatoribus, hic tamen aduersus nos consentientibus.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Non solum vsus scientiæ mediæ, sed ipsa scientia media à mente Diui Augustini & D. Thomæ aliena.

DISPVTARI potest ex mente D. Augustini de scientiæ mediæ vsu, & ratione: primò an detur vlla conditionatorum scientia ante decretum, quæ Deo conueueniat, vel reuera nullum agnoscat Deus certo contingens futurum conditionatum, nisi in essentiâ, & decreto vt mediis cognitis: vel si habere aliquam admittatur, an Electorum salus, & prædestinatio nitatur huiusmodi scientiâ, eamque adhibeat Deus, siue prouidentiæ, & prædestinationi hominum fusciendæ, ac dirigendæ: vtrumque contendunt Molina, eiusque sectatores. Primum admittit Iansenius, eamque ait esse mentem D. Augustini, quod se probaturum gloriatur, si opus sit locis & argumentis infinitis: ideo ex illâ scientiâ mediâ, negotium prædestinationis Angelorum, & status innocentiæ, docet iuxta D. Augustini mentem esse peractum. Quare ma

nifestum est illi, nihil repugnans, videri habere hanc conditionata cognoscendi rationem: sed eius vsum semouet à prouidentiâ hominum saluti attentâ, quam niti vult solâ omnipotentiæ, & gratiæ vi efficacissimâ, ad quam confugit D. Paulus his verbis, *voluntati eius, quis resistit,* id est, vt explicat D. Thomas, quin fiat quod Deus vult, & qua ratione fieri voluerit, id est, libere & infallibiliter.

Nos contrà vtrumque statuimus, non solum vsum scientiæ mediæ Deum remouisse à negotio salutis hominum; sed in totum hanc scientiam à Deo esse alienam, quod ex superioribus breuiter & valide ita probo. Nihil apud D. August. & Thomam, certius his duobus principiis, omnino aduersis scientiæ mediæ, Deum creata omnia nosse in essentia, vt in causa & in medio cognito, neque à rebus scientiam haurire: ex quo inferunt aliud principium, res esse à priori, & vt à causa, quod sciantur à Deo, non autem sciri à Deo, quia sint. His duobus principiis, adde tertium nihilo certius: his sanctissimis Doctoribus omnino ignota esse principia, quibus scientia media fulcitur à suis authoribus. Neque enim illis per somnium venit in mentem supercomprehensio Molinæ planè incomprehensa (ne quid grauius dicam:) lex etiam contradictoriarum de futuro contingenti, ex Diuo Thoma Atistotelem secuto, non obtinet cum de futuris contingentibus & liberis agitur.

Dices tertium superesse principium, quo nitatur scientia media, illud vero esse suppositionem, quâ ante omnem causæ determinationem, res futura sit. Hoc principium quod vnice vrgetur, aliisvel reiectis vel tacitis, differt à r. Molinæ, quod vt dixi effugiat omnem mentis cogitationem: istud vero si admittatur, debeat esse per se notum, ac proinde decepti sunt, quotquot insudarunt Theologi, & Philosophi, huic quæstioni disoluendæ, tanquam omnium obscurissimæ, & insuperabili; cum deducta tandem sit ad propositionem, non minus per se notam, quam sit hæc, *quidquid est, oportet esse dum est.* Sed hoc mali habet tertium istud principium, cum secundo; quod scientiam mediam, cui substratum erat quasi fundamentum, omnino euertat. Neque enim negari potest, nisi per summam proteruiam, quin *erit* absolutum, sit verum

eodem iure ex euentu, si *esset* habeat eandem veritatem ex euentu certam, ante quodcumque decretum. Quis credat D. Augustinum & D. Thomam, totius Prouidentiæ & religionis fundamentum voluisse istis principiis appendere. Ex his ergo concludo; scientiæ mediæ nedum vsum, sed rationem etiam ignorari, & improbari his Sanctissimis Doctoribus; quod pessime illorum principiis conueniat, nec quibus nititur, consentanea sint illorum sapientiæ.

Scio de mente Diui Thomæ acriter pugnari cum Salmanticensibus & Ioanne à S. Thoma Disput. 4. à Num. 27. ad 46. & vt verum fatear satis dubio & ancipiti Marte: potest enim mens sancti Doctoris inquiri, vel ex principiis communibus toti eius doctrinæ connexis; quam methodum nos secuti sumus: vel ex quibusdam locis singularibus à contextu doctrinæ Diui Thomæ auulsis: & hanc potissimum viam sequuntur nominati Theologi; ea vero ad vitilitigandum idonea magis est quam ad certò assequendam mentem Sanctorum Doctorum. Contentionem augent conditiones omnino iniquæ quæ nobis præscribuntur. Negant ex vllo loco nostram sententiam extrahi posse nisi expressis verbis præferat decretum actuale esse vnicam rationem cognoscendi futura, quia quæstio, inquiunt, tantùm est vtrum Sanctus Thomas admiserit huiusmodi decretum circa omnia futura. Sed nisi æquo iure recusent nobiscum disputare, afferenda sunt illis loca quæ præferant fronti infixam scientiam futurorum ex supercomprehensione, &c. & quæ conditionata priora absolutis statuant. Sed rati nihil illorum apud ipsum nequidem per somnium exstare, excipiunt Numero 27. cum in hac quæstione partem illam sequantur, quæ negat posita esse à Diuo Thoma in vniuersum decreta illa, nihil aliud à se expostulari posse, quam vt ostendant alium habere sensum testimonia D. Thomæ quæ produxerimus ad hoc probandum, quod à se negatum est.

Paragraphvs Secvndvs.

Operosius probatur scientiam mediam principiis D. Thomæ repugnare.

Dvrivs nobiscum agitur, quàm leges disputandi patiantur. Immerito huic vni conditioni astringimur, vt probemus expressis verbis D. Thomæ constituta decreta, quasi vnicam rationem huiusmodi futura cognoscendi: quia aliæ suppetunt ad id non minus efficaces, qualis est hæc, quam subijcio, & quâ perstringam plures hac parte agitatas difficultates.

Non est dubium quin ignota aut improbata sit Sancto Doctori scientia media, & ab illius principiis abhorreat; si huiusmodi scientiæ obiectum tollat, & quodlibet medium, quo conditionata cognoscantur, decreto excepto, & inde præsentia secuta in æternitate ab Aduersariorum mente alienis: quia nihil est ad constituendam scientiam, necessarium magis, eius obiecti veritate, & quo attingi possint medio: Atqui vtrumque tollit Sanctus Doctor. Minor quoad primam partem probatur ex relatis Art. 2. superioris Sectionis: vbi probatum est multis testimoniis D. Thomæ, contradictoriis de futuro contingenti nullam inesse determinatam veritatem, non solùm quo ad nos, sed etiam quo ad se. Nam D. Thomas Lectione 13. super cap. 8. libri Perihermenias, negat huiusmodi contradictoriis veritatem: quia futurum contingens non habet esse determinatum in suis causis liberis, & contingentibus quod se habeat ad oppositа.

Id confirmat prima parte quæst. 16. art. 7. ad 3. vbi ait, *Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in sua causa erat vt fieret; vnde sublata causa, non esset futurum illud fieri: sola autem prima causa est aterna: vnde ex hoc non sequitur, quod ea quæ sunt, semper fuerit verum, ea esse futura, nisi quatenùs in causa sempiterna fuit vt essent futura.* Atqui non fuerunt futura in causa sempiterna nude sumpta, sed per decretum determinata: Ergo ante illud decretum D. Thomas nullam agnoscit veritatem, ac proinde tollit obiectum

scientiæ mediæ. Hoc autem confirmat secunda quæsti, de veritate art. 12. in corpore, & ad 7. vbi docet rem esse futuram, esse denominationem extrinsecam, sumptam à præparatione, ordinatione, & determinatione causarum, ad illius productionem, ex quibus constat nullam huiusmodi futuris inesse veritatem, quæ sit obiectum scientiæ mediæ, ante determinationem causæ primæ per decretum.

Secunda pars Minoris probata est Articulo primo superioris Sectionis, vbi demonstratum est ex D. Thoma, vnicum Deo esse medium ad cognoscendas creaturas, essentiam diuinam vt cognitam: vel nudam ad cognoscenda possibilia; vel determinatam per decretum, ad cognoscenda futura. Idem confirmat eiusdem Sectionis vltimus Articulus, quo est demonstratum ex principiis D. Thomæ, verum à priori esse, siue secundum causam, essendi, vt loquitur res creatas esse, quia sciuntur à Deo, & ab illius scientia mensurari, vt habet adiunctum decretum: à posteriori autem siue secundum causam consequentiæ, verum esse res sciri à Deo, quia futuræ sunt. Hinc mirari licet Aduersariorum consilium, litigandi de mente D. Thomæ adeo comperta: quod cum ipse interpretetur Origenem, aliosque S. Patres asserentes res sciri à Deo, quod futuræ sint, quasi verum à posteriori, & secundum causam consequentiæ sicuti nos respondemus; velint nostram responsionem alienam esse à D. Thoma, cuius tamen ipse sit Author conceptis verbis.

Atque hinc soluentur facile duo testimonia D. Thomæ relata Numero 44. nullo citato loco. Primum est: aliquid est præscitum, quod non sit, prædefinitum: id enim verum est de peccatis, quæ à Deo non prædefiniuntur, nec sciuntur scientia approbationis: facilior est interpretatio alterius testimonii necessitatem omnem, quæ sequitur ex eo quod aliquid sit præscitum, reduci ad hoc præcipuum, id quod est, quando est, necesse est esse. Hoc enim verum est, de eo quod præscitur scientia necessaria, & simplicis intelligentiæ, puto de industria esse omissum, quo loco ista doceat S. Doctor, ne ex contextu solutio haberetur.

Confirmatur Argumentum quoad vtramque partem. Clemens VIII. libello à se collecto ex D. Augustino do-

ctrinæ de gratia Art. 5. multis S. Doctoris Auguſt. locis, confirmat gratiam habere ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & dominio, quod ſumma maieſtas diuina habet in voluntates hominum, ſicut in cætera omnia, quæ ſub cœlo ſunt: Atqui illa propoſitio ex D. Auguſtino à Clemente VIII. recepta, multiſque teſtimoniis confirmata, repugnat ſcientiæ mediæ, illique aſſentitur D. Thomas: Ergo principia D. Thomæ repugnant ſcientiæ mediæ. Conſequentia eſt euidens, tota difficultas eſt poſita in probanda minori quoad vtramque partem.

Quo ad primam quidem, conſtat Aduerſariorum confeſſione. Nam cum ſcriptum Clementis fuiſſet traditum examinandum Aduerſariis, vt reſponderent quid ſentirent de his capitibus, Vaſtida qui tertius poſt Valentiam, & Arrubal, in congregationibus 38. & prima defuncto Clemente ſub Paulo V. habita, reſpondit nomine Theologorum Societatis, quos ex toto orbe Chriſtiano conſuluerat, ſe omnibus capitibus aſſentiri, excepto quinto, quod Concilio Tridentino contendebat repugnare. At Thomas de Lemos qui cum his tribus vnus diſputauerat, & ſuperſtes illis per multos annos vixit; ad propoſitum dubium directè & ſtrictè reſpondit, omnia & ſingula quæ illo ſcripto continentur, tùm Capitulorum titulis, tum inductis ex S. Auguſtino teſtimoniis, eſſe ipſiſſimam Sancti Auguſtini doctrinam de gratiâ, vt probauit breui examine ſingulorum teſtimoniorum, quæ expreſſiſſima ſunt ad rem noſtram.

Nam primum teſtimonium inductum ex libro de gratiâ & libero arbitrio cap. 20. habet *bonas hominum voluntates*, &c. *Ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quo voluerit faciat inclinare.* Secundo ex 5. capite de correptione & gratia habet: *Deum occultiſſima & potentiſſima medicina ſua poteſtate, perducere quo vult.* Non ſunt minus expreſſa alia vndecim ex Sancto Auguſtino loca. Vnde addit idem P. Lemos, contra id quod Vaſtida aſſeruerat, huius capitis doctrinam eſſe contra Tridentinum ſeſſione 6. Canone 4. *Abſit*, inquit, *vt ex doctrina, non dico S. Auguſtini, ſed ex doctrina Pontificis Summi tradita in iſto capite, & ordinata, contradicatur Concilio Tridentino.* His vtrinque diſputatis, in Congregatione ſequenti, concluſum eſt à Conſultoribus, eam eſſe Auguſtini mentem:

quam Clemens octauus ex multis huius Sancti Doctoris locis proposuerat.

Hinc facile est refellere nonnullos, qui id scriptum agnoscunt esse Clementis octaui, cuius apthographum habetur hîc Parisiis, manu propria Pontificis subscriptum: verum addunt non tam mentem Pontificis continere, quam quæstionem eius nomine Censorum examini subiectam. Sed vana & futilis est huiusmodi responsio, eleuandæ huius scripti authoritati: licet enim non sit decisio Iuridica harum controuersiarum; est tamen ad minus sententia Pontificis doctissimi, qui extrema senecta totum se huic rei addixit, & accuratissime Augustinum legit, ad cuius vnius authoritatem & mentem, voluit omnes de gratia controuersius dirimi. Ita enim habet: Sanctum Augustinum *omnes difficultates, quæ vel à Pelagianis, & ab eorum sectatoribus, tum mouebantur, vel posteà moueri possent, penetrasse, & explicuisse; & ita illorum omnia sophismata dissoluisse, vt nihil hâc nostrâ tempestate de gratiâ Dei in controuersiam vertatur, quod à Sancto Augustino non fuerit iam olim copiosè pertractatum.* Ergo quæ collegit ex Augustino Sanctissimus Pontifex, non putauit esse rationes dubitandi, aut res in vtramque partem disputandas; sed potius dogmata certo credenda.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Præscientia decreto innixa, & ex eo certa, mens D. Thomæ.

QVOD vero Diuus Thoma, huic à Vastida nomine suorum Articulo reiecto, assentiatur; argumentis inuictis probari potest. Primo Doctor præscientiam futurorum à decreto vult pendere. Ita enim docet passim sed expressius in 1. Dist. 39. quæst 1. ad 5. licet, inquit, *esse & scire Dei sint idem secundum rem, tamen scire sequitur voluntatem, vt imperatum ab ipsâ*, & art. 2. ad 1. *ipsum scire in Deo est subiectum libertati voluntatis.* Hinc verò præcluditur via ad scientiam mediam: nam si præscientia futurorum nitatur decreto; illud debet esse

infallibile, & ab intrinseco cum illis connexum: ac proinde de se efficax, & efficiens liberam determinationem voluntatis.

Deinde quod propius ad rem accedit, Sanctus Doctor prima parte quæst. 19. art. 8. & 1. contra Gent. cap. 55. concordiam nostræ libertatis cum diuinis decretis repetit, secutus D. Augustinum, ab infinita efficacia diuinæ voluntatis, quæ non solum substantiam actus, sed modum, etiam libertatis efficiat in nostris operationibus. Et libri primi Perihermenias lect. 14. à voluntate diuina, extrà ordinem entium positâ, & causâ totum ens profundente, deducit differentias entis possibilis, necessarij, contingentis, & liberi.

Expressius & profundius quæst. 6. de verit. art. 3. prædestinationem statuit certam, non solum certitudine præscientiæ, qualem illi vindicant recentiores ex scientia media: sed certitudine ordinis, & causalitatis: quos duos gradus ita distinguit, vt certitudo cognitionis ea sit, cum rem adæquat, nec ab eo recedit quod in ipsa est, vndecumque proueniat hæc certa, & vera rei æstimatio, siue à causa ipsius, siue aliunde: & cum præscientia Dei latius pateat, quam eius efficientia; hinc est, inquit, quod in ea attendatur tantum prima species certitudinis, quam vocat cognitionis: sed cum prædestinatio addat præscientiæ vim causæ, ad ea quæ sub ipsa cadunt, præter certitudinem cognitionis, aliam exigit, quam vocat S. Doctor ordinis, seu causalitatis.

Hâc distinctione præmissa, & explicata, propius ad quæstionem accedit: & cum prædestinatio sit prouidentiæ pars, exigenda est eius certitudo iuxta rationem prouidentiæ, quæ duplex illi inesse potest: Primo certitudo singularis, qualis est eorum, quæ à diuinâ prouidentiâ in finem sic ordinantur, vt ab eo nequeant deficere; cuius generis sunt motus cœlorum, & quæcumque necessario aguntur: secundi generis certitudo est vniuersalium, non particularium, qualis est corruptibilium, quorum virtus quandoque deficit ab ordine & fine constituto; qui tamen defectus non effugit ordinem diuinæ prouidentiæ. Nihil vero potest deficere ab vniuersali fine prouidentiæ, quamuis aliqua interdum à fine particulari recedant.

Sed ordo prædestinationis longe certior est, nec magis

potest à fine particulari, quam vniuersali aberrare: quia prædestinatus ad salutem certo illam consequitur. Non tamen eo genere certitudinis, quam obseruauimus ex prouidentiâ diuinâ, in iis rebus, quarum causæ necessario & indefectibiliter agunt. Prædestinationis verò, siue salutis electi, causa proxima, est libera voluntas, quæ contingenter operatur: hinc nascitur difficultas concordiæ infallibilis prædestinationis cum libertate arbitrij.

Ab hoc nodo putant se facile exolui, qui prædestinationem certam tantum faciunt primo genere certitudinis, seu ex sola præscientiâ; vt dicant Deum ordinare prædestinatum ad salutem, sicut quemlibet alium reprobum ex gratiâ communi, quâ quisque se discernat, vnus salutem consequatur, alius ab ea deficiat. Sed qui ita sentiunt, prædestinatum à non prædestinato, nullâ certitudine ordinis seu causalitatis; sed ex præscientia euentus distinguunt: atque ita præscientia est causa prædestinationis, nec fit prædestinantis electione, quod inquit, S. Doctor, *est contra authoritatem Scripturæ & dicta Sanctorum.* Vnde asserendum est præter certitudinem præscientiæ, ordinem prædestinationis habere certitudinem infallibilem, quamuis libera voluntas, quæ est causa proxima salutis, ad illam contingenter, non necessario conferat & ducat.

Quâ vero id ratione fieri possit, sic explicat S. Doct. Ordo, inquit, dupliciter alteri compossibilis esse potest: Primo quatenus causa vna singularis effectum producit ex ordine prouidentiæ necessario. Secundo cum ex concursu multarum causarum contingentium, & defectibilium, vnus exit effectus: quatenus ad illius consecutionem, Deus sic causas ordinat, vt loco eius quæ deficit, sufficiat alteram, vel impedit ne deficiat. Sic videmus seruari rerum species, quarum singularia corruptibilia sunt, successione continua generationum. Ita etiam prædestinatio ordinatur: licet enim liberum arbitrium deficere possit à salute; tamen Deus prædestinatum tot fulcit, & munit adminiculis, tot exhortationibus, & suffragiis, tot donis gratiæ roborat, vt vel non cadat omnino; vel si cadat, statim aut aliquando tandem resurgat. Atque ita licet salus, causæ proximæ comparata, certitudinem non habeat, sed contingentiam; tamen certa omnino est, vt subest cau-

sæ primæ directioni, prædestinatum variis auxiliis munientis.

Atque hanc ordinis, seu causalitatis certitudinem, clarius & profundius explicat solutione ad quartum, quâ discrimen ponit inter causam primam vniuersalissimam, & causas creatas superioris ordinis, quod eleganter explicatur eâdem disput. 4. num. 29. Sol qui producit ficum cum suppositâ ficulneâ, & oliuas ex suppositione oleæ; neque ficulneam ex aridâ viuacem facit, nec oleam ex oleastro: sed vtramque supponit viuentem. Ideo suppositio Solis, neque ficus, neque oliuas infert, nisi conditionatè; & ex suppositione, quod tum ficulnea, tum olea habeant virtutem generatiuam bene dispositam: prædestinatio autem non pendet à simili cognitione; quia ipsa facit in libero arbitrio, id quod requirit & necessarium est ad salutem. Ita egregie ad mentem D. Thomæ.

Sed additur prædestinationem de qua loquitur S. Th. esse absolutam: & effectum, qui certo inde dicitur futurus, esse absolutum. Et male (ait) à nobis inferri, ex eo quod liberum arbitrium diuinæ prædestinationi actuali & absolutæ subiaceat, in ordine ad effectum, vt infallibiliter & absolute futurum; debere pariter subesse actuali prædefinitioni, in ordine ad effectum conditionatè tantum futurum: quæ consequentia, inquiunt, est longe petita, & quæ in viâ deficiat, antequam perueniat ad iugulum scientiæ mediæ, vt inde Ioannes à S. Thoma manifestam illius ingulationem repetere possit, quia iam supra monstratum est, quam sit dispar ratio necessitatis præsentis & actualis decreti, ad futuritionem absolutam, & ad futuritionem conditionatam liberi actus creati.

Sed nos contra: futuri conditionati veritas, non minus pendet à decreto actuali, sibi proportionato, quam absolutum: Ergo si istius veritas eximi nequit à decreto actuali, ita nec illius. Deinde hæc responsio supponit, quod conuictum est falsi, & principiis Diui Thomæ repugnans, veritatem conditionatorum priorem esse veritate absolutorum, & illius fundamentum: quo præsidio sublato, manifestè iugulatur scientia media hoc loco, & principio D. Thomæ.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Duplex difficultas de mente D. Thomæ breuiter expeditur.

EX eo tamen Articulo obiiciuntur duo pro scientia media: Primo præscientiam latiùs patere, quam prædefinitionem, ergo possunt esse quædam præscita à Deo non prædefinita. Respondeo D. Thomam agere de certitudine scientiæ, & ordinis, vt est communis ad creatam, & increatam, qua ratione verum est præscientiam latiùs sumi prædefinitione, sed ea comparatio nihil facit ad rem: & si de præscientia diuina agamus præcisè, verum est etiam latiorem esse vsum præscientiæ quam prædefinitionis: quia illa ad bonum, & ad malum indiscriminatim fertur; ista ad bonum tantum, cum sit scientia approbationis adiuncta idea rei faciendæ, atque hinc soluitur idem Argumentum plurib⁹ locis, diuersis tantum verbis propositum.

2. Ex eodem loco obiicitur D. Thomam prædestinationem cum libertate prædestinati conciliare ex hoc capite quod infallibilitas quam habet, posita sit in multitudine concurrentium auxiliorum defectibilium vno defectum alterius suppliente, vel impediente ne deficiat. Atque hoc Argumentum mire amplificatur quibusdam exagitatis ex Ioanne à Sancto Thoma, quę non leguntur, eo quo citantur loco: verum responsio facilis est D. Thomam agere de perseuerantia prædestinati ad quam sine dubio opus est magna congerie auxiliorum, vt accommodate conferantur prædestinato: nonnulla sufficientia sunt, alia vt horum vim suppleant, vel augeant sunt, efficacia, non à præuiso per scientiam mediam consensu, sed ab omnipotentia Dei, vt ex D. Augustino relatum est; eo vero eleganti exemplo D. Thomæ facile intelligi potest, quod impossibile captu quidam censent communibus gratiis prædestinato & reprobo, vtrumque posse perseuerare, re tamen nullum perseueraturum nisi addita gratia singulari, vi cuius prædestinatio habeat certitudinem præscientiæ fultam certitudine ordinis.

PARAGR.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Præscientiam niti decreto illustri loco D. Thomæ probatur.

PROBANT Ioannes à Sancto Thoma, & Salmanticenses præscientiam Dei niti decreto, elegantissimo Articulo 10. quæst 12. de veritate: vbi profunde S. Doctor distinguit triplex genus Prophetiæ; comminationis, præscientiæ, & prædestinationis.

Nam cum Prophetia sit deriuatum lumen à præscientiâ; & hæc si sit absoluta, duo attingat, nempe causarum ordinationem, ad effectum producendum, & exitum effectus æternitati coexistentis, qui multiplex esse potest, interdum bonus, interdum malus; & hic rursus duplex, vel à solo Deo, efficiendus, vt Incarnatio, resurrectio Lazari; vel causis duabus concurrentibus: hinc sumitur multiplex diuisio Prophetiæ secundum diuersos gradus participationis præscientiæ.

Nam si reuelatio fiat de effectu, vt continetur in præparatione causarum, quæ interdum impediuntur; dicitur Prophetia comminationis, si pœna prædicatur; aut promissionis, si aliquid boni vel mali enuncietur. Huius generis infinitæ sunt Propheriæ, qualis est de morte Ezechiæ, de subuersione Niniuè, quę directè ordinationem causarum, indirectè effectum inde deducendum pro statu illarum causarum significat, etiam verbis futuri: vnde S. Doctor non negat id significare, quamuis asserat magis esse præsentium, quam futurorum: & ideo non desinunt esse verę, quamuis effectus non sequatur.

Sed si participent præscientiam Dei, vt attingit euentum ęternitati pręsentem; non possunt, non impleri, & si is euentus fiat à causis secundis, dicitur esse Prophetia secundum pręscientiam. Si à solo Deo, secundum prędestinationem: quod nomen triplex habet significatum: late sumitur pro quacunque prædefinitione; strictius pro transmissione creaturę ad gloriam; strictissime, pro decreto rei, à solo Deo implendę. Atque hoc vltimo sensu, est interpretandum tertium genus Prophetiæ, vt distinguatur à duabus superioribus.

His prænotatis, confirmatur Argumentum Ioannis à Sancto Thoma contra ſcientiam mediam. Nullum datur genus Prophetiæ, quod ordinatione cauſarum non nitatur, tanquam primo præſcientiæ fundamento: ea vero nequit eſſe ſine decreto ordinante huiuſmodi cauſas: Ergo nulla in Deo eſt ſcientia libera ante decretum.

Ad hoc Argumentum reſpondetur à ſcopo aberrare: neque enim quæritur, vtrum Deus aliquâ ſuâ ordinatione reddat cognoſcibilia futura conditionata quædam, ab ipſius voluntate pendentia, quales ſunt pœnæ: inde vero nullam eſſe conſequentiam ad prædefinitiones rerum quę fiunt cum cauſis ſecundis, & liberis. Sed hæc reſponſio refellitur ex ſuperioribus. Si res futuræ ſunt veræ ante omne decretum, ex ſuppoſitione, quod ſint futuræ; ea ratio eſt communis omnibus futuris, cuiuſcunque generis: Ergo diſtinctio futurorum inſinuata eſt contra fundamentum ſcientiæ mediæ.

Quod obiicitur Numero 34. & 35. occupatum eſt interpretatione Articuli D. Thomæ. Vnde etiam falſum conuincitur quod Numero 36. aſſumitur; verum modum, & Dei proprium præſciendi futura, eſſe independentem à cognitione cauſarum ordinatarum ad illa producenda. Hinc etiam ſoluitur obiectio Num. 3. eodem principio falſo nixa: nec ſolidiora ſunt quæ habentur Numero 38. neque enim negari poteſt eandem eſſe rationem omnium futurorum: vel enim omnia, vel nulla vera ſunt, ex ſuppoſitione futuritionis. Atque hinc etiam ruit quod Numero nono, ſequenti habetur; aliam eſſe rationem futurorum abſolutorum, aliam conditionatorum, niſi forte in ſententiâ Molinæ: quare nihil opus eſt expendere quæ à Numero 41. habentur ad Numerum 45. quia iam alibi refutata ſunt.

Non conueniebat omnino prætermittere Argumentum Salmanticenſium ab auctoritate Curielis: is primum in ſententiam mediam pronior, eam poſt modum retractauit: profeſſus tamen bonâ fide, principiis D. Thomæ eiuſque diſcipulis pugnare: vir eſt ſupra omnem laudem, nulli partium addictus, cui ſubinde maior fides habenda, quam vlli noſtrum, aut ex Societate, quod à partium ſtudio abeſſet. Ille tamen in D. Thoma verſatiſſimus, nulla ſcientiæ mediæ ſemina reperire potuit: non

taciturus sine dubio si occurrissent, tum, cum illi sententiæ fauebat: vt facilè intelligas gratis dictum: *Thomistas apud D. Thomam scientiam mediam quæsiuisse: sed in modum illius, qui cum breuiarium suum perdidisset, ita quærebat, vt inueniendum timeret.*

Vt cætera omittam, quibus refelli posset coniectura, aut censura hæc: illi confutandæ sufficit exemplum, & iudicium Curielis omni exceptione maius: ille, vt à fide dignis accepi, more Hispanorum, qui vni scientiæ se dedunt, & eâ malunt præstare, & imbui, quam pluribus intendendo tingi: totum septennium vni impendit Summæ D. Thomæ, cum Caietani commentariis: quasi non minus illam deperiret, eiusque, quam Iacob Rachelis, potiundæ studio flagraret: quo vero fructu huic studio incubuerit; Argumento sunt immortalia, & luculentissima in primam secundæ commentaria. At ille cum vellet maxime, nihil in D. Thoma reperit, quo scientiam mediam fulciret: vt timendum non fuerit Thomistis, ne in S. Præceptore, præter illorum votum, & expectationem inueniretur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Exactiùs inquiritur mens D. Augustini de scientiâ mediâ.

QVÆ collegi ex D. Augustino & Thoma, sparsim per totam Disputationem, valide refellunt scientiam mediam. Tribus potissimum demonstratum est vtrumque conuenire principiis, quæ generatim scientiæ mediæ repugnant. Primum est gratiam efficacem desumere vim suam ab omnipotentissimâ Dei voluntate: secundum, dici res futuras, à priori, quod à Deo sciantur: tertium creaturas cognosci in essentiâ, vt in causâ, quæ omnia negant Aduersarij, quod videant cum nullo illorum fundamentorum seorsim, multominus cum his tribus iunctim, stare posse scientiam mediam, cuius veritatem à principiis omnino contrariis desumunt. Sed placet rem operosius pertractare: quod mens D. Augustini comperta, regula sit totius Ecclesiæ de doctrinâ gratiæ, & præcipuum Scholæ nostræ præsidium.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De progressu, & serie controuersiarum D. Augustini contra Pelagianos, eorumque reliquias: demonstratur in rebus ad salutem pertinentibus, nunquam adhibitam à D. Augustino scientiam mediam.

PELAGIVS eiusque discipuli Cœlestius, & Iulianus hæreticorum callidissimi, & ingeniosissimi, vt fucum facerent Catholicis, suosque errores specie veritatis inducerent; Manichæis visi sunt exordio suæ hæresis tantum bellum indixisse, vt obseruat D. Augustinus libri 3. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 9. *Excogitarunt Pelagiani Manichæorum nomine detestabili imperitos deterrere, ne aduersus eorum dogmata aures accommodarent veritati.* Eorum fraudes distinctiùs explicat libri 4. cap. 1. vbi ait, Pelagium *quinque rerum obtendere obstacula, in quibus eorum dogmata inimica gratiæ delitescant.* Damnabant Manichæi carnem, & omnem creaturam aspectabilem, quasi ad malum pronam, & ideo à malo principio procreatam. Damnabant nuptias; quod illis libido inesset adiuncta, & congenitum originale peccatum. Improbabant legem veterem, quod iustificare non posset: liberum arbitrium, quod illo vno peccemus: Antiquos Patres, quod peccato obnoxij vixissent; eorumque iustitiæ essent quasi pannus menstruatæ.

Hinc quinque rerum genera, à Manichæis damnata, efferebant laudibus Pelagiani; eo consilio, inquit D. August. *Vt quidquid de laude creaturæ dicerent, atque nuptiarum, ad hoc referrent, vt non sit originale peccatum: quidquid de laude legis, & liberi arbitrij, ad hoc vt gratia non adiuuet nisi meritum: quidquid de laude Sanctorum ad hoc vt vita mortalis in Sanctis videatur non habere peccatum, nec sit eis necessarium pro dimittendis peccatis suis Deum precari.*

Quare exordio suæ hæresis, purum, & putum Ethnicismum tradebat Pelagius, qualem hauserat ex Seneca Epistol. 53. *Est aliquid quo sapiens antecedat Deum: ille*

naturæ beneficio non suo sapiens est. Et Epistola 20. *Hoc cura, hoc opta, omnia vota Deo remissurus, vt contentus sis teipso, & ex te bonis nascentibus.* Et Epistola 124. *Vnum bonum est, quod beata vita est firmamentum, sibi fidere.* Et ex Cicerone libro de naturâ deorum, *Iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam à Deo petendam, à seipso sumendam sapientiam.*

Hanc Pelagianorum cum Ethnicis consensionem, notat D. August. Epist. 106. *Quibus vtique, quoniam Christiani appellantur, magis obseruandum est, quam Iudæis, de quibus dixit Apostolus, ne offendant in lapidem offensionis, velut argute defendendo naturam, & liberum arbitrium; quemadmodum Philosophi huius mundi, qui vehementer egerunt, vt putarentur, vel putarent sibi vitam beatam virtute proprjæ voluntatis efficere.*

Quare, totam iustitiam repetebant à naturali possibilitate, seu libertate ad bonum, & malum, iuxta illam vulgatissimam vocem ex Augustino, Homilia 44. *In potestate habeo iustum esse, & iustum non esse*: idque fusiùs explicant ex illorum mente Hieronymus ad Ctesiphontem; & Innocentius Epist. 91. ad Augustinum ita habet. *Et qui nos adiutorio negat indigere diuino, quasi ex nostra in totum possibilitate perfecti, &c. Id est, authoris nostri obliti, eius potentiam, vt nos ostendamus liberos, abiuremus: quasi iam amplius quod possit dare, non habeat; qui te, in tuo ortu liberum fecit.*

Non diu in eo errore, seu Ethnicismo, sine vllo pietatis velo, nude prædicando, perstiterunt Pelagiani: sed statim post ipsa initia, aliquam gratiæ laruam assumere compulsi sunt, ex Catholicorum offensione: & naturam ipsam tanquam gratiam prædicare cœperunt, secundo statu, quem Semiethnicismum vocare possumus. Ita docet D. Augustinus multis locis, maxime Serm. 11. de verbis Apostoli Cap. 7. vbi ita habet. *Disputantes ergo contra gratiam, pro libero arbitrio, cœperunt horreri, & inuenerunt ad releuandam istam inuidiam tale commentum. Non*, inquit, *contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo: quia homini liberum arbitrium Deus donauit. Quidquid homo potest de libero arbitrio, cuius gratia debetur, nisi eius, qui eum condidit cum libero arbitrio?* Statum

istum ex professo defendit Pelagius lib. cui D. Augustinus suum de naturâ & gratiâ opposuit. Hanc vero naturæ, seu liberi arbitrij gratiam, omnibus hominibus, piis & impiis communem confitebatur Pelagius; & ideo omnes impios merito iudicandos & damnandos censebat: quia cum habeant liberum arbitrium, per quod, tanquam per gratiam primam Dei, ad fidem venire possunt, male vtuntur libertate concessâ.

Sed cum illa gratiæ confessio à Catholicis quasi fraudulenta damnaretur; excogitarunt aliam, quæ communiter gratia legis, atque doctrinæ dici solet, & vocari potest Iudaismus; cui remissionem peccatorum addiderunt, vt habet Augustinus de gestis Pelagianorum cap. 35. *Eam esse Dei gratiam dicit hæresis Pelagiana: quia sic conditi sumus, vt hoc voluntate possimus; & quod adiutorium legis mandatorumque suorum dedit; & quod ad se conuersis, peccata præterita ignoscit. In his solis esse Dei gratiam deputandam; non in adiutorio nostrorum actuum singulorum.*

Hæc vero non tam dogmatis capitalis, de naturali possibilitate non peccandi, mutatio, quam additio quædam est, & palliatio. Idque ex duplici capite: Primo quod quamuis arbitrium per legem adiuuari dicant, ad faciendam iustitiam; tantum tamen valere putant, vt etiam per se, tametsi difficilius, ad eamdem implendam possit sufficere.

Ita explicat mentem Pelagianorum D. Augustinus de gratiâ Christi Cap. 41. his verbis. *Quamuis & ipsam viam*, quæ per legem & Euangelium nobis reuelatur: *Contendant etiam solâ inueniri posse naturâ, sed facilius si adiuuet gratia.* Secundo volebant obtento legis adiutorio, id est, habitâ præcepti & iustitiæ faciendæ cognitione, non ipsam legem, sed solum arbitrium, sine vllo alio adiutorio, per se sufficere sibi ad adipiscendam iustitiæ perfectionem, vt fusius explicat D. Augustinus ibidem, & serm. 2. de verbis Apostoli, & lib. de hæresibus, hæresi 88. eam ex Pelagianis differentiam insinuat, inter liberi arbitrij, & legis gratiam, quod liberum arbitrium sit illa gratia, sine quâ nihil boni possumus facere: lex vero atque doctrina, adiuuet quidem hominem, vt discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus; sic tamen, vt sine illâ per nos ipsos etiam multa, vel omnia scire possimus, atque

agere. Et ad vtriusque gratiæ, naturæ inquam & legis confessionem, non veritate persuadente, sed pudore superbiæ sunt compulsi: quia inuidiam negatæ gratiæ non ferebant ait Augustinus de Spiritu & littera cap. 2. & 19.

Hic vero status Pelagianismi omnium celeberrimus, nihil à Iudaismo differt; quia Iudæis proprium est in lege gloriari vt habet August. Epist. 186. & 200. Hinc excurrerunt in legis laudes, vires, & effectus, & in illam referebant omnem iustitiam, & vitam æternam ad regnum cœlorum vt notat D. August. lib. 4. ad Bonifacium cap. 9 *Nusquam*, inquit, *isti inimici gratiæ, ad eamdem vehementius oppugnandam, occultiores moliuntur insidias: quam vbi legem laudant, quæ sine dubio laudanda est. Legem quippe diuersis locutionum modis*, & varietate verborum, *in omnibus disputationibus suis volunt gratiam intelligi:* vt scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus: & vt D. Augustinus interpretatur eiusdem libri cap. 11. *Non ad faciendum quod cognouerimus, sed ad agnoscendum quid faciamus nos adiuuare credatur.*

Hanc vero legis, seu intelligentiæ gratiam, D. Aug. de Gratia Christi cap. 7. ex Pelagio sic explicat, *quam*, inquit, *nos non vt tu putas, in lege tantummodo, sed in Dei adiutorio esse confitemur.* Quod tribus aut quatuor modis amplificat. *Adiuuat enim nos per doctrinam & reuelationem suam, dum oculos cordis nostri aperit, secundo dum nobis ne præsentibus occupemur futura demonstrat, 3. dum Diaboli pandit insidias, 4. dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestibus illuminat.* Quintum addi potest ex cap. 10. *Dum nobis suadet omne quod bonum est.*

Legi, & doctrinæ sic explicatæ, tanquam vni ac sufficienti principio, adscribit quidquid Scriptura intimæ charitati, & Spiritui sancto in abditis cordis visceribus, operanti assignat; & in vnam legem refert hos tres gratiæ Christi, & Euangelij effectus præcipuos. Primo immunitatem à peccato: ideo Iulianus in libri secundi operis imperfecti, folio 278. ait. *Quod infregit peccatum censura legis, & infringendo ex multa parte restrinxit.* Hinc folio 407. ait, *vsque ad legem regnasse peccatum: ostendens regnum peccati latâ lege cecidisse, & sustulisse peccatum*

mundi, folio 408. *Quod non potuit manere peccatum actionis, non naturalitatis esse conuincitur & ostenditur non esse post legem*, vt habet folio 278. Nec solum in legem referunt magnam liberandi à malis potestatem, sed etiam operandi in nobis voluntatem, atque bonum opus, vt ex Pelagio refert August. cap. 10. de Gratiâ Christi, *dum reuelatione sapientiæ stupentem suscitat voluntatem, dum suadet omne quod bonum est.* D. August. lib. 4. ad Bonifacium cap. 3. Dissentionem Catholicorum à Pelagio, quoad hos duos effectus ita paucis explicat, *vt* legem *dicat & peccatum ostendere, non tamẽ tollere, & iustitiam iubere, non tamen dare: quod contra Apostolum negat Pelagius.* Hinc Pelagiani Ecclesiam accusabant, *quod legem Veteris Testamenti negarent, ob hoc datam fuisse, vt iustificaret obedientes: quia volebat hominem ex lege iustificari.* Tertio denique, vt habet August. de gestis Pelagianum cap. 11. volebant legem mittere ad regnum, quemadmodum Euangelium & Regnum cœlorum in veteri Testamento promissum, & ex lege promissionem, & hæreditatem esse.

His tribus effectis legi perinde ac gratiæ Christi concessis, corrumpebant falsis interpretationibus, quæcumque Apostolus scripsit, ad deprimendam quorumdam glorificationem in lege: quale est illud ad Romanos 5. *In quo infirmatur per carnem in illis*, inquit, *hominibus lex infirmabatur non in se*, & illud *lex iram operatur, non vitio suo*, inquit, Iulianus libro 2. operis imperfecti folio 369. *sed eorum iniquitate qui peccata virtutibus anteponunt.* Illud autem ad Romanos 6. *Lex subintrauit vt abundaret peccatum*; sic Iulianus libro 2. operis imperfecti folio 436. ad suam causam, & hæresim detorquebat, vt diceret *Catholicos consilio diuino, quo lex data fuerat, iniuriam intulisse; tanquam aliud factum sit quam Deus fuerit opinatus: neque hoc prouenit datâ lege, quod Lector legis intenderat.* Nempe, quia Deus legem dando, expectauerat vt à peccatis suis, *illâ gratiâ legis sanarentur:* sed vt Iulianus loquitur, *delinquentium prauitas eo ferro quo curari debuit, obstitit consilio Dei, vt ex lege periclitaretur, vnde debuerat sanari.*

Ad eumdem errorem pertinet diuisio generis humani, sub naturâ, sub lege, & sub gratiâ, à Pelagianis passim inducta, & ab Augustino refutata, locis multis, sed breuius, & validius, libro primo ad Bonifacium c.21. *Hoc vos non vultis inimici gratiæ Christi, vt eadem gratiâ Iesu Christi salui facti credantur Antiqui: sed distribuitis tempora secundum* Pelagium, *in cuius libris hoc legitur: & ante legem dicitis saluos factos esse homines per naturam*, nempe vsque ad tempus datæ legis, quia, vt inquit Diuus Prosper, [*Lex insita cordibus intus, hoc moneat quod scripta foris*] *deinde per legem, postremo per Christum saluos, factos homines: quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante legem scilicet, & in lege, Sanguis Christi non fuerit necessarius.* Datam fuisse legem, quasi ex duobus capitibus necessariam asserebant: vt ex Pelagio refert Augustinus de gratia Christi cap. 27. Quod vitiatis moribus, *vbi cœpit non sufficere natura, iam decolor, lex addita est: qua veluti limâ fulgori pristino, detrita rubigine redderetur.* Subiungebat ex alio cap. necessariam fuisse legem, vt contra *peccati consuetudinem homo legis exhortatione, & pœna muniretur.* Ita insinuat Pelagius in 3. caput ad Galatas. *Lex propterea data est, vt nos non transgredi, vel cogeret, vel doceret, vsque dum Christus veniret:* quem missum dicebant, vt refert ex Pelagio Augustinus de gratia Christi cap. 26. Vt tanquam *morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per seipsum, Medicus ipse subueniret; postquam nimia peccandi consuetudo praualuit, cui sanandæ lex parum valet.* Vnde tria remedia ex Pelagianis refert D. Augustinus de gratia Christi capite 39. *Quem ab hoc consuetudinis malo dicunt liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primo, omnia per baptismum peccata dimittit: deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem, virtutum vincit exemplo.*

PARAGRAPVS SECVNDVS.

Explicatio triplicis gratiæ ex Pelagianis à Christo hominibus collatæ.

DIVVS Augustinus de Naturâ, & Gratiâ cap. 18. summam colligit gratiarum, quas Pelagiani agnoscunt à Christo profectas; *remissionem peccatorum, doctrinam Euangelicam, & virtutum exempla.*

Quod ad primam attinet, Pelagius in caput quartum ad Romanos, primam gratiam remissionis peccatorum, tribus temporibus assignat, naturæ,& Circumcisionis,& Christianitatis. Videtur in primis nullo temporum discrimine, agnoscere hanc veniam fuisse gratuitam: quia vt ex illo refert D. Augustinus citato capite 18. *Propter veniam promerendam est Deus exorandus: ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio*, vt habet D. August. Epistola 95. cur vero venia sit gratuita, generatim rationem affert, ex illo Augustini cap. 18. *Quia id quod factum est, facere infectum, multum à Pelagio laudata potentia naturæ, & voluntas hominis non potest.*

Præter hanc communem omni statui gratuitæ peccatorum veniæ rationē, duo aut tria addunt, quibus gratuitam à Christo collatam peccatorum veniam volunt. Primo quia vt inquit Pelagius in cap. 4. ad Romanos, *non ex lege hæreditas, sed ex fide: lex enim non condonat peccata, sed damnat.* Hæc præceptoris verba fusius explicat Iulianus eius discipulus operis imperfecti folio 84. *Quia lex punit scelestos, vt habet illam efficientiam misericordiæ, quam baptismæ, in quo confessione breui, actuum delicta purgantur, & lex morum vulneribus comminatur: gratia vero efficaciter, & celeriter medetur.*

Quare, prima causa cur collata venia Christianis, dicatur gratuita, præ illa quæ ex lege sperari potest; in hoc est posita, *quod Christus ad assequendam illam eximat nos ab operibus legis ceremonialis*, non moralis, sola fide contentus. Ita habet Pelagius in caput tertium ad Romanos, vbi ait *ex operibus legis non iustificari omnem carnem, quæ non tam ad iustitiam, quam ad carnis lætitiam pertine-*

bant. Et in caput ſecundum ad Galatas, ait *huiuſmodi opera non propter iuſtitiam, ſed ad edomandam populi duritiam fuiſſe mandatam.*

Secundam gratuitæ veniæ cauſam habet, in cap. 4 ad Galatas, *Magna eſt beatitudo, ſine labore legis, & pœnitentiæ Domini gratiam promereri* Eo refert dictum Apoſtoli ad Rom. 11. *Sine pœnitentia eſſe dona Dei:* id eſt, *ſine afflictione pœnitentiæ, ſi crediderint ſaluabuntur.* Et in cap. 10. ad Romanos. *Talis eſt*, inquit, *ille qui Chriſtum credidit, die qua credidit; qualis ille qui vniuerſam legem implenit.*

Tertiam gratuitæ cauſam verã veniæ repetunt ex dictis ſuprà, de conſuetudine nimia peccandi, quæ ita inualuerat, vt à Iudæis impleri lex non poſſet, niſi præſto fuiſſet Chriſtus, doctrinâ Euangelij, ſuoque exemplo. Hinc arguit Iudæos Pelagius in cap. 10. ad Romanos, *ignorantes, quod Deus ex ſolâ fide iuſtificat: & iuſtos ſe, ex legis operibus, quam non cuſtodierunt, eſſe putantes; noluerunt ſe remiſſioni ſubijcere peccatorum, ne peccatores fuiſſe viderentur.* Subſcribit ſuo Magiſtro Iulianus, ab Auguſt. relatus lib. 6. contra illum cap. 23. in quam ſuperbiam tranſfert illa verba D. Pauli: *Quis me liberabit? Tanquam illos in ſe transfigurauit Apoſtolus, qui*, inquit, *contemnebant dona Chriſti, veluti ſibi non neceſſaria: quod veniam daret ille peccatis, qua ipſi legis admonitione vitaſſent.*

Sed tribus modis hoc beneficium Chriſti arctando corrumpebant. Primo ab illo, tanquam non neceſſario, excludebant eos, qui ex naturæ viribus legem ſeruaſſent; quales non dubitabant omnes eſſe poſſe, & plures reipſa exſtitiſſe; deinde vt Auguſtin. obſeruat de Gratiâ, & libero arbitrio cap. 13. *Gratiam Dei, qua data eſt per fidem Ieſu Chriſti, qua eſt lex, neque natura, ad hoc tantum valere volebant, vt peccata præterita dimittantur; non vt futura vitentur, aut repugnantia ſuperentur.* Ita vt inquit Iulianus relatus lib. 2. oper. imp. folio 450. Non agnoſcit *gratiam niſi in remiſſione peccatorum; vtiam de cætero per liberum arbitrium, ipſe homo ſeipſum fabricet iuſtum.* Et ideo vox Pelagianorum relata Sermone 2. ex verbis Apoſtolis cap. 6. *Sufficit mihi quod in baptiſmo accepi omnem peccatorum remiſſionem.* Præ-

tereà, negabant remissionem peccatorum esse gratuitam, sensu Catholico, quod homini Spiritus pœnitentiæ, sine vllo bonorum operum merito, conferatur.

Huic primo beneficio duo alia addebant, doctrinam, & virtutis exemplum, quæ passim ingerebant, & ex illis refert D. August. de gratiâ cap. 2. cap. 31. & Epistol. 143. Quæ tamen omnia non differunt à superiori beneficio legis, vt explicat D. Augustinus Epistola citata, quod *nobis*, inquit, *in gratiâ, vel adiutorio Dei, dicunt Dominum Christum bene viuendi propositum exemplum, ad eamdem doctrinam reuocant*: quia scilicet ab eius exemplo discimus, quemadmodum viuere debeamus: & hoc Christi exemplum ita exaggerant multis locis, vt eo corrumpant, quidquid Scriptura docet de gratiâ Christi singulariſſimâ: ad exemplum enim Christi referunt, quod Apostolus ait ad Corinth. 2. cap. 5. *Qui nos reconciliauit sibi per Christum*, id est, *per Christi doctrinam & exemplum*, quo volunt nobis datam victoriam per Christum.

Eo etiam refert illud ad Philippenses: *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet: cœpit*, inquit, *Pelagius doctrinam siue gratiam scientiæ, largiendo perficiet, perficiendo quod docti fuerint vt doceant.* Iulianus libro 5. de hac gratiâ multa habet: & ait *non potuisse dare exemplum naturam dissimilem*, id est, *Christum, nisi assumpsisset nostram naturam.* Et libro 2. oper. imperfect. folio 151. *Gratiam Christi in exemplo eius esse, non in dono, & antiquos dicebat, sine gratia Christi iustos fuisse, eò quod non habuerint eius exemplum.* Quod fol. 401. *vocat iustitiæ normam maximam, non primam.* Hoc vero exemplum non exit legem, & prædicationem, vt ait D. August. de Gratiâ Christi cap. 41. *Quia illâ nobis via demonstratur, quâ ambulare debeamus: vt iam viribus liberi arbitrij nullo alterius adiutorio indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via.*

Eò etiam spectant, quæ ex Pelagio retulimus, reuelatione sapientiæ, oculorum apertio, præmij præmissio, insidiarum detectio, cœlestis illuminatio, & suasio boni. Hæc enim omnia vt August. demonstrat de Gratiâ Christi cap. 7. *Ponunt gratiam in lege & doctrina, & quouis modo suggeratur, veritatis eritur cognitio, non dilectio.* Quare D.

Auguſt. de gratiâ, & libero arbitrio cap. 23. ait *legis à Deo ſcientiam eſſe fatentur Pelagiani, charitatem ex nobis ipſis volunt.* Quod ſatis indicat Pelagius in caput primum ſecundæ ad Timoth. gratias ago Deo quia nos talem in alterutrum docuit fidem: atque hinc corrumpunt Pelagiani Catholicorum doctrinam aſſerentium Dei gratiam, & adiutorium ad ſingulos actus dari. Cum enim à Patribus Paleſtinis obiectum eſſet Pelagio, Cœleſtium ſcripſiſſe *gratiam Dei, & adiutorium ad ſingulos actus non dari; ſed in libero arbitrio eſſe,* vel in lege atque doctrina, vt habet D. Auguſtinus de geſtis Pelagianorum cap. 14. Pelagius negauit hanc doctrinam ſuam eſſe, & vt refert Auguſtinus de Gratiâ Chriſti cap. 2. *Anathematizauit, qui ſentit, vel dicit, gratiam quâ Chriſtus venit in mundum peccatores ſaluare; non ſolum per ſingulas horas, aut etiam per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros, non eſſe neceſſariam: & qui hanc conantur auferre, pœnas ſortiuntur æternas.*

Sed hanc gratiam in hoc ponit, vt *ſemper in memoria retinentes dimiſſa nobis eſſe peccata, non peccemus vlterius, adiuti non aliqua ſubminiſtratione virtutis, ſed viribus propriæ voluntatis, quod ſibi remiſſione peccatorum præſtitum fuerit per ſingulos actus recordanti: & vt in omni conuerſatione noſtra intueamur Dominicæ conuerſationis exemplum.* Hoc idem effugium Pelagius apertiùs explicat eiuſdem libri cap. 31. *Si quæras cur dixerit, ſemper nos adiuuari diuino auxilio? Poterit reſpondere, quia dictum eſt in lege eius meditabitur die ac nocte.* Hinc patet profunda calliditas Pelagianorum, qui Eccleſiæ his encomiis legis illuſerunt, ſed periculoſius aliud genus adiutorij Dei idem prorſus diuerſis verbis obtrudunt, de quo Paragrapho ſequenti.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Interpretatio adiutorij poſſibilitatis ſecundum mentem Pelagianorum.

SENSIM deduximus Pelagianam hæreſim per tres priores ſtatus, Helleniſmi primum, quæ nudam naturam

prædicat : Semihellaniſmi ſecundum quod naturæ gratiam extollit. De tertio quem Iudaiſmum vocauimus multa diximus : plura ſuperſunt dicenda, maxime de adiutorio poſſibilitatis, tum interno, tum externo, quod pleniſſimum admiſiſſe demonſtrabimus Pelagium & totam controuerſiam cum Catholicis, fuiſſe reuocatam ad auxilium voluntatis, & operationis, quod pertinaciſſime negabant contra D. Auguſt. neceſſarium eſſe ad ſingulos actus bonos, imo ex octo capitibus illud acerrime impugnabant, quæ argumenta hodie inſtaurant Recentiores, contra gratiam præmouentem, aut efficacem per ſe, quâ aſſerebant tolli liberum arbitrium, ſiue adſit, ſiue deſit; voluntatem cogi, induci neceſſitatem, & fatum, ſecuritatem ignauam afferri, laudem præmium, & meritum tolli.

Eâdem gratiâ actionis, & voluntatis, ſed diſtinctâ à poſſibilitatis gratiâ, qualem Auguſt. paſſim propugnabat, aliquod ſcandalum paſſi Monachi Adrumetini, non quidem gratiam negabant, ſed cum illa ſtare libertatem: quia cum eſſent Catholici, quidlibet ſibi tolli malebant, quam gratiam Dei. Ex quibus omnibus, ſtatim exactiùs demonſtrandis, meridiana luce clariùs patet, inter Pelagianos & D. Auguſt. nunquam contentionem fuiſſe de adiutorio poſſibilitatis, ſeu interno, ſeu externo, ſeu Morali, ſeu Phyſico, ſeu habituali per gratiam, ad quoſcumque habitus ſtudioſos; ſiue actuali, quod ſemper præſens nutui voluntatis aſſiſteret, vel ab humano penderet arbitrio, & ab illo efficaciam ſumeret, ſiue quod idem eſt, determinationem expectaret. De tali enim adiutorio, Cœleſtius dicit : *Propterea & ipſa gratia in meâ voluntate eſt poſita, ſiue dignus fuerim ſiue indignus. Si enim per gratiam omnia facimus non nos vincimur. Sed de gratia*, quæ voluit nos adiuuare omnimodo, & non potuit.

Neque huiuſmodi gratiam ſuſpenſam, & pendentem à libero arbirrio inferri poſſet, cum Cœleſtio & Hieronymo ad Cteſiphontem libertatem deſtruere, nec cum Pelagio ex D. Auguſt. de gratiâ Chriſti cap. 7. *Sine voluntate noſtrâ ſanctitatem perficere*, nec cum Monachis Adrumentinis de correptione & gratia *ſic velle, & operari in nobis efficere, vt nos non agamus*, nec cum Iuliano libri primi operis imperfecti, *inuitos cogere ad bo-*

num, impsnere neceſſitatem volendi bonum, ipſam libertatem boni neceſſitate ſubuertere. Nec ex Auguſtino lib. 2. ad Bonifacium cap. 5. & 4. cap. 8. *Fato, & fatali neceſſitate hominem bonos facere.* Et vt ait Iulianus lib. 1. imperfecti. *Sine cura ſanctitatis gloriam efficere:* vt 4. contra ipſam cap. 8. ait *nihil ſtudij ab humana voluntate expectare.* Ideoque vt ex Pelagianis refert D. Auguſt. Epiſt. 2. ad Valerianum: *Non vt nos qui laborauimus, ſed Deus ipſe, vel Dei in nobis coronetur auxilium: ipſum laudetur, ipſum ſuperetur, ipſum culpetur, ipſum damnetur.*

Hæc vero omnia importari in auxilium poſſibilitatis, ſubiectum libero arbitrio, omnem omnino ſuperat fidem: & tamen perſuadere volũt Recentiores eo cæcitatis deueniſſe Pelagianos, vt ſeipſos ab illis ſeiungant, qui eodem prorſus ſenſu induxerunt ſuum poſſibilitatis auxilium, & illud auxilij, & voluntatis D. Auguſt. omnino aduerſantur, vt alterum horum omnino dicendum ſit, vel Catholicos duce Auguſt. pugnaſſe cum Pelagianis, more Andabatarum clauſis oculis, vt neutrum ferirent, aut intelligerent alteros: vel Pelagianos propugnaſſe gratiam ſufficientem, quæ huius vſum expectaret à voluntate, & Auguſt. eâ reiectâ per ſe efficacem nomine totius Eccleſiæ docuiſſe. Et cum eò reuocata ſit tota Scholæ noſtræ cum recentioribus controuerſia, duplici genere Argumentorum, demonſtrabimus, inter illos pugnatum de gratiâ per ſe efficaci, & prædeſtinante, ad minus quoad bonos actus, qui ad ſalutem conferant.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Quo conuincitur inter D. Auguſtinum & Pelagianos pugnatum de gratia efficaci.

PRIMVM Argumentum repeto à diſtinctione Pelagianorum, triplicis gratiæ, quam refert, & refellit D. Auguſt. de gratiâ Chriſti Cap. 5. *Poſſibilitatem*, inquit, *voluntatem, actionem tantâ ſubtilitate curauit diſtinguere Pelagius; vt quandocunque legimus, vel audimus diuinæ gratiæ adiutorium confiteri, ſiue in lege, atque doctrinâ,*

siue vbilibet constituat; sciamus quid loquitur, nec erremus: aliter eum intelligendo quam sentit: scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem, diuino credit adiuuari auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solam in his tribus, nos affirmat habere ex Deo, tanquam hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in naturâ, catera vero duo qua nostra esse voluit; ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio: & ideo non adiuuet vt velimus, vt agamus; sed tantummodo adiuuet, vt velle, & agere valeamus. Non sic tamen negabant Deum adiuuare ad volendum, & operandum; quin hoc vltro concederent ratione adiutorij possibilitatis: sicut ex illis refert D. August. de gratiâ Christi, Cap. 4. *Ergo, inquiunt, in voluntate, & opere, laus hominis est: imo hominis, & Dei, qui ipsius voluntatis, & operis possibilitatem dedit; quique ipsam possibilitatem gratia sua adiuuat auxilio.*

Quod paucis perstrinximus primum Argumentum pluribus Ioannes à S. Thoma, Aluares, & alij prosequuntur: nobis etiam nonnulla sunt addenda, necessaria futuræ disputationi cum Aduersariis, de mente D. Augustini. Id summe obseruandum est; adiutorium possibilitatis, pluribus distingui, ab adiutorio voluntatis, eaque discrimina causam esse controuersiarum, Catholicos inter & Pelagianos.

Primum discrimen omnium, & ab ipsis verbis repetitum est, adiutorium possibilitatis nos dici adiuuare, vt velle, & agere valeamus: quia eo fine adhibetur, vt voluntas, & actio consequatur; quamuis reipsâ non sit iunctum actioni: quo maxime differt ab auxilio operationis dato, non solum ad hunc finem, vt consequatur effectus; sed quia reipsâ consequitur, & hoc satis significat D. August. libro de Gratia Christi, Cap. 5. *ideo*, inquit, *Pelagius, adiuuat non vt valeamus, & agamus; sed vt velle, & agere valeamus.* At contra inquit D. August. nos adiuuari dicit: *Non tantum in eo quod operari possumus, sed in eo etiam quod operamur.* Et cap. 47. ad finem libri concludit, *per illud adiutorium ipsam quoque volitionem, & actionem qua non sunt in homine, nisi quando vult, & bene agit, diuinitus adiuuari.*

Hinc

Hinc naſcitur ſecundum diſcrimen: quod adiutorium poſſibilitatis pertineat ad actum primum, ſitque eius ſupplementum, quo fiat ad agendum habilis, aliud vero ſit adiutorium actus ſecundi, quem reipsà infert.

Hinc tertium conſequitur diſcrimen, quo duo ſuperiora illuſtrantur: vt adiutorium poſſibilitatis ſit adiutorium, quod vocat D. Auguſt. *ſine quo non*, fieri abſolute poteſt, aut ita facile actio: quale eſt alimentum ex D. Auguſt. de correctio. & grat. cap. 12. ſine alimentis non poſſumus viuere; ſicut nec ſine luce videre: nec tamen cum affuerint alimenta, eis ſit vt viuat, qui mori voluerit, aut vt videat præſente luce, qui oculos clauſerit. Ergo adiumentum alimentorum, & lucis, eſt ſine quo non fit, non quo fit, vt viuamus, & videamus. At vero beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus: adiutorium enim eſt non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Diſcrimen ergo vtriuſque adiutorij, & ſimilitudo prioris cum alimento, & luce, in hoc eſt poſitum; quod adiutorio ſine quo non, ſicut alimento, & luce, quiſque ad libitum vtitur & ceſſare poteſt, quantumcunque poſſibilitas adiuuetur: adiutorium vero actionis ſit illud, quod qui habuerit, continuò velit, & agat.

Hinc exiſtit quarta differentia, & iiſdem exemplis illuſtratur, quod adiutorium poſſibilitatis indifferens ſit ad velle, & non velle, & quantumcunque creſcat, nunquam exeat ab ordine poſſibilitatis, eamque trahat ad actum ſecundum, ſicut patet exemplo lucis, & alimenti: neque enim lux corporis, quantumuis cum acie videntis influat ipſam actualem viſionem affert, vt D. Auguſt. notat lib. 2. de peccatorum meritis cap. 5. *Etiam vt conuertantur ipſe Deus adiuuat, quod certè oculis lux corporis iſta non præſtat.* Quibus verbis manifeſtè confirmat diſcrimen, hoc noſtrum inter auxilium poſſibilitatis & operationis. Id enim præſtat teſte D. Auguſtino, quod negat luci, vt ſcilicet adiunctam habeat operationem, ad quam datur.

Idem diſcrimen manifeſtum eſt exemplo alimenti, quod ſimile diximus adiutorio poſſibilitatis, & *ſine quo non*. In eo autem ſita eſt ſimilitudo, quod ſicut, cum quis agit cum adiutorio, *ſine quo non*, vt ſi volens comedat, &

viuat, vtendo alimentis : non propterea alimentum desinit esse adiutorium, *sine quo non*, tantum, etsi per illud actu fiat actio : ita etiam adiutorium possibilitatis, vi voluntatis ad agendum applicatum, non propterea exuit naturam adiutorij possibilitatis, & in naturam adiutorij voluntatis transit : quia non facit vt actu velit, aut agat, sed nutu & arbitrio voluntatis possibilitas adiuta, ab actu primo in actum 2. perducitur, vt patet de scientiâ, habitu, luce, & alimento.

Hinc tandem deducitur quintum discrimen, quo superiora confirmantur : quod adiutorium possibilitatis sit subiectum voluntati, & ab illâ sui vsum repetat : adiutorium vero actionis, dominetur libero arbitrio. Et ideo Pelagiani illud execrantur, neque vllo modo audire possunt, & ferre aliquod genus adiutorij, quod operetur in nobis actionem, & ex nolentibus volentes faciat : nam vt inquit Iulianus libro 1. Op. Imp. folio 38. *Hæc igitur voluntas seu volitio, quæ alternatur, originem possibilitatis in libero accepit arbitrio : ipsius vero operis existentium, à se suscepit*; Et Pelagius : *Quasi*, inquit, *Deus gratia sua aliquid imperauerit; & non illis quibus imperauit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret : vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, facilius implere possint per gratiam.* Agnoscunt ergo quodcunque genus gratiæ, quod maiorem facilitatem, & robur afferat, vt cum possibilitas ipsa, scilicet cum voluerimus, quod iubemur facere, simul in actionem, & in voluntatem influendo concurrat.

Hinc dicunt Deum & gratiam prouocare voluntatem, allicere, expectare vt illa cooperetur : eas vero auersantur voces quibus dicitur Deus præparare voluntatem, operari, velle & perficere : atque ita corrumpunt illud ad Philipp. 1. *Vobis donatum est non solum vt in eum credatis, id est*, vt inquit Pelag. *Occasio fidei donata est à Deo : quia si non venisset Christus, non vtique crederemus.* Cæterum adiicit, fidem voluntariam in actibus legimus. Ergo Pelagiani admittunt auxilium possibilitatis, & *sine quo non* : quod omnino idem est cum auxilio sufficiente, à voluntate in actum deducendo : *Auxilium* vero *quo*, siue efficax, & dans velle, omnino execrantur, & octo insinua-

tis Argumentis acerrime impugnant, quod ſiue adſit; ſiue deſit, ſui præſentia maxime libertatem tollat, quod voluntatem cogat, &c.

Ex his ergo omnibus, fuſiùs infra forte proſequendis; conſtat gratiam efficacem, quæ det operari, iiſdem Argumentis à Pelagianis, & Recentioribus impugnari: eodem ſenſu à Catholicis olim, & à nobis defendi, quod euidentiùs conſtabit ſecundo Argumento, ab adiutoriis quibuſcumque, poſſibilitatem roborantibus, quæ Pelagiani admiſerunt.

Paragraphvs Qvintvs.

Secundum Argumentum ab auxiliis quinque, quæ Pelagiani admiſerunt.

Non poteſt euidentius demonſtrari Pelagianos vnam gratiam per ſe efficacem impugnaſſe, quam hoc ſecundo Argumento; quo præter illam probamus nullam reliquarum, quæ poſſibilitatem iuuet, negaſſe. Multiplicis generis auxilia poſſibilitatis diſtinguere poſſumus: quædam ſunt externa, interna alia, & vtriuſque generis varia; quæ ad quinque potiſſimum capita reuocabimus, probaturi luculentis Pelagianorum teſtimoniis; admiſſa fuiſſe ab ipſis, vni gratiæ actuali voluntatem infallibiliter flectenti infenſis. Gratiarum vero quæ approbarunt genera quinque hæc ſunt. Primò moralis in lege, doctrinâ Chriſti, & exemplo, vel in cogitationibus ſanctis, intus immiſſis poſita. 2. Concurſus generalis Dei ſiue ſimultaneus, ad omnes creaturæ operationes, nullâ exceptâ neceſſarius. 3. Gratia habitualis cum omnibus effectibus tum priuatiuis, tum poſitiuis, tum relatiuis, quos illi ex Scripturâ Patres attribuunt. 4. Quod tertio loco recenſendum eſt, ſunt habitus acquiſiti. 5. denique eſt gratiarum actualium voluntatis, ſeu motuum indeliberatorum, qui poſſibilitatem iuuant, non determinant voluntatem.

Primum quidem genus gratiarum moralium, quâcunque ratione explicentur, approbaſſe Pelagianos, ipſorum verbis fuſe demonſtratum eſt: quibus adde ex Auguſt. de Hæreſibus, Hæreſi 88. *Ac per hoc diminitus nobis*

dari scientiam consitentur, quâ ignorantia pellitur. Et iis auxiliis non aliud vult Pelagius accipi, quam legem, atque doctrinam, quâ naturalis possibilitas adiuuatur. Et sicut ait D. Augustinus de Gratiâ Christi cap. 12. *Efficiunt vt facienda nouerimus verum etiam vt cognita faciamus.* Et sicut interpretatur illorum mentem Concilium Carthaginiense Canone quinto: *Per illa auxilia nobis aperitur quidem intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, aut vitare debeamus: nequaquam vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus.*

Et ne dicas hæc auxilia extrinseca tantum esse ab obiecto, & ministerio hominum: in Spiritum sanctum referunt interius illuminantem, vt apud D. Augustinus cap. 4. de Gratiâ Christi dicant: *In ipsâ reuelatione Spiritum sanctum esse adorandum.* Sed his omnibus admissis auxiliis moralibus, hoc maxime dissentiunt nomine à Catholicis, quod excludant gratiam actualem Physicam, quæ de nolentibus volentes faciat, vt testatur D. Augustinus de Gratiâ cap. 24. *Legant, & intelligant, non à lege atque doctrinâ forinsecus insonante, sed internâ, atque occultâ, mirabili, & ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solum veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates:* Quare merito Clemens VIII. Congregatio 37. Vastidæ gratiam Christi totam ad morales inspirationem reuocanti, respondit illius generis gratias omnes à Pelagio, Cassiano, fuisse receptas.

Secundi generis auxilium est concursus Dei generalis, ad omne genus rerum, & operationum, quæ à creaturis fiunt, ad minus simultaneus, omnino necessarius: hunc vero admisisse Pelagianos omnes, apertissime demonstrari potest illorum testimoniis, quale est illud Iuliani libro 2. operis imperfecti folio 236. *Quatuor hic personarum causa vertitur; Dei opifici, duorum parentum, de quibus materia præstatur operanti Deo, & paruuli, qui nascitur.* Quare idem lib. 2. contra Iulianum cap. 1. acriter impugnat Catholicorum fidem de peccato originali, quod inde viderentur Diabolum facere hominem nascentium conditorem: & D. Augustinus contra Iulianum libro 3. cap. 18. amolitur tres calumnias à Iuliano illatas. *Nec puto*, inquit, *quod hominem Deus non fecerit, aut*

Diabolo fecerit, aut Diabolus fecerit. Et operis imperf. folio 51. sic inducit loquentem Iulianum. *Vt igitur prima fidei fundamenta cognoscas, noster Deus factor est omnium, quæ non erant, & dispensator omnium quæ sunt.*

Vt à pluribus supersedeam citandis, tota controuersia inter Pelag. & Cathol. est reuocata ad gratiam, quâ Christus venit, non concursum generalem tribuere, sed peccatores saluare. Atque hinc solui potest, quod nonnulli obiiciunt, ex Epistola ad Ctheſiphontem, vt probent negatum à Pelagianis concursum simultaneum, & generalem, quod Hieronymus ex illis Argumentum referat. *Si voluero curuare digitum, mouere manum, sputa iacere, releuare aluum, vrinam dirigere, semper mihi auxilium necessarium erit?* Sic enim arguebant Pelagiani, nonvt concursum Dei simultaneum negarent, sed vt Catholicos quasi ridiculos traducerent: quod vt huiusmodi actiones indifferentes prodessent ad salutem, & in gloriam Dei, referrentur, opus esset gratiâ ad singulos actus conferendâ. Tantum vero abest vt D. Augustinum, & Hieronymum pudeat huiusmodi consecutionis; quin potius, contra illorum opinionem, & jocos sacrilegos inculcent ad Deum semper recurrendum, iuxta illud, *oculi mei semper ad Dominum*, & illud, *non est in homine via eius.* Addunt etiam ex D. Iacobo opus esse Dei singulari prouidentia, vt quæ statuimus, & operationes naturales feliciter succedant: *Ecce qui dicitis hodie, aut cras proficiscemur in illam ciuitatem, faciemus illic annum vt negotiemur: pro eo quod debeatis dicere, si Dominus voluerit, & vixerimus, faciemus hoc, aut illud.*

Tertium genus auxiliorum positum est in studio nostro comparatis, habitibus, de quibus Pelagius, Epistola ad Demetriadem accurate docet, multoque elegantius, quid quid Theologi tradunt in scholis, quale est illud: *Occupandum est optimis rebus ingenium, & sanctæ conuersationis huius altius inserenda est. Tum vero ad perfectionis fastigium animus ascendit, & longæ conuersationis beneficio vti tum ad bene viuendi facultatem, & virtutes suas in se miratur quodammodo; natum esse putat quod didicit.* Et ibidem. *Si illi, qui longo peccandi vsu, bonum quodammodo obruere naturæ, instaurari per pœnitentiam possunt, & mutatâ*

voluntate, viuendi consuetudinem consuetudine extinguere, & optimi quique de pessimis fieri. Et infrà. *Monet mutare singulasque virtutes animi formare in se, atque perficere, grandis studij esse, & longæ consuetudinis.* Atque huc reuocari potest ex Pelagianis sententia relata in Synodo Palæstina: *Vnumquemque hominem omnes virtutes posse habere, & gratias.* Sed hos omnes habitus accensebant auxiliis possibilitatis, quæ voluntatis arbitrio, quoad vsum, omnino subiicerentur, ac proinde ab illis nullum libertatis periculum timebant.

PARAGRAPHVS SEXTVS.

Gratia habitualis admissa est à Pelagio.

GRAVIOR est difficultas de gratiâ habituali, aliisque donis supernaturalibus, & infusis, quæ omnia Suares ait libro 7. de gratia cap. 6. & Prologomeno 5. ignota, & improbata Pelagianis, quod in Concilio Mileuitano Canone 3. damnentur, quasi gratiam ad solam peccatorum remissionem valere vellent: & vt inquit D. August. Epist. 95. de Gratiâ Christi cap. 2. Pelagius cognouerit gratiam remissionis peccatorum, non tamen intellexerit fieri, vel nos saluari aliquâ subministratione virtutis, sed propriæ voluntatis; nec vllos actus supernaturales admiserit.

Sed hæc debiliora sunt, vel minus sincere relata, quam vt dubiam facere possint Pelagij mentem de Gratiâ sanctificante, donisque supernalibus baptismo receptis, cum nullus SS. Patrum superet, & pauci æquent eorum eloquentiam, in explicandis, & amplificandis gratiæ habitualis muneribus, & effectis, quæ verbis elegantissimis, & iuxta efficacibus, notat Suares explicari à Chrisostomo Homilia ad Neophytos, dum ait: *Non tantum baptizati sunt liberi, sed & sancti: non tantum sancti, sed & iusti: non solum iusti, sed & filij: non solum filij, sed & heredes: non solum heredes, sed & fratres Christi: non tantum fratres Christi, sed & coheredes: non solum coheredes, sed & membra: non solum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organum Spiritus. Vides quot sint baptismi largitates? Et nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere; nos autem*

honores computauimus decem, & hac de causa infantes baptizamus, quatenus non habentes peccatum (id est actuale) *vt eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas fraternitas Christi vt eius membra sint.*

Mirum est Suarem agnoscere, non potuisse expressiùs gratiam sanctificantem à D. Chrisostomo statui; & à Pelagianis negatam: cum eam doceant passim nihilo efficacioribus verbis. Quid enim sibi volunt illa Iuliani verba libro 1. contra Iulianum cap. 17. *Vt bono eorum naturali bonum sanctificationis accedat, vt sint infantes Sancti Dei filij.* Et illa eiusdem lib. 1. Op. imper. folio 61. *Per baptismum peccatorem fieri ex malo perfecte bonum, ex bono fieri meliorem, id est, optimum, & vt ambo quidem in Christi membra transeant consecrati.* Vix vlli sunt gratiæ effectus (præter duos quos infrà annotabimus) à Patribus, & Theologis adscripti, quos Pelagiani non agnoscant: & ideo Iulianus libri 1. operis imp. folio 58. ait: *Nos igitur in tantum gratiam baptismatis omnibus vtilem atatibus confitemur; vt cunctos, qui illam non necessariam, etiam paruulis putant, aterno feriamus anathemate. Sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus, ac reuerenda virtutibus, pro infirmitatum generibus, & humanorum statuum diuersitatibus, vna tam remediorum collatoine, quam munerum virtute, medicatur. Quæ cum admouetur, non est mutanda pro causis: Iam enim ipsa dona sua, pro accidentium capacitate, dispensat.* Hoc ideo dicit, quia adultis aliqua, paruulis nulla, per eumdem baptismum peccata remitti putat: & adultis censet conferri baptismum, & gratiam, quia peccarunt, non vt non peccent: siue dari ad remittenda peccata præterita, non ad cauenda futura.

Si hæc duo excipias, nihil differunt Pelagiani à Catholicis, quoad reliquos gratiæ effectus. Illorum enim duo genera distingui solent: alij priuatiui sunt, vt remittere peccata, abstergere: alij positiui: & si rursus, vel absoluti sunt, vt efficere iustum, & Sanctum; vel ad aliud ordinati, & relatiui, vt facere Filium Dei, & heredem. Effectuum primi generis, seu negatiuorum gratiæ, quinque colliguntur ex Pelagianis, absolutorum octo, quatuor relatiuorum: vt mirum sit posse negari, ab illis

non fuisse agnitam gratiam habitualem, de quâ adeo magnifica docent, & verbis quæ vix possint Theologi æquare. Iam loca ex ipsis attulimus, quibus docent remissionem peccatorum conferri *à gratiâ Christi pro efficacissimâ potestate medicinæ* (vt inquit Iulianus libri 2 operis imp. folio 314.) *quæ criminibus ita communiter subuenit, vt diuersas species reatuum vnius vi consecrationis abstergat.* Et si dicas, admittere tantum remissionem peccatorum condonatione extrinsecâ pœnæ: hoc refellit idem Iulianus folio 401. *Gratia infusa, semel vno virtutis suæ impetu, atque compendio, diuersa, & plurima delet crimina.* Hoc certe genus remissionis, impetu gratiæ, efficacissimâ ipsius potestate, resipit aliquid altius condonatione extrinsecâ peccatorum. Alia loca ex illo retulimus quæ idem confirmant.

Adde Pelagianos, alios quatuor negatiuos effectus, gratiæ attribuere: quorum secundus est purgatio à delictis, à quibus ait Pelagius Epistola ad Demetriadem: *Nos expiari Christi sanguine, & mundari.* Ille forte coincidit cum primo: sed expressius potest distingui quem habet Iulianus lib. 2. operis imp. folio 423. *Efficacius operari ad collationem salutis, & copiosius gratiam saluatoris, quam peccatum Adæ.*

Tertium illi effectum renouandi, & innouandi, attribuit idem Iulianus lib. 7. & Aug. ex Iulian. *Quos fecerat,* inquit, *condendo, bonos facit innouando, adoptandoque meliores.* Et si D. August. libro 6. contra Iulianum cap. 13. dicat, ex Pelagio homines, per baptismum non innouari, liberari, & saluari, sed quasi innouari, &c. de paruulis, id est accipiendum, non de adultis: quia illis nullam peccati vetustatem, sed istis tantum inesse, & remitti censebant.

Idem confirmat quartus effectus instaurandi naturam, de quo Epistola ad Demetriadem Pelagius ait: *Vide quid Christiani facere possunt quorum per Christum instaurata natura est.* Et ibidem addit etiam: *Illi qui longo peccandi vsu obduruere, instaurari per pœnitentiam possunt: quatenus animus per renouationem internam, peccatorum sorde mundatur; & in pristinam natiuitatis innocentiam, in quâ dicunt Adam fuisse, restituitur.*

Quintum addunt effectum liberationis à morte huius corporis, & à contractâ peccandi consuetudine : quam adeo absolutam volunt, vt veluti crimen obiiciant Catholicis, ex Augustino libro 1. ad Bonifacium cap. 13. *Baptisma non auferre crimina, sed radere : vt omnium peccatorum radices in malâ carne teneantur :* quasi rasorum in capite capillorum vnde crescant, iterum resecanda peccata : & item illud baptisma non vere homines nouos facere, sed ex parte filios Dei fieri : ex parte autem filios sæculi, id est, Diaboli manere, nempe quia putant, collatâ remissione peccati, non habere aliquid quod mortificent.

His priuatiuis effectibus, conuincitur Pelagianos admisisse remissionem peccatorum internam : quod euidentiùs patebit, si octo decurramus effectus positiuos, quos gratiæ attribuunt : quorum primus, & reliquorum origo, est regeneratio, quam Iulianus vocat suprà citatus consecrationem. Vndè Augustl. libro sexto contrà Iulianum capite 10. cum Deus paruulis, nihil de proprio, tam boni quam mali merentibus, gloriam regenerationis attribuit ; hoc ipso ad suam curam, ad suum ius pertinere docet : quod eorum voluntatem ineffabilis præuenit beneficii largitate.

Regenerationem consequitur illuminatio ; vt idem Iulianus agnoscit libro primo operis impefect. folio 50. Dum paruulis ante baptismum mortuis, ait non dari illuminationem spiritualem, quæ fit per fidem habitualem, quam pro tertio effectu gratiæ agnoscunt. Et ideo D. Augustinus ex illo effectu contra illos, arguit libro 3. de peccatorum meritis cap. 9. *Nam vtique, quos paruulos per Sacramentum fidelium, fideles faciendos esse iudicatis ; infideles natos ex parentibus fidelibus non negatis.* Et ideo libro sexto contrà Iulianum cap. 3. ad illos ait pertinere sententiam dominicam : *Quid non crediderit, condemnabitur.* Et libro primo de peccatorum meritis cap. 2. ait *paruulos credere, non solum per corda, & ora gestantium, sed gratiâ Christi, quæ illuminationem, & iustificationem intrinsecus operatur : & Christus sui Spiritus occultissimam gratiam latenter infudit, & paruulis.* A quo dogmate Catholico nunquam suspicatus est Pelagianos dissentire.

Iustitiam, & iustificationem quartum gratiæ habitualis agnoscunt effectum: vt Iulianus libro 2. operis imp. folio 44. Nempe cum *viuentibus Apostolus loquebatur, & his dicebat, iustitiam per mysteria baptismi, fuisse collatam*; quod ad paruulos volebant pertinere: *quia* vt inquit D. Augustinus libro primo de peccat. meritis, *sicut peccatores non sunt, ita nec iusti sunt, & ideo debere baptizari.* Quare illos vrget D. Augustinus lib. 2. operis imperfect. fol. 302. *Cur fateri dubitatis, sic paruulos ex Adam potuisse habere peccatum, sine meritis propriæ voluntatis malæ; quemadmodum à Christo sunt percepturi iustitiam, suis sine meritis præcedentibus voluntatis bonæ.*

Iustificationem consequitur sanctificatio in Christo: ideo D. Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis cap. 6. ait ex Pelagianis *paruulos non baptizari vt remissionem accipiant peccatorum, sed vt in Christo sanctificentur*, & hoc differre volunt baptismum paruulorum ab adultorum baptismo. Sanctificationi, addunt spiritualem procreationem, vt refert D. August. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 18. Dicunt *paruulos, recenti vitâ editos, non propter remittendum peccatum, percipere baptismum: sed vt spiritualem procreationem non habentes, creentur in Christo.*

Septimum baptismi munus censent, Christi corpori baptisatum, veluti membrum inseri. *Paruulos* inquit D. Augustinus lib. 6. contrà Iulianum cap. 2. *Fatemini cum in corpus Christi transeunt, de mundo eligi, necesse est vt ei nascantur, de quo eliguntur, vt renascantur.* Fiunt vero membra Christi ratione gratiæ habitualis à Christo, vt à capite deriuatæ, sicut explicat D. Thomas tertia parte quæst. 69. art. 4.

Octauus denique gratiæ effectus, est vnctio Spiritus Sancti, à quâ D. August. lib. 1. contrà Iulianum cap. 4. vrget Pelagianos. *Præclari*, inquit, *prædicatores, sic Christum prædicatis, id est, vnctum, & à quo vnguntur, vt negetis paruulorum esse Iesum, id est, saluatorem, qui eos à peccato originis saluet.*

His effectibus positiuis & absolutis, addunt quatuor relatiuos: primum reconciliationis, quâ ex inimicis fimus amici mutuâ dilectione, qualem exigit vera amicitia,

cum Deo iuncti. Ideo Pelagius in caput primum ad Galatas: *Gratia vobis & pax: quia*, inquit, *remißis delictis omnibus, reconciliati fuerant Deo.* Huic primo effectui addunt secundum adoptionis. *Hæc gratia*, inquit Iulianus libri primi operis imperfecti folio 139. *quæ in baptismate non solum peccata condonat, sed cum hoc indulgentiæ beneficio, & prouehit, & adoptat, & consecrat.* Et lib. 3. contra Iulianum cap. 3. *Quos fecerat Christus condendo bonos, facit innouando & adoptando meliores.*

Tertio efficit gratia templum Dei, vt egregie docet Pelagius secundæ ad Corinthios cap. 5. *Tribus*, inquit, *modis ineſſe Deum legimus: secundum infinitatem, iuxta illud nonne cœlum & terram impleo? Secundum sanctificationem peculiarem in sanctis, iuxta illud: Et inhabitabo in illis. Secundum plenitudinem diuinitatis in Christo.* Et in cap. sexto illa verba Iusti templum Dei sunt, *cum vbique sit Deus, tamen in illis proprie habitare sè dicit, qui eius gratia perfruuntur, & qui mundum ei præparant, sui cordis hospitium.*

Quartus denique effectus gratiæ, est ius hæredis Dei, & cohæredis Christi, sicut refert D. Augustinus ex Pelagianis libro primo de peccatorum meritis cap. 18. Hinc dicunt baptisandos pueros vt regnum æternum adipiscantur.

Hos vero effectus non aliqua denominatione extrinsecâ, sed gratia internâ conferri, egregie explicat Auctor quæstionum veteris ac noui Testamenti quæst. 8. verus Pelagianus: *Senatorum*, inquit, *dignitas, non habet apud Deum meritum, neque ipsa natura consequitur beneficium; sed in solo sermone dignitas vertitur, qui currit per traducem carnis:* quia nomine carnis filij Senatores vocantur, *sed nihil aliud præstat, quam opinionem dignitatis, sicut hi qui sunt consules, aut statuis honestantur gaudent in vano.* Christiani autem cum fiunt, ipsis naturæ accedit dignitas; & essentia hominis habet æternum incorruptibilitatis beneficium, vt non opinione sola, sed & sint in effectu apud Deum. Non possent Scholastici qui verborum proprietatibus student, luculentiùs, & exactiùs gratiam Christianam, vt formam internam significare, quam Pelagiani quos citauimus; & hic maxi-

mè postremus, quem Pelagianum fuisse, nemo dubitabit, qui hæc eius verba quæst. 80. legerit. Neque filij Dei sunt, qui nascuntur, neque filij Diaboli.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

Soluuntur Argumenta Suaris, quibus contendit gratiam habitualem negatam fuisse à Pelagianis.

HÆc vero quæ fuse attulimus, non eleuant Suares coniecturæ, quæ si quid virium habeant, à præconceptis Scholæ opinionibus, non à principiis Pelagianorum sumunt. Quod enim dicit, Pelagianos, actus supernaturales agnouisse nullos in nobis, & in Adamo; ac subinde habitus supernaturales sustulisse, qui ad actus similes producendos dantur; non admodum efficax est ad rem propositam conficiendam, nedum ex Pelagianorum, sed neque etiam ex nonnullorum Theologorum mente, qui censent habitus in actus non influere actiue, sed dispositiue, eâ ratione, quâ figura, & acuties aptant sagittam ad scindendum aërem, & vulnus inferendum: deinde poterant admittere habitus supernaturales ad effectus formales explicatos, sicut sanitatem & pulchritudinem ad corporis integritatem & ornamentum, non ad actus producendos.

Neque obstat quod Adamo, & ab eo genitis filiis, nullum concedant habituum supernaturalium, qui per baptisma conferuntur: quia vt inquiebant: *Fiunt, non nascuntur Christiani:* Et vt ex Iuliano retulimus, *Christus auget circa imaginem suam continua largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos, facit innouando & adoptando meliores.*

Quod vero ex D. Augustino, & Concilio Mileuitano refert, Pelagium non intellexisse remissionem peccatorum fieri, per gratiæ interioris subministrationem, nec nos sanari adiutos aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, detorquet Suares, hæc verba in sensum ab Augustino, & à Pelagianis alienum. Neque enim iis verbis excludunt gratiam habitualem, sed

auxilium actuale, quod pertinet vt inquit D. Augustᵘ. Epist. 95. ad Concupiscentias, tentationesque vincendas; & plurimum differt ab auxilio gratiæ habitualis: quia ipsâ iustificatione semel datum est: illud quotidie ingruentibus tentationibus datur: primum præteritæ peccata respicit, alterum futuræ: pro illo impetrando dicitur: *Dimitte nobis peccata nostra*, pro isto, *& ne nos inducas in tentationem.* Vt eâdem Epistolâ fusè explicat D. Augustinus, *Qui enim orat ne nos inducas in tentationem, non orat vt homo sit quod est naturâ, neque id orat vt habeat liberum arbitrium quod iam accepit cum crearetur ipsa natura; neque orat remissionem peccatorum, quia hoc superiùs dicitur: dimitte nobis debita nostra*, &c. *orat ergo vt non peccet*, id est, *ne quid faciat mali*, cuius gratiæ confessione ait omnes controuersias esse sopiendas. *Hæc ille confiteatur*, inquit, *& eum gaudebimus, siue rectum, siue correctum:* Nempe si agnoscat illam actualem Spiritus sancti administrationem necessariam ad cauenda futura peccata; quam negabant Pelagiani: quia vt refert D. Augustinus Sermone 2. de verbis Apostoli cap. 6. *Dicebat sufficit mihi quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum.* Sed respondet D. Augustinus, *nunquid quia est deleta iniquitas, finita est infirmitas? Prorsus verum est deleta esse cuncta peccata in Sacramento baptismi, & hoc est, quod infusum est in via oleum, & vinum: sed tamen sanatur langor in stabulo, & adhuc post integritatem remissionis, accepisti remedium orationis, quâ petitur subministratio Spiritus, qua Deus adiuuat infirmitatem nostram dilectionem inspirando, vt id quod faciendum esse cognouerit, faciat.* Sicut ait D. Augustinus de gratia Christi, cap. 3. & eodem libro capite 45. probat exemplo huiusmodi gratiam actualem quâ latenter Dominus subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiori suâ gratiâ visitauit Petrum interioris hominis vsque ad exteriorem, lachrymas mouit, & perdurit affectum: ecce inquit quemadmodum Deus adiuuando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum velle, & operari, operatur in nobis. Hanc verò gratiam quis non videat diuersam esse à gratiâ habituali; vt hanc concesserit Pelegius, illam negauerit.

PARAGRAPHVS OCTAVVS.

Vltimum auxilij genus à Pelagio admissum.

SVPEREST vltimum auxilij genus, positum in motibus indeliberatis voluntatis, qui quâdam sympathiâ consequuntur bonas cogitationes, pro cuiusque affectu; atque in his, vt ab arbitrio nostro pendent, & pro inaniâ libertate determinantur, ponunt gratiam efficacem multi Recentiores, & subinde contendunt, Pelagianos admisisse illustrationem intellectus, negasse vero quoscumque voluntatis motus, ne cum illis videantur consentire.

Sed euidentiora sunt quæ apud D. August. extant, ex Pelagianis verba, quam vt dubitare merito quis possit, quin admiserint actus indeliberatos, cupiditatemque boni inspiratione propositi: quos tamen vim & rationem habere nedum gratiæ Christianæ, quam propugnabat D. Augustinus, sed nequidem gratiæ primo homini collatæ negabant, quod contenderent huiusmodi actus, nedum libertati omnino subditos, sed etiam à naturâ ortos, per quandam sympathiam, non à Deo immissos singulari aliquâ motione, quæ excederet vim propositi obiecti, aut energiam concionatoris; atque ita nomine tenus, gratiam defendebant, quæ legis finibus, & viribus contineretur. Atque hinc apertâ consecutione deducebant, huiusmodi actus omnino naturales esse, magisque vim resipiscere naturæ, quam Dei adiuuantis. Causarum enim concurrentium, eam merito censebant legem, vt communis ab vtrâque profluens actio, in eam magis causam referenda esset, eiusque indolem resipisceret, quæ dominaretur, & causam alteram ad concursum traheret. Cum itaque vellent actus nostros liberos, vt à prima radice, à naturâ emanare, magis in illam, quam in gratiam referendos, & ab eâ naturales, non à gratiâ supernaturales existere censebant. Et ne quis has putet meas esse coniecturas, euidentibus testimoniis euinco singula.

D. Augustinus libro 1. ad Bonif. cap. 15. sic inducit Iulianum disputantem. *Hominem Dei opus defendimus, nec*

ex illius potentiâ, vel in malum, vel in bonum inuitum aliquem cogi. Quod vltro concedit D. Augustinus, sed addit, *Deo deserente, pro meritis ire in malum; & Deo adiuuante conuerti in bonum: non enim est homo bonus, si nolit, sed gratia Dei ad hoc adiuuatur vt velit: quoniam non inaniter scriptum est; Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari.* Ita S. Augustinus eiusdem libri capite 5. Sed loco superius citato addit ex Iuliano: *In bono opere, à Deo gratiâ semper adiuuari nos: in malum vero Diaboli suggestionibus incitari.* Vbi æquat tentationes Diaboli, gratiæ iuuanti: non solum vt inuitos non cogant; quia vt ait Iulianus alio loco, *sufficit homo ingenitis sibi motibus dare leges, in quamcumque partem inclinent; sed etiam, quod inspiratio, vti & suggestio moueat voluntatem*, moraliter, rei obiectæ specie.

Idem expressius docet Pelagius ab August. relatus lib. de gratia Christi cap. 10. *Operatur*, inquit, *in nobis Deus velle quod bonum est, & Sanctum: dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animantium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum vna reuelatione sapientiæ, in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.* His verbis Pelagius visus est nonnullis adeo aperte confessus gratiam interiorem, qualem ad minus Theologi omnes, primo homini concedunt; vt putarint hæc scripta à Pelagio, post damnationem Zosimi Papæ, qui Innocentio successit, & sententiam mutasse: sed hæc opinio laborat duplici ignoratione, historiæ & dogmatum Pelagij.

Quod ad primum attinet, distinguenda sunt in hac serie Pelagianæ hæresis duo Tempora, vnum quod fluxit ab exordio ad damnationem vsque, quâ per Zosimum Papam, agentibus Concilij Affricani Patribus, hæresis Pelagiana profligata est. Alterum à damnatione vsque ad obitum D. Augustini, cum loco prostratæ hæresis Pelagianæ, suffectus est Sempielagianis. Certum autem est verba ex Pelagio relata, excerpta esse ex libris quatuor Pelagij ante condemnationem scriptis: ac proinde non potuisse occasione illius sententiam mutare.

Deinde D. Augustinus Epist. 106. scripta post Concilium Carthaginense & Mileuitanum, refellit Pelagium, quod gratiam primo homini concessam, neget nobis dari. *Natura*, inquit, *humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret; nullo modo se ipsam creatore suo non adiuuante seruaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia, potest reparare quam perdidit:* Ergo Pelagius loco citato, sententiam non retractauit, concessâ homini lapso gratiâ, quæ præsto erat primo homini, tanquam lumen sanis oculis, quo adiuti videant, præbere se volentibus.

His adde, D. Augustinum fateri, se nullam gratiam quæ legem excederet reperiisse in libris Pelagianorum, ita lib. de Gratiâ Christi cap. 30. *Istam quippe gratiam, quâ iustificamur, id est quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, in Pelagij & Celesti scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inuenì, quemadmodum confitenda est confiteri.* Et cap. 10. Relatis Pelagij verbis, *Quid manifestius*, inquit, *nihil aliud eum dicere, gratiam quâ Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque, atque doctrinâ Scripturarum futuræ gloriæ promittitur magnitudo: ad doctrinam pertinet etiam, quod sapientia reuelatur: ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est.*

At inquies, Pelagius addit suscitationem stupentis voluntatis? Ita est, sed natam dixit, ex solâ cognitione boni propositi non à Deo speciali motione immissam: D. Aug. inquit, *Nos eam gratiam volumus, quam iste aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo, non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur: nec solum reuelatur sapientia, verum etiam amatur: nec suadetur solum omne quod bonum est, verum etiam persuadetur. Hâc vero gratia non sola intellectus illustratione facienda nouimus, sed sic vt altius & interius eum Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, vt cognita faciamus.* Idque non quomodocumque, more docentis, aut rei cuiuscumque sensibus & animo obiectæ, quæ ciet affectus, per quamdam sympathiam à voluntate promanantes. In hoc enim peccauit Pelagius, quod res supernaturales æquarit natura-

naturalibus & temporariis, id est, illarum affectus in vnam voluntatem retulerit. affectus etiam imperfectos rerum spiritualium, & supernaturalium æquari perfectis, & omnium voluerit voluntatem esse quasi seminarium.

Atque hinc tandem concludimus, Vasquem suam à Pelagij sententiâ, verius aut felicius minime seiunxisse, quam Suarem, quem ipsemet Vasquez 1.2. Disput. 196. Cap. 3. ait ex ignorantiâ vocis & historiæ negasse Pelagium gratiam habitualem. Ita ex eodem capite, id est, ex ignorantiâ hæresis Pelagianæ, Vasquez asserit Pelagium solâ inspiratione intellectus contentum, semouisse omnes voluntatis actus, & motus, in quibus constituit ipse gratiam, quam tantopere prædicat congruam: hos vero omnes motus, tertio suæ hæresis statu, admisisse Pelagium iam demonstratum est: vnde videtur aliud quærendum discrimen Vasquesio, quo se à Pelagio secernat.

PARAGRAPHVS NONVS.

Quartus Pelagianismi status de gratiâ ad perfectionem necessaria

HIs motibus voluntatis, & imperfectâ boni cupiditate, gradum sibi fecit Pelagius ad quartum suæ hæresis statum, quem Semichristianismum vocare licet: quia gratiam Christianam agnouit, sed variè corruptam. Cum enim duplex sit gratia Christiana; vna; quâ inchoamus vitam religiosam, altera quâ proficimus, & tentationes superamus, quamque iustificati petimus: *Et ne nos inducas in tentationem*; illam pertinaciter negauit: vnde Augustinus lib. 2. ad Bonifacium Cap. 5. ait, Pelagianos confiteri gratiam adiuuare vniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere. Et eodem libro cap. 8. Isti volunt in homine, ab ipso homine incipere boni cupiditatem; vt eius cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur & hunc refellens errorem lib. 4. ad Bonifacium cap. 7. ait: *Fatendum est Spiritum sanctum, etiam antiquis temporibus non solum mentes bonas adiuuisse, quod & isti volunt; sed etiam bonas*

eas feciſſe, quod nolunt: quia concedebant gratiam neceſſariam ad progreſſum, quod antea negauerant, ſed ad initium vitæ ſanctæ etiam 4. ſtatu omnino abſtulerunt.

Hinc facile eſt intelligere partitionem librorum, quos D. Auguſtinus exarauit contra hos duos Pelagianorum errores: nam Epiſtolâ 88. & 96. libris de Naturâ & gratiâ, de Peccatorum meritis, de Spiritu & littera, litteris Synodalibus Concilij Carthaginenſis, & Mileuitani ad Innocentium, eiuſdemque reſponſis, gratiam probat, quæ fidelibus datur, & iuſtis, ad bene viuendum ex fide, qui eſt primus error Pelagianorum. Epiſtola vero 106. ad Sixtum, & libris ad Bonifacium, & aduerſus Iulianum, confirmat gratiam, quæ fidem præuenit, & ex nolentibus, & repugnantibus volentes facit, qui eſt poſtremus error etiam 4. ſtatui proprius.

Huius vero erroris mutationem, & cauſam aperit D. Auguſtinus exordio Epiſtolæ ad Sixtum ſcriptæ ſtatim ab ipſius hæreſis damnatione. *Nolunt*, inquit, *vt ſit illi gloria in iuſtificandis impiis gratuita gratia, qui eius ignorantes iuſtitiam, ſuam volunt conſtituere:* (Nempe arrogantes ſibi, quæ ſufficiant vires ad operandam iuſtitiam.) Sed iam conclamantium religioſorum, & piorum vocibus preſſi, ita ſe fatentur ad habendam ſeu faciendam iuſtitiam diuinitus adiuuari, vt ſui præcedat aliquid meriti, ipſum ſcilicet propoſitum bonum, quod adiuuat gratia.

Quod vero aliquam gratiam agnouerint, idem Auguſtinus explicat de Gratia Chriſti cap. 23. *Quâ arbitrij libertate, qui bene vtitur, inquiunt Pelagiani, ponit cor ſuum in manu Dei, vt illud quo voluerit ipſe declinet. Magnum* inquit Auguſtinus, *adiutorium diuina gratia, vt cor noſtrum quo voluerit ipſe declinet.* Et lib. de Gratiâ & libero arbitrio cap. 14. *Sed cum fuerint conuicti non defenſores, ſed inflatores liberi arbitrij, quia neque ſcientia diuina legis, neque natura, neque ſola remiſſio peccatorum, eſt illa gratia, quæ per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum datur, ſed ipſa facit, vt lex impleatur, vt natura liberetur, peccatum non dominetur.* Ergo veram Chriſti gratiam agnouerunt, quæ ponit cor noſtrum in manu Dei, & quâ fit vt lex impleatur.

Sed cum duplex ſit dos gratiæ Chriſtianæ, primo vt

sit necessaria ad singulos actus, iuxta illud Ioannis 15. *Sine me nil potestis facere*, & si sit gratia, iam non ex operibus detur, alioquin non esset gratia, vt dicitur Rom. 11. vtramque prærogatiuam tollunt Pelagiani. Primam quidem, quod velint vtilem esse ad comparandam facilius perfectionem, non absolutè necessariam. Deinde contendunt dari secundum merita, seu initia bonæ voluntatis.

Primæ dotis gratiæ Christianæ quâ est necessaria ad singulos actus, duas Pelagiani moliuntur corruptelas. Primâ eam excludunt ab initio boni operis: secundâ ad progressum requirunt, vt viam commodiorem, non quod alia via esse non possit, sicut inquit D. August. lib. 6. contra Iulianum cap. 24. Vtramque variis locis coniunctim, aut separatim refellit D. August. In vtramque cadit similitudo venti, quâ ex Beda libro in Cantica vtebatur Iulianus in libro de Amore Dei. *Nam sicut ardentem siue lucentem ventus iuuat ignem, vt amplius clarescat, qui quidem sine flatu venti primum accensus est; deinde sine illo potest ardere: tamen vento impellente magis, magisque flammescit.* Ita Iulianus gratiam prædicat quæ ad augendum charitatis amorem, instar venti adiuuat: etsi eodem vento neget illum ignem initio accensum.

Hoc ipsum ex Pelagianis maxime quoad secundam corruptelam explicat D. Augustinus Sermone 13. de verbis Apostoli cap. 12. *Non sicut quidam dicere cœperunt, qui coacti sunt gratiam confiteri, & benedicimus Deum, quia vel hoc aliquando dixerunt. Iam vero dicunt esse gratiam adiutricem Dei ad facilius facienda: &c. Velo facilius, remo difficilius, tamen, & remo itur. Iumento facilius, pedibus difficilius, sed tamen pedibus peruenitur.* Et lib. 6. contra Iulianum cap. 24. *Formidantes multitudinem Christianorum, Pelagianum verbum supponitis: & quærentibus à vobis, quare sit Christus mortuus, si natura, vel lex efficit iustos? Respondetis, vt hoc ipsum facilius fierent, quasi posset, quamuis difficilius fieri. Sed Dominus*, inquit D. August. lib. 2. cap. 8. *Vt responderet futuro Pelagio, non ait sine me difficile potestis aliquid facere: sed ait, sine me nihil potestis facere.* Et clariùs libro de Hæresi. 88. distinguit totam Pelagianorum sententiam, de vtrâque gratiâ Pelagianâ, in naturâ, lege, & doctrinâ positâ; &

sine illâ asserunt nihil boni posse agere, id est, sine libero arbitrio, quod nullis suis meritis præcedentibus à Deo accipit nostra natura: quoad gratiam Christianam, quâ dilectio mandatorum inspiratur, ait, *Pelagium increpatum à fratribus, eorum correctioni hactenus cessisse, vt non eam libero arbitrio præponeret; sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc dari hominibus, vt quæ facere per liberum arbitrium iubentur, facilius implere possint per gratiam.*

Secundam corruptelam videtur à se Pelagius deprecari, & depellere in Caput 12. ad Roman. Donum non est ex nostro, sed ex donantis arbitrio pendet: & in Synodo Palæstinâ obiectum illud caput, dari secundum nostra merita, negauit se dicere: & eos qui dicerent anathematizandos damnauit. Sed fucum fecit Iudicibus Palæstinis: nam Epistola ad Demetriadem cap. 25. ait, *Dei voluntatem faciendo, diuinam mereamur gratiam, & facilius nequam Spiritui, auxilio Spiritus sancti resistamus.* Quare D. August. libro de Bono Perseuerantiæ cap. 2. totam controuersiam cum Pelagianis reuocat ad hæc tria capita, de peccato originali, de vitâ Sanctorum sine peccato ducendâ, & de gratiâ dandâ sine meritis. Ad eam nobis comparandam, tria volunt conferre: Primo boni cupiditatem, secundo fidem, tertio orationem. Quæ omnia paucis complexus est D. August. ex isto primâ ad Valentium: *Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea.* Sed D. August. contendit, hæc nullo modo in nobis esse potuisse, nisi acceperimus à Deo.

De singulis agit variis locis, & de initio piæ voluntatis libro 2. ad Bonifacium cap. 8. *Isti volunt in homine, ab ipso homine, incipere cupiditatem boni: vt huius cœpti meritum, etiam perficiendi gratia consequatur.* Et addit Pelagianos, *carpere Catholicos, quod inuito & reluctanti homini inspirari dicant, non quanticumque boni, sed & ipsius imperfecti cupiditatem.* Hunc errorem refellit D. Augustinus libro 1. Cap. 19. exemplo D. Pauli. *Quod enim boni volebat? An non potius mala magna, quando spirans cædem, &c. quibus meritis bonæ voluntatis Deus ab his malis ad bona, mirabili, & repentinâ vocatione conuertit? &c.*

Fidem etiam adscribere Pelagianos libero arbitrio qua-

si, initium piæ, & bonæ voluntatis, multis locis testatur, & refellit D. Augustinus Epist. 107. & de Gratiâ Christi cap. 31. de Oratione vero tertio genere meritorum, ait lib. 4. ad Bonifacium, *Idipsum meritum esse; quia orando fit dignus, cui gratia diuina subueniat.* Et libro 4. contra Iulianum cap. 8. *Ibi vos, vt video, ponere iam cœpistis merita gratiam præcedentia; quod est petere, quærere, pulsare, vt iis meritis debita illa reddantur, ac si gratia inaniter nuncupetur.* Notandum quod ait, *cœpistis*, quasi mutationem innuens, quod ante totam iustitiam humanis viribus adscriberent. Deinde Orationem duntaxat ex fide quæ sine præcedente bonâ voluntate esse non potest, veritatem gratiæ Christianæ, intermixtam errore, à Pelagianis agnitam refert clare D. Augustinus Sermone 12. de verbis Apostoli cap. 8. *An forte*, inquit, *quia vel venisti audiens venite ad me Matthæi cap. 11. hoc ipsum tibi arrogare contendis, quia venisti? Ecce, inquis, veni ad illum voluntate meâ: Quia veni, reficit me, iugum suum imponit suaue mihi, quia dat amorem: sarcinam suam leuem imponit mihi amanti, & diligenti. Hæc omnia fecit in me: sed quia veni ad eum.* Quibus verbis sine ambagibus declarat quidem gratiam Christianam, hoc est facit vt iugum meum sit suaue; idque, non quia dat legem, & doctrinam, quæ gratia est Pelagiana: sed quia amorem dat, & inspirat, quæ Christianæ gratiæ genuina est definitio.

Sed purissimum illud vinum aqua Pelagiana diluit, *dum eam datam*, ait, *quia suo arbitrio venit*, quo se discernit: atque ita prætexta in speciem gratia Christiana, Pelagianam obtrudit, & superiorem facit in hâc controuersia, quæ eo redacta est, vtra discernat hominem, id est, an homo, an Deus, incipiat immutare hominis voluntatem, de malâ in bonum: & si obtineat aliquid, quodcumque tandem sit, siue orationem, siue fidem, siue ipsam bonam voluntatem, priùs ab homine dari Deo, vt retribuatur; vincent Pelagiani, & in vindicanda sibi perfecta iustitia triumphabunt: esset enim illa non gratiæ diuinæ munus, sed effectus hominis, quem volendo, credendo & pulsando meruisset; vt ait Diuus Augustinus lib. 4. contra Iulianum capite 3. *Quid est ergo quod secundum*

modum veſtrum, effectum voluntatis humanæ dona cœleſtia ne crediderat nuncupaſſe, tanquam voluntas hominis ſine Dei gratiâ moueretur ad bonum, vt ei debitus à Deo retribueretur effectus.

Hoc poſtremum eſt Pelagianorum effugium, à quo vt eos depellat D. Auguſt. eos totis viribus contendit ſtabilire gratiam operandi iuſtitiam, non quæ fidelibus, & iuſtificatis datur, ſed eam quæ omnem hominis conatum, orationes, & voluntatem præueniat. Nam eo vltimo ſtatu, Pelagiani negabant gratiam præuenientem, non conſequentem; operantem, non cooperantem. Hoc quarto gradu Pelagiani delapſi ſunt in errorem Maſſilienſium, vel potiùs Maſſilienſes in hunc quartum ſtatum Pelagianorum ingreſſi ſunt, vno excepto quod Pelagiani ex ſuperioribus corollarium deducebant, à quo abhorrebant Semipelagiani: nam ad commendanda merita quibus gratiam nobis comparamus, Origenem ſecuti libro 2. Periarchon cap. ſexto, dicebant Chriſto ex meritis collatam diuinitatem, quia vt canit D. Proſper Epitaphio Hæreſis Neſtorianæ, & Pelagianæ,

Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
De capite ad corpus ducere opus voluit.

Et ideo ex Caſſiano libro 5. de Incarnatione cap. 3. *Dicebant Chriſtum veniſſe, non ad præſtandam humano generi redemptionem; ſed ad præſtanda bonorum actuum exempla; vt diſciplinam eius ſequentes, per eandem viam virtutis homines incederent, & ad eadem præmia virtutum peruenirent: euacuantes omnem diuinæ Redemptionis gratiam, cum idem dicerent hominem conſequi poſſe viuendo, quod præſtitiſſet Deus pro humana ſalute moriendo.* Atque ad hunc errorem alluſit D. Auguſt. libro ſecundo operis imperfect. pag. 350. nam cum Iulianus Origenem imitatus, neminem dixiſſet præmia virtutis mereri, niſi qui ad ea ſanctitatis Chriſti imitatione contenderet: *Hoc eſt*, inquit D. Auguſt. *occultum virus hæreſis veſtræ, vt velitis gratiam Chriſti in exemplo eſſe, non in dono eius.* Volebant autem (vt idem Caſſianus explicat cap. 3.) *Dominum Saluatoremque noſtrum, poſt baptiſma factum eſſe Chriſtum, poſt reſurrectionem Deum: alterum aſſignantes vnctionis myſterio, alterum merito Paſſionis. Vnde aduertit nouum,*

iam non noua hæreſeos Author (ſcilicet Neſtorius) *qui Dominum, Saluatoremque noſtrum natum eſſe contendit, idem ſe omnino dicere quod Pelagianiſta antè dixerunt.*

Verum quidem eſt, Pelagianos initio ſuæ hæreſis, ſanam de Incarnatione fidem habuiſſe, vt teſtatur D. Auguſt. Epiſtola 120. ſed progreſſu eo delapſos fuiſſe, hucuſque erroris, qui initium fuit Neſtorianæ hæreſis, *quo Chriſtum non natum filium Altiſſimi, ſed ex meritis factum aſſerebant.* Ex Caſſiano libro ſeptimo de Incarnatione cap. 21. & lib. 1. cap. 4. *Fuit quidam Leporius Monachus, qui ex Pelagij inſtitutione, vel potius prauitate deſcendens, apud Gallias aſſertor prædicta hæreſeos, aut inter primos, aut inter maximos, fuit à nobis admonitus, à Deo emendatus.* Sed hunc errorem hauſerant ex Origene, qui à liberi arbitrij meritis, aut peccatis, Angelorum & hominum ſortem, ne excepto quidem Chriſto repetebat.

ARTICVLVS QVARTVS.

Pelagianiſmus cum Semipelagianiſmo collatus.

QVOD dici ſolet de ſcientiarum ſerie, vbi ſuperior deſinit, ibi incipere inferiorem; veriſſimè cadit in genealogiam errorum, quam texeximus: vltimus gradus Pelagianiſmi, primus eſt Maſſilienſium, ſeu Semipelagianiſmi, quorum collationem inituri, paucis diſcrimina perſtringemus, fuſius conuenientias proſecuturi.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Semipelagiani quatuor differunt à Pelagianis.

QVAMVIS forte verum ſit, quod nonnulli obſeruant, Pelagianos initio ſuæ hæreſis, in totum fine differre à Semipelagianis, & ſublata Chriſti fide, voluiſſe puram Philoſophiam inducere in Eccleſiam, vt cum Philoſophis natura hominis illæſa, id eſt, à peccato originali immunis, beatam vitam, virtute propriæ voluntatis crederetur efficere; non tamen exiſtimo progreſſu erroris ſui à

Catholicis damnatos, illi consilio pertinaciter adhæsisse; quare excepto peccato originali, & inde consecuta infirmitate, quarto suo vltimo statu occupasse videntur, quæcumque Semipelagiani de his controuersiis scripserunt.

Fatendum tamen est differre his potissimum quatuor aut quinque capitibus, quorum præcipuum est, vt inquit D. Hilarius hæc definitio & professio, *omnem quidem hominem Adam peccato peccasse, & sub peccato originali omnes homines similiter in primi hominis damnatione nasci.* Differunt secundo ægritudine inde consecuta, vt D. Hilarius Epistola ad D. August. his verbis explicat: *Neque inde quemquam proprio arbitrio liberari posse consentiunt, sed id conueniens asserunt veritati, vel congruens prædicationi; vt cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis, annunciatur, &c.* Quare primi hominis posteros amissis & perditis viribus, iuuandos esse volunt.

Addunt tertio contrà Pelagianos ex D. Prospero Epistola ad D. Augustinum, *neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari.* Quarto agnoscunt, vt ait D. Hilarius, *ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, sibi sufficere posse*: & testantur *se abominari & damnare, si quis quicquam virium in aliquo remansisse, quo ad gratiam progredi possit, existimet.* Vnde eorum confessionem ita interpretatur D. Augustinus, vt voluntatem hominis gratia præueniri debere fateantur. Ita libro de Prædestinatione Sanctorum capite 1. *Peruenerunt etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque vt ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere posse consentiant.*

Sed quatuor potissimum cum Pelagianis conueniunt, nempe initio piæ voluntatis à nobis ipsis per fidem orationem, & desiderium sanitatis repetito. Inde secundo conueniunt damnatione prædestinationis gratuitæ, & æternæ, quâ D. Augustinus ex Scripturâ docet ante præuisa merita & opera, secerni electos à reprobis. Inde consequitur tertia conuenientia in damnanda vocatione secundum propositum, quâ ab æterno electi, ex tempore efficaciter à reprobis & malis secernuntur. Quarta denique conuenientia est, quoad vsum scientiæ mediæ, quam

à Deo adhibitam volunt ad prædestinationem æternam, & temporariam vocationem, ex præuisione futuri, aut non futuri consensus stabiliendam. Has quatuor conuenientias fusius confirmabimus.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Prima conuenientia quoad initium piæ voluntatis, & salutis.

QVÆ ex Pelagianis retulimus Paragr. vlt. nihil aut parum differunt ab iis quæ Semipelagiani docuerunt, de initio piæ voluntatis, & salutis: ab iisdem enim motibus voluntatis repetunt, & vt D. Prosper ait Carmine de ingratis cap. 6. *Sitque salus dignis saluari ex fonte volendi.* Neque enim ita putant peccato originali corruptam esse naturam, quin superfit aliquid integritatis; vnde, sicut in ægris oriri possit, ad minus desiderium sanitatis, aduocandi medicum, & fides in ipsum habenda, quæ non sint pars, aut portio, sed quoddam inchoamentum sanitatis: & ab iis actibus remouent omnem meriti rationem, licet ab illis suspendant salutis initium, & progressum, vt explicat D. Prosper Epistola ad D. August. *Cum in his qui tempus acceperunt libera voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem voluntobedientiam esse, quam gratiam, vt initium salutis ex eo qui saluatur, non ex eo credendum sit stare qui saluat; & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subijciat voluntatem.* Et ibidem dicit, *in eo latere virulentiam illius erroris, quo principium salutis in homine collocatur, quod diuinæ voluntati voluntas humana præfertur.*

Nec sic vero ista intelligenda sunt, quasi nullam omnino gratiam præcedere velint, ante humanæ voluntatis obedientiam; certum enim est, eos admisisse omne auxilium *sine quo non*, seu possibilitatis, à Pelagianis concessum, qui vt suprà demonstratum est, vix aliud negabant, quam auxilium operationis. Conueniunt ergo Massilienses cum Pelagianis hoc capite, quod velint primum actum

voluntatis noſtrum eſſe, qui appoſitâ quâcumque gratiâ, actum illum ipſi ſibi tribuant; non vero actus à gratiâ determinante voluntatem, ac diſcernente hominem tribuatur, vt ſatis indicat ibidem D. Proſper, *quod in eorum ſententiâ diuinæ voluntati impiè humana præfertur, quod non ideo quia adiuuatur homo velit, quod receptionem boni à ſemetipſo inchoare creditur: quod aliunde Deo placetur, niſi ex eo quod ipſe donauerit.* Et hoc dogma refellit Diuus Auguſtinus de Prædeſtinatione Sanctorum capite 5. *Non ait*, inquit, *Apoſtolus, quid autem potes habere quod non accepiſti, vt poſſes habere, ſed ait, quid habes quod non accepiſti*: Vnde patet hanc Catholicorum, cum Gallicanis illis Preſbyteris, controuerſiam ad id reuocatam, quis primum diſcerneret hominem ab homine, ex ſimili maſſa in eadem damnatione procreatum; an homo volendo, an Deus volitionis actum largiendo.

Conſtat ſecundo hoc primum ſalutis initium, Maſſilienſes ex ſua libertate religaſſe, vt fatalem illam neceſſitatem, & inde naſcentem deſperationem, quam conſequi putabant gratiam ab Auguſtino contra Pelagianos defenſam, effugerent; quod vnicum illum voluntatis internâ gratia excitatæ flexum ſibi ſeruando, tanta facilitate, libertatem ſeruarent illæſam, ac ſi nuda illa naturali poſſibilitate, & libertate vterentur: ab his omnibus vix aberant Pelagiani quarto ſuo ſtatu.

Hinc etiam manifeſtum eſt, conueniſſe quoad actus præuios ad iuſtitiam, & ſalutem, hoc excepto, quod Pelagiani huiuſmodi actibus ad iuſtitiam, & ſalutem præambulis, vim meriti aſſererent; Semipelagiani nomen tantum, non rem vindicarent. Sicut enim ad hominis ſanitatem duo diſtinguenda ſunt, primo ipſa curationis opera, qualia ſunt exercitium, diæta, &c. Et quibus ægritudo pellitur; deinde ad curationem præuia, vt deſiderium ſanitatis, aduocatio medici, fides in illum, cuius peritia comperta eſt, quæ tamen pars curationis dici nequeant: ita Semipelagiani ex D. Proſperi & D. Hilarij Epiſtolis, agnoſcebant curationem à nobis nulla ratione eſſe poſſe, *nec propter labefactatas peccato vires, ad vllum opus bonum incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi poſſe ſufficere: tamen nullum ita deprauа-*

tam, vel extinctam naturam putant; vt non debeat, vel possit se velle sanari.

Quo sensu profitebantur arbitrium lapsi hominis, ad hoc tantum esse liberum, vt velit, aut nolit admitttere medicinam, aut peccare; nec vt inquit D. Hilarius, *alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterritâ & supplici velle voluntate sanari.* Quibus verbis complectitur D. Hilarius, media quæ ex Pelagianis retulimus ad gratiam comparandam necessaria, nempe fidem, non qualemcumque, sed in Christum vt sanantem, ex quâ consequatur desiderium boni, & oratio: & ideo Massilienses nomine fidei reliqua duo complectuntur. De fide autem inquit ex illis D. Augustinus de Dono Perseuerantiæ capite 17. *Sed hæc vt à Deo dentur nobis, fides impetrat, qua incipit à nobis.* Et de Prædestinatione Sanctorum capite tertio, dicit se aliquando in eo fuisse errore, fidem non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona: *Neque enim putabam* inquit, *fidem Dei gratiâ præueniri, vt per illam nobis daretur quod posceremus vtiliter.* Hunc Augustini errorem secutos ait D. Prosper Massilienses, & sentire, *posse hominem ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, peruenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, pulsando, nec volunt intelligere*, inquit D. Augustinus de Dono Perseuerantiæ cap. 23. *etiam hoc diuini esse muneris, vt oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.*

Diui Hilarij locus indicat alia opera ad salutem necessaria præmitti à Pelagianis, à voluntate supplici & exterritâ. Primo timorem mortis & suppliciorum, de quo D. Hilarius. *Nam si non potest timere quis, vnde terretur, nisi eâ voluntate quæ sumitur,* (ab alio scilicet dante) *non ex eo culpandus est.* Addunt secundum doloris actum, saltem de propriâ infirmitate, quæ recte viuendi propositum impediat, quò inquiunt pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia, si non ab homine, & si non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis oritur? Addunt etiam sollicitudinem, ita demum inquit de illis D. Prosper, *posse vnumquemque ad correptionem, aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse* (ea impetrando, scilicet Dei auxilium.)

Quartus denique actus est voluntas imperfecta bene viuendi, & non peccandi, virtutesque generatim exercendi, & comparandi. Nec ab illo errore aberat D. August. in Epistolam ad Romanos, propositione 61. *Nostrum est credere*, inquit, *& velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi.* Et ibidem, *liberum arbitrium perfecte fuit in primo homine: in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium, vt non peccemus, sed tantum vt peccare nolimus.* Ita propositione 18. vbi addit, *gratia vero efficit, vt non tantum velimus recte agere, sed etiam possimus, non viribus nostris, sed liberatoris auxilio.* Hunc vero errorem D. Augustinus retractauit libro primo Retractationum capite 23. sed illum auxit Cassianus collatione 13. vbi ait, *per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum virtutum prodire principia.* Sed duobus quoad hoc differt ab aliis Massilienſibus: Primo quod huiusmodi bonarum voluntatum principia velit in quibusdam prosilire, aliis vero per gratiam inspirari; quod negabant Massilienses, rati hoc libertati repugnare. Sed alio capite grauius errat, quod in principia bonarum voluntatum, non in gratiam referat admirabilem Zachæi, Centurionis fidem, patientiam Iob, &c. quâ in re notat D. Prosper cap. 13. non solum Massilienſibus, sed etiam sibi repugnare, dum alio loco ait, *bonorum desideriorum voluntarios motus, sine auxilio Dei, nec prouehi posse, nec perfici.* Et eo prolapsus est, sicut inquit idem D. Prosper capite 23. vt tam incolumes esse velit omnium hominum animas naturaliter, quam fuit primi hominis ante peccatum.

Quod ad fidem attinet, Semipelagiani initium illius homini tribuunt, non augmentum. *Conueniens*, inquit, D. Hilarius, *asserunt veritati, vt & eo merito quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Vnde loca Scripturæ, quibus fides adscribitur Deo, ad id volunt valere vt adiuuet, qui cœperit velle; non etiam vt donetur vt velit. Solliciti enim erant tantum de initio fidei, quo possent libertatem tutari: quare D. Hilarius, *talem dicunt se præcedere velle voluntatem, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa*

iam valeat. Et hoc qualecumque initium (quod vocant) voluntatis, sufficere putabant, ad frangendum illud absolutum Diui Augustini decretum, quo mali à bonis secernuntur.

Perseuerantiam etiam in fide sibi vindicant, vt ait D. Prosper Epistol. ad D. August. qui autem crediturisunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri sunt; præsciisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse: & Diuus Augustinus de Dono Perseuerantiæ capite 17. ad idem ita habet. *Sed hæc* (inquiunt Massilienses) *vt à Deo dentur nobis fides impetrat, quæ incipit à nobis. Quam fidem & incipere habere, & in ea vsque in finem permanere, tanquam id à Domino non accipimus, nostrum esse contendunt.* Et Ibid. *hæc dicentes, nolunt hominibus prædicari, dona Dei esse vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide.* Ex quibus patet Massilienses solam fidem, & in eâ perseuerantiam humanæ potestati arrogasse: cætera omnia quibus rectè viuitur, vt continentiam, iustitiam, & in huiusmodi virtutibus perseuerantiam, agnoscere Dei esse dona ab illo precibus postulanda. *Cætera*, inquit Diuus Augustinus, *ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide.*

Et hoc est, quod dicunt Massilienses, perseuerantiam supliciter emereri, vel amitti contumaciter posse: nimirum perseuerantiam in aliis donis, præterquam fidei: illam precibus volunt esse flagitandam, istam à nobis sumendam: vnde D. Augustinus cum in eo versaretur errore, scribit in Epistolam ad Romanos propositione 60. *Deus non eligit opera quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum sanctum; sed tamen eligit fidem*; quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum sanctum, per quem infusâ charitate bonum possit accipere. Quæ, inquit D. Hilarius, verba Augustini Massilienses acceptare se, & probare testabantur, tanquam conuenientia Euangelicæ veritati.

Ex quo errore seu discrimine inter fidem, ipsamque curationem, infertur Massilienses arrogare nobis perseuerantiam in oratione, aliisque actibus ad sanitatem præuiis, maximè perseuerantiam orationis, quâ in aliis operibus perseuerantiam impetramus. Atque hinc etiam fit,

cum perseuerantia in fide & oratione sit nostri arbitrij, & ab eâ pendeat progressus totius salutis; illam immediatè nobis arrogare, istam mediatè: sicut è contra immediatè à Deo pendere opera curationis, & à nobis mediate; seu fidei & orationis beneficio: quo sensu dicunt Massilienses apud D. Hilarium Epistolâ ad D. Augustinum, quidquid libet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propriâ voluntate, saltem mediatè, hoc est suppliciter in illis donis perseuerantiam emerendo, aut contumaciter amittendo.

Hinc 3. manifesta fit causa, cur Massilienses perseuerantiam in fide, & oratione, sicut initium fidei, & orationis, ad suam libertatem & potestatem reuocent: hoc enim ipso quod perseuerantia, & initium fidei alligantur nostræ libertati, & reliqua dona à fide inchoata, aut perseuerante pendent; hoc ipso reliqua omnia suspensa sunt, à flexu nostræ voluntatis: atque ita euitatur fatalis necessitas, quam consequi putabant ex vocatione efficaci D. Augustini, quæ nostras præuenit voluntates. Atque hinc vltimo patet causa, cur tantopere vrgeant voluntatem generalem Dei, quâ velit omnes homines saluos fieri; quia ex illâ debent necessariò fluere media, quæ non solum ad operandum, sed etiam ad credendum, & in fide permanendum infirmitas naturæ postulat, qualis est prædicatio, vocatio, baptismus, & alia, sine quibus apertè negant quemquam posse proprio arbitrio liberari: & si ex illâ voluntate generali Dei ad omnium salutem, quibusdam non obtingat salus, causam in promptu habent quod desit homini conditio necessaria, vt velit credere, & orare, & in fide, atque oratione perseuerare.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Duplex inter Pelagianos & Semipelagianos discrimen, quoad meritum, & retributionem.

SIc explicata communi Pelagianis, & Semipelagianis opinione, duo addenda sunt: Primum, quo maximè Semipelagiani à Pelagianis secernuntur; est fidei aliisque operibus, ad curationem præuiis, nomen quidem meriti

asserere Semipelagianos, vt constat testimoniis D. Hilarij, & D. Prosperi, quorum vltimus refert, ipsos sentire: *Omnem hominem ad credendum diuinitus admoneri, & à piis vitam æternam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint, quam vocant initialem gratiam, cuius ope meremur ad saluantem gratiam baptismi peruenire.* In hoc tamen nomine meriti, nullam vim ponunt; quod minime sit necessaria ad libertatem tutandam, & plurimum noceat gratiæ, quæ gratia esse desinit, si ex meritis detur: & ideo ad vitandam inuidiam sublatæ gratiæ, fidei aliisque præuiis operibus omnem auferunt rationem meriti. Ita testatur D. Hilarius, dum ait non negari ab illis gratiam, *Si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat.*

Et hoc idem euinci potest Argumentis, quibus illos vrgent Augustinus & Prosper, non posse tolli vim meriti à fide, si ex nobis sit præuia ad salutem. Hæc enim est vis Argumenti, quo illos premit D. August. lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. *Quis autem dicat, eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri?* Vnde fit vt iam merenti cætera dicantur addi, retributione diuinâ: ac per hoc gratiam Dei secundum merita dari. In quod absurdum compellit inuitos D. Augustinus; ac proinde negabant ex meritis dari gratiam, quamuis id consequi ex illorum principiis Augustinus euincat. Quare non de merito gratiæ inter D. Augustin & Massilienses, disputatum est, sed vter præcederet, an homo naturaliter aliquid boni suis viribus operando, an Deus illud ipsum per gratiam largiendo. Si primum constet, vincunt Semipelagiani; si alterum, vincit D. August.

Cæterum Semipelagiani toti erant in eleuando, & destruendo merito fidei, & huiusmodi operum, quæ salutarem gratiam antecedunt. Nec apud Recentiores vllus est modus loquendi, in deprimendis huiusmodi actibus, quem non vsurparint Semipelagiani: nam qui minimum ex Recentioribus illis tribuunt, non dicunt initium esse salutis, sed occasionem; quod verbum familiare erat Massilienfibus, vt probant verba superius ex ipsis relata: quibus adde ex Cassiano lib. 12. Inst. cap. 14. *Pronuntiamus laborantibus tantum, ac desudantibus, misericordiam*

Dei gratiamque conferri: præsto namque est Deus occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblatâ, ad hæc conferenda. Et collatione 13. *Occasiones quodammodo quærens Deus, quibus humanæ segnitiei torpore discusso, non irrationabilis munificentia suæ largitas videatur: dum eam sub colore cuiusdam desiderij, ac laboris impertit.*

Quare certum est, aut nullum omnino, his operibus meritum asseruisse, vel omnium minimum, quod gratiæ non repugnaret; quam omnino saluam esse volebant, dummodo salus hominis ab ipsâ hominis manu, & voluntate, non ab aliquâ constitutione Dei nostras voluntates præueniente, penderet. Et condignitatem meriti Cassianus lib. 12. Inst. cap. 13. longè semouet, dum ait, *nullam cordis contritionem ad capessendam castitatem esse condignam.* Et cap. 14. *Petitionem & inquisitionem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei, id quod petimus dederit.* Ex quibus omnibus constat, vnum esse scopum Pelagianis, & Semipelagianis, dum Augustini gratiam improbant, libertatem nostram tutari; sed diuersas inire vias: eo tamen omnes spectare, vt à nobis sit initium salutis: hoc vero differre, quod illud initium Pelagiani velint esse meritum, negent Semipelagiani; minus tamen consequenter quam Pelagiani. Et hoc euincunt Augustinus & Prosper, qui prætet citata verba, habet hoc etiam Aug. de Prædestinatione SS. *Debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur: & sit merces fidei cœptæ, fides aucta. Nec attenditur, cum hoc dicitur, non secundum gratiam, sed secundum debitum ipsam mercedem credentibus imputari.* Hoc ab inuitis Semipelagianis extorquebat, & deducebat ex illorum principiis D. Aug. eodem libro cap. 16. Ideo vtique ne non gratis dari credatur gratia, sed secundum indulta voluntatis, sicut contra veritatem, Pelagianus error obloquitur.

Secundum quod addendum diximus huic collationi primæ, est merces & retributio, quæ respõdet huiusmodi actibus, gratia ad curationem necessaria. Recentiores enim ne videantur omnino Semipelagianis consentire; negant illos veram gratiam Christi admisisse, quam vrget D. Aug. contra Pelagianos: idque putant se probare ex Cassiano, qui, vt supra diximus, fidem Centurionis refert in libe-

rum

rum arbitrium. Nam collatione 13. cap. 14. de fide Abrahæ (idem est de fide Centurionis judicium) ita habet. *Non illam fidem, quam ei Dominus inspirabat, sed illam quam vocatus semel atque illuminatus à Domino, per arbitrij libertatem poterat exhibere, experiri voluit diuina iustitia.*

Atque hinc infert Coninch. Disp. 4. de actibus supernaturalibus num. 92. omnibus Semipelagianis commune esse principium, veram gratiam internam, quâ voluntas interius roboratur, euertere libertatem. Sed quamuis ita forte senserit Faustus, certum est Cassianum, aliosque Semipelagianos, longè ab illa opinione abfuisse: ille quidem eodem loco ita habet, *ex quibus manifeste colligitur non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum, ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi: & hanc definitionem Catholicissimam*, ait, *Prosper corrupisse, quod non in omnibus, sed in quibusdam tantum veram esse velit.* Sed eadem collatione cap. 7. & 8. *Docet nonnunquam Deum bonas voluntates de dura cordis nostri silice excutere; in corde plantare; desideria inspirare: nonnunquam vero nostro conatu emergere, scintillamque bonæ voluntatis emicare.* Quamuis ergo Cassianus illâ limitatione adhibitâ, errauerit, falsum tamen est, quod inde inferunt Recentiores, illum negare in totum gratiam, *donatricem, plantatricem, inspiratricem bonæ voluntatis*, quasi infensam libertati: quod obseruauit D. Prosper, dum verbis illius relatis addit: *Hic ne quis putaret nihil superesse quod per liberum ageretur arbitrium, non irrationabiliter adiecit, quo probaret non auferri illud his donis, sed potius roborari, nisi reuolutum ad iniquitates suas, ab auxilio Dei se malit auertere.*

Nec cum eodem loci negat Cassianus vllius esse meriti, *quam Deus inspirat fidem*; putat inde libertatem *interimi*; sed tantum laudem, & meritum: quia Collatione prima cap. 36. hanc statuit regulam: *An dicendum est omnes quidem virtutes inter Dei dona numerandas; sed in illis hominem, quas de proprio habuerit, esse laudabilem; nec ibi esse merita vbi Dei dona non fuerint?* In quæ verba D. Prosper: *Sic autem putasti laudatæ fidei, præiudicium donis gratiæ posse generari; quasi fides vbi ostende-*

retur laudata, non doceretur esse donata. Ex quibus constat Cassianum putasse huiusmodi fidem donatam, carere quidem laude, quamuis libertati non repugnet; quod putant in nullam hominis laudem redundare, si alius eum ad fidem induceret.

Sed quidquid sit de Fausto, & Cassiano, euidentibus Argumentis conuincitur, post initium fidei, Massilienses veram gratiam internam approbasse, quasi nihil libertati repugnantem: quod primo ex superioribus euincimus, quia non est credibile illos negasse, quam Pelagiani suo quarto statu admiserunt gratiam: At Paragraph, superiori ad finem ex D. August. probatum est, illos tandem veram gratiam Christi agnouisse: Ergo non potest id de Semipelagianis omnibus negari.

Deinde id testantur expressis verbis Hilarius & Prosper Epist. ad Aug. nam vltimus ita ex illis refert: *Quod fides deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, quod bona appetentem gratia Dei foueat, quod libertas sua ad hoc Dei auxilij, iuuanda sit, si quod Deus mandat elegerit.* Et Hilarius: *Non negari gratiam, si præcedere dicatur voluntas: adiuuari, qui cœperit velle, non donari vt velit.* Et ita quidem adiuuari, vt gratia non solum, *erigat Prostratos*, verum etiam *suffulciat ambulantes.* Et hoc solum contendebant, vt inquit Prosperi, *quod voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non autem gratia sibi humanam subiiciat voluntatem.*

Tertiò cum D. Augustinus versaretur in errore Semipelagianorum de Fidei initio à nobis ipsis sumendo; ex illâ subinde consequi asserebat veram Christi gratiam: Ergo in eâdem sententiâ erant Semilagiani, quia vt scribit D. Hilarius ad D. Augustinum, *Sanctitati tuæ Disputatione antiquiore se probare testantur; vbi eandem gratiam, non minore veritatis perspicuitate docueris.* Eâ vero Disputatione hæc habentur, *Deum fidei præstare, vt bene operemur: Spiritum sanctum non dari nisi credentibus: Deum non eligere opera, quæ ipse largitur, cum dat Spiritum sanctum, vt per charitatem bona operemur:* Et alia his similia habet passim, vt illud, *nostrum esse quod credimus, Dei quod operamur.* His vero quis non videat, contineri, & explicari veram gratiam Christianam?

Nec minus euidens est D. Augustini testimoniis, probatam fuisse à Pelagianis, quorum hæc verba refert de Prædestinatione Sanctorum cap. 19. *Nos dicimus, nostrum Deum non præscisse nisi fidem, quâ credere incipimus: & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, vt etiam Sancti, & Immaculati gratiâ, atque opere eius essemus.* Nempe vt suppositâ fide, Deus daret gratiam bene operanti. Nam vt eodem libro cap. 7. docuerat iuxta Massilienses, *Fides est à nobis: cætera à Domino, ad opera iustitiæ pertinentia.*

Atque hinc manifestum est, gratiam internam à Massilienſibus probatam; quidquid dicant Recentiores contra expressa D. Hilarij, & Prosperi testimonia, quibus magis comperta erant Massiliensium dogmata, ac proinde magis fides habenda quam modernis, quæ hanc Massilienſibus calumniam important, ne videantur illis assentiri. Cum tamen si veris agere liceat, conueniant fine, Argumentis, & placitis. Gratiam enim Augustinianam auersantur, quod libertati infensam putent: reliqua vero gratiarum genera, quæ ad minus beneficio fidei nostræ subiiciantur voluntati, libenter admittunt; quia ab illis nihil timent libertati: Ergo sin omnibus, certe plurimis Pelagiani cum Recentioribus conueniunt: & fictitium est quod discrimen apponunt, ex negatâ à Semipelagianis gratiâ internâ, quam ipsimet Pelagiani admittebant.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Vtriusque hæresis collatio, & conuenientia, de Prædestinatione.

VERISSIME D. Prosper carmine de ingratis cap. 6. inducit Pelagianos, his verbis Massilienses alloquentes. *Quacumque placent vobis amplectimur, edita à nobis doctrina vestra est pietas, nihil inficiando discutimus.*

Profitentur se omnia Massiliensium dogmata approbaturos; dummodò, vnicum sibi duntaxat liberum arbitrium saluum esse velint, vt salutem suam possint, *ex volendi fonte suspendere.*

Ex hoc principio omnia sua dogmata religata contexunt, & ad eundem finem diuersis viis contendunt. Hoc tamen conueniunt omnes odio gratuitæ Prædestinationis, quæ nostras voluntates, earumque consensum, saltem ad fidem præueniat: quare præscientiâ Deus statuit decretum prædestinationis ex præuiso consensu, & merito quo quisque se discernit, & dignum se præbet vitâ æternâ. In hâc sententiâ positi, inquit D. Prosper responsione ad 8. obiectionem Genuensium, *consequenter sapiunt eos esse prædestinatos in vitam æternam, quos per liberæ voluntatis arbitrium fideles futuros præscierit Deus.* Et expressius D. August. cum in eorum errore versaretur, loco citato in Epistolam ad Romanos: *Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientiâ, quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientiâ: vt quem esse præsciuit creditурum, ipsum eligeret; cui Spiritum sanctum daret, vt & bona operando etiam vitam æternam consequeretur.*

Nec fidem tantum requirunt, sed in eâ perseuerantiam, vt ibidem addit D. August. *Nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat*; (hoc est in fide, & oratione) *non accipit donum Dei.* Quæ omnia Massilienses acceptare se testantur ex D. Prospero, qui ait: *Penè omnium parinuenitur, & vna sententia; quâ propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt:* (nempe fidei, & in illa perseuerantiæ.) *& ob hoc* addit D Prosper, *Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit; & sub ipso gratiæ adiutorio, in quâ futurus esset voluntate, & actione præscierit.* Elegit ergo Deus ad prædestinationem, non quæcunque opera, sed fidem, & in ea perseuerantiam, cuius remuneratio sit prædestinatio, & gloria: ac subinde, vt inquit D. Prosper: *Ipsa electorum prædestinatio, non sit nisi retributio.* Et Epistola ad D. Augustinum, *quos in fide, quæ deinceps sit iuuanda per gratiam, permansuros, & ex hâc vitâ bonâ fide excessuros esse præuiderit, prædestinet.*

His omnibus consentiunt Pelagiani: totum discrimen in hoc est positum; quod Pelagiani, saltem tribus primis statibus suæ hæresis, nihil gratiæ, neque ad credendum, neque ad operandum agnoscant necessarium; sed illos velint à Deo eligi, quos Deus non modo credituros, sed

etiam Sanctos futuros ex naturali suâ libertate præsciret : Semipelagiani vero, solum initium fidei referant ad voluntatem, reliqua ad adiutorium gratiæ.

Et si videantur negare, certum esse prædestinatorum numerum : non sic intelligendi sunt, vt Deo auferant futurorum certam scientiam ; qui etiam concedunt, futura omnia conditionata nosse per scientiam mediam : sed nolunt esse definitum numerum decreto Dei, inconsultâ voluntate humanâ, constituto ; quod Epistolis DD. Prosperi & Hilarij ad August. *aiunt tollere virtutem, & superfluum laborem fore, si neque reiectus à sic definito numero, vllâ ratione possit intrare ; neque electus vllâ negligentiâ possit excidere.*

Hinc ergo constat consentire Pelagianos Semipelagianis scopo, & fine ; & aliquantulum differre progressu. Siue enim cœlestem gloriam illis debere censeant, qui liberi arbitrij viribus, omnia Dei mandata custodiant, siue illis Dei adiutorium, ad obtinendam iustitiæ perfectionem, dari velint, qui sine Dei adiutorio, propriâ voluntate crediderint, petierint, pulsauerint ; quidquid deinceps illis à Deo, propter illud, vel inchoationis exordium, vel perfectionis culmen conferatur ; manifestum est eis non tam tribui, quam retribui : ac per hoc, neque meritum, neque præmium eis gratiâ diuinâ, vel electione prædestinari ; sed humanæ libertatis arbitrium offere meritum, Dei iustitiam referre mercedem. Atque ita totum prædestinationis officium, ad nudam humani meriti, siue fidei, siue operum præscientiam, iuxta Pelagianismi statum de inchoandâ, vel etiam perficiendâ suis viribus iustitiâ, reuocari. Ac proinde Pelagianos, & Massilienses eadem diuersâ viâ contendere : vtrique quidem, laruâ quadam pristinæ integritatis vsi, quam Pelagiani augent, Semipelagiani minuunt, & subinde plus illi naturæ plus istis gratiæ attribuunt ; seruatâ semper libertate, in quam vel progressum, vel certe initium salutis refundunt ; vnde gratuita prædestinatio Augustiniana tollitur, & Catholica.

Ex his constant quæcunque huic prædestinationi astruunt vtrique, de œconomiâ diuinæ voluntatis, & gratiæ, erga salutem humanam ; sed cum Pelagiani neminem velint peccati reum, vel iudicio diuino obnoxium

nasci, sed capacem vtriusque rei, non plenum, & vt sine virtute, ita & sine vitio procreari; asserunt Deum generaliter velle omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: vt qui voluerint credant: nam vt D. August. libro 1. ad Bonifacium cap. 6. illorum definitam sententiam refert, *Deum adiuuare vniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere; quia personarum acceptio non est apud Deum.*

Paucis his verbis complexus est D. August. omnes errores, & fundamenta præcipua Pelagianorum. Huc pertinent quæcunque ex ipsis supra retulimus, de triplici principio iustificationis, & salutis: primùm à lege naturali cordibus nostris insculptâ, deinde cum non sufficeret vitiatis moribus natura iam decolor, addita est lex Moysis, quasi secunda gratia generalis, quâ veluti limâ fulgori pristino, detritâ rubigine, natura redderetur. Sed postquam nimia peccandi consuetudo prævaluit, cui sanandæ lex parum valet; addita est tertia gratia Christi aduentu, qui tanquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per seipsum medicus ille subuenit, vt à seipsis volentes credere, per fidem sine operibus legis, solo baptismo saluos faceret, vt Pelagius in caput 11. ad Romanos his verbis explicuit: *Electio gratiæ fides est, sicut opera electio legis.* Vbi duplicem distinguit electionem: primam operum, & meritorum, quibus Antiquorum aliqui, impletâ lege naturali, & scriptâ, iusti fiebant apud Deum. Sed vbi desiit illud genus iustitiæ, quo gloriabantur Iudæi; successit electio fidei, quâ nos per baptismum Christus saluat quodammodo gratis, non tamen omnino: quia vt ipse Pelag. ait eodem loco, *caterum quæ electio, vbi nulla diuersitas meritorum? Non enim Deus personam suam acciperet, & alios sine causa proïceret?* Vt inquit in eiusdem capitis hæc verba, *tu fide stas*, & in caput primum ad Ephesios: omnium horum causa voluntas Dei, quam esse rationabilem non dubium est: quatenus vt inquit Iulianus libro 1. operis imperfecti folio 184. reddens cuique suum sine fraude, sine gratiâ, hoc est, sine cuiusquam personæ acceptione, quod exprimit nomen gratiæ in definitione iustitiæ, quam antea folio 29. dixerat esse virtutem, quæ fungitur officio diligenter ad restituendum sua cuique sine gratiâ.

Quamuis enim Pelagiani dicant nos gratis iuſtificari, & eligi ex fide; fidem tamen illam nolunt eſſe, quam Deus occultâ ſuâ gratiâ operetur; ſed quæ prodeat ex noſtrâ voluntate; & ideo in cap. 1. ad Romanos vocat, *fidem electorum*, quia à ſe ipſis credentes electi ſunt. Et in illam à nobis ipſis fidem elicitam, totum prædeſtinationis arcanum refundit, in cap. 9. ad Roma. vbi vult Iacob, & Eſaü ſeparatos merito fidei apud Deum, & ita etiam nunc, quos præſciuit de gentibus, credituros elegit; & ex Iſraël reiecit incredulos. Eodem ſenſu explicat illam Dei ſententiam, *miſerebor cuius miſerebor*: id eſt, illius miſerebor, quem præſciui poſſe miſericordiam promereri, vt iam illius ſim miſertus. *Hos enim*, vt ait in caput primum Epheſiorum, *prædeſtinauit, qui credere voluiſſent*; ideo apud illum prædeſtinare idem eſt, quod præſcire, & prædeſtinati ſunt per fidem præcogniti, quos præſciuit, vel Sanctos futuros per liberum arbitrium, vel eſſe credituros. Nec aliâ ratione de prædeſtinatione, quam de reprobatione ſtatuunt: vtramque ex ſolâ præuiſione bonorum, aut malorum fieri. Atque vt vtriuſque certitudinem ſtatuant, confugiunt ad ſcientiam mediam, vt quartâ collatione dicemus.

Horum vero omnium errorum, & opinionum, dubitat D. Auguſt. variis locis, an Pelagiani fuerint authores, vel tantum aſſertores, & acerrimi notiſſimique ſuaſores: quia certum eſt illis præluxiſſe Antiquorum plurimos, vt Ruffinum, Euagrium, Palladium: & hos omnes edoctos ab Origene; qui ſuis ſcriptis ſparſit ſemina quatuor præcipuorum dogmatum de liberi arbitrij naturali, & inamiſſibili poſſibilitate ad implendam iuſtitiam, de vi legis Moſaicæ ad iuſtificationem, de gratiâ, merito, & prædeſtinatione iam explicatis. Sed quia nonnulli exacte probarunt teſtimoniis Origenis, ipſum horum omnium errorum auctorem; ne videar actum agere, vel aliena huc conferre, à longiori probatione, & inquiſitione ſuperſedeo.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Tertia conuenientia de odio gratiæ efficacis, & vocationis ſecundum propoſitum.

QVÆ ex Pelagianis retulimus, ſuo quarto ſtatu ipſos vix vllum genus auxiliorum non admiſiſſe, præter gratiam efficacem, ſeu auxilium voluntatis, ab auxilio poſſibilitatis diſtinctum, in quod congerunt calumnias ex octo capitibus repetitas, à libertate ſublatâ, à fato inducto; vix differunt ab iis quæ Semipelagiani ſcripſerunt contra D. Auguſtinum, & quæ nonnulli per multa capita, ac libros integros colligunt. Nos breuiores erimus, quod à nobis delibata demonſtrent conuenientiam Semipelagianorum cum Pelagianis, vt verbis potius quam re differant: & hoc illis commune ſit principium, homines ſalute dignos, & ſaluos fieri, *ex fonte volendi*; id eſt, primam omnium prædeſtinationis, vocationis, &c. eſſe cauſam cuiuſque voluntatem, à quâ ſit initium fidei, & ſubinde prædeſtinationis: nec poſſe præueniri voluntates noſtras, decreto Dei æterno, diſtinguente electos à reprobis, vel temporariâ vocatione efficaci, quin pereat omnino libertas. Hoc Semipelagiani, & Pelagiani vnum vrgent, & inclamant.

Atque vt paucis, quod multi latiſſime proſequuntur, caput perſtringam, duobus conueniunt: Primo odio prædeſtinationis gratuitæ, & vocationis temporariæ, ſecundum propoſitum æternum efficacis, quibus boni à malis ſecernantur. In hoc decreto æterno duo illis diſplicent; nempe natura, & efficacia: quod humanas præueniat voluntates, & vnum ab alio immutabiliter, ante mundi conſtitutionem diſcernat, idque fiat vi gratiæ efficacis per ſe.

Iiſdem Argumentis Semipelagiani hanc prædeſtinationem, & gratiam efficacem refellunt, quæ ex Pelagianis ſupra inſinuauimus. Primo Pelagiani calumniantur D. Auguſtinum, auxilio illo quod dat velle, nec tantum iuuat poſſibilitatem, tollere liberum arbitrium, ex duplici capite; cum negatur, quia eo ſummoto, non ſupereſt facultas agendi; & cum datur, quia ſuâ vi cogit voluntatem,

neceſſitatem imponit quandam fatalem. Hæc omnia ipſis Pelagianorum teſtimoniis probauimus ſupra, quibus adde aliud lib. 1. op. imperfecti, fol. 53. *Quo collecto*, ait Iulianus contra (D. Auguſtinum) *conuinceris inficiari dogmata tua, vt promittas te liberum arbitrium non negare, quod ante mali, poſtea boni neceſſitate ſubuertis.* Et 18. Pelagiani Epiſcopi relati ab Auguſtino lib. 2. ad Bonifacium cap. 5. *Sub nomine gratiæ ita fatum aſſerunt, vt dicant, quia niſi Deus inuito, & reluctanti homini inſpirauerit boni, & ipſius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum poſſit arripere.*

Eadem ad nauſeam vſque Semipelagiani Argumenta obtrudunt ex Pelagianis, de libero arbitrio extincto, de coactione, de neceſſitate homini impoſitâ, de fato inducto illâ prædeſtinatione gratuitâ, & vocatione efficaci ſecundum propoſitum. Nomen autem fati, non eo ſenſu ſumunt, quo definitur à Genethliacis, *vis poſitionis ſyderum, qualis eſt, quando quis naſcitur, ſiue concipitur*: vel à Stoicis, *omnium connexio, ſerieſque cauſarum*: ſed ex Auguſtino lib. 2. ad Bonifacium, cap. 5. *Hanc ipſam Dei beneuolentiam, qua non merita ſequitur, ſed bona indebita, gratuitâ bonitate largitur, fatum potius eſſe dicendum inquiunt*: quod fati tres habeat conditiones, nempe quod noſtras præueniat voluntates, & vt inquit D. Proſper: *Ante mundi initium, vel in ipsâ conditione generis humani eligendorum & reiiciendorum ſit diſcretio.* Deinde quod ſit immutabilis; tertio in voluntatem efficax. Contra primum ait Fauſtus lib. 1. cap. 12. *Recedat hinc originalis definitio, vel fatalis.* Contra alterum cap. 4. *Nam etſi ad quam partem fuerit deputatus ignoret; vtramque tamen partem defixam eſſe & immutabilem non ignorat.* Contra 3. lib. 2. cap. 2. *Oratio intercedit oraculo, reſoluit deprecatio definitionem.* Et infrà: *Elige vtrum velis.* (Aut neceſſitatem nempe prædeſtinationis & vocationis Dei) *confitere mutatam; aut veritatem conuince mentitam.*

Retulimus ſupra Pelagianos infamare auxilium actionis, quod ſecuritatem ignauam afferat, laudem, meritum, & præmium tollat: hæc enim eſt vox Pelagianorum apud D. Aug. Ep. 2. ad Valerium, *Nec ſic deffendatis gratiam, vt quaſi de illâ ſecuri, mala opera diligatis.* Di-

cebant enim, *Si Spiritus vbi vult spirat, & diuidit singulis prout vult, semota omni sollicitudine; secure expectandam cœlitus gratiam, velut aquæ motionem: nihil studij expectari ab humana voluntate debere*, vt inquit Iulianus lib. 4. Contra Iul. cap. 8. *Contra illud Euangelicum quo ait Dominus petite & accipietis.* Plura alia suprà retulimus ex Pelagianis.

Hæc Argumenta Semipelagiani amplificant, & pluta addunt. Ex illâ enim prædestinatione contendunt nasci desperationem, & ignauiam, vt testatur D. Prosper Ep. ad D. August. *Hoc propositum vocationis & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem Teporis afferre.* Desperationis causas repetebant ab illius decreti incertitudine, vt D. Augustinus ait lib. 2. de Dono Perseuerantiæ cap. 17. *Nolunt*, inquit, *hominibus prædicari donum Dei esse, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide: ne plus desperatio, quam exhortatio videatur afferri, dum cogitant, quia audiunt incertum esse humanæ ignorantiæ, cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.* Et eandem causam insinuat D. Hilarius Ep. ad D. August. *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt.* Et D. Prosper, *sub incerta spe, cursum non posse esse constantem.*

Sed hanc desperationis causam refellit D. August. de Prædest. Sanctor. cap. 11. *Miror homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei: quid ergo? Tua ne tibi voluntas de te ipso certa est*, &c. *Cum igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit.*

Alteram huius disputationis causam insinuat D. Prosper, *eo quod vtrâque parte superfluus labor sit, si neque electus vlla industria possit intrare; neque electus vlla negligentia possit excidere.* (Hæc ratio petitur ab immutabilitate decreti diuini.) *Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definiuit, accidere: & sub incerta spe, cursum non posse esse constantem: cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio.* Ita D. Prosper.

Tertiam desperationis causam insinuat D. Prosper ab infirmitate hominis, *quæ tanta est, vt non possit velle in-*

stitiam, nisi voluntate à Deo donata. Hinc etiam dicunt induci securitatem, *qua sibi expectet cœlitus dari bene viuendi voluntatem.* Hanc causam socordiæ insinuat D. Augustin. ex Massilienſibus, lib. de Dono Perseuerantiæ cap. 15. *Si qui estis necdum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis, & sitis electi.* Altera ignauiæ causa est, quod putent D. Augustin. totum effectum in vnam gratiam referre: & hunc sensum refellit Faustus, lib. 1. capite 11. *Nunquid Dominus per se tantum, velut solitaria procuratione salutem humani generis administrat?*

Iisdem de causis quibus desperationem & ignauiam induci dicunt, addunt etiam præcepta, exhortationes, correctiones, & orationes tolli, aut inutiles fieri: idque multis ex capitibus: primo quidem quod homo nihil possit, etiam ad inchoandam salutem, nisi per gratiam detur. Hanc causam insinuat D. Hilarius: *Excludi putant omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur, remansisse dicatur.* Altera causa petitur ab immutabilitate decreti diuini. Hanc etiam insinuat D. Hilarius. *Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad vtramque partem, vt de aliis ad alios nullus possit accedere; quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Hæc omnia complectitur Faustus lib. 1. capite 4. *In alterutram partem subsidia orationis excludunt. Quid enim vltra speret, quem jam gratia suum fecit? In quo è contrario non desperet, quem prædefinitio violenta damnauit?*

Superioribus Pelagianorum Argumentis, addebant Semipelagiani plura. Improperabant primum D. August. vt refert D. Prosper Epistola ad Ruffinum, *Duas illum humani generis massas, duas credi velle naturas, vt scilicet tanta pietatis viro Paganorum & Manichæorum ascribatur impietas.* Et Faustus lib. 1. cap. 13. *Quicumque duas humani generis massas esse arbitrabaris, vnam sacra ex lectione cognosce: duas autem facit prauitas studiorum, & diuersitas voluntatum*, Obijciebant præterea, quod ex D. Augustino, Deus omnes homines non velit saluos fieri; sed certum numerum prædestinatorum. Hoc recenset D. Prosper inter obiectiones Gallorum, & Vincentianas, *quod non pro totius mundi redemptione*

Saluator sit crucifixus; quod vocatorum, non omnes æqualiter sint vocati; sed alij vt credant, alij vt non credant. Hoc idem vrget Faustus lib. 1. cap. 16. *Si ante sæcula definitio vetusta præfixit nouum remedium, nihil agere potuit, nullam Christus veniendi causam, nullam habuit moriendi necessitatem.*

Addunt tertio ex assertione huiusmodi propositi sequi, *quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum: vt non Dei, sed diaboli faciat voluntatem. Deum fore authorem peccati; quod tale in hominibus plasmet arbitrium quale est Dæmonum: quod proprio motu, nihil aliud possit, vel velit, nisi peccare.* Et hinc apud D. August. de Dono Perseuerantiæ cap. 15. dicunt neminem posse corripi, *si dicunt populis, si qui obeditis, si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis.* Tandem damnabant huiusmodi constitutionem diuinam, quæ humanas præuenit voluntates, quod vt inquit D. Prosper, *contrariam putabant Patrum opinioni Ecclesiastico sensui,* & ipsimet Augustino, qui reuera Semipelagianis ante Episcopatum assentiebat, vt ipse fatetur libro primo retractationum capite 26.

Nec solum conuenichant Semipelagiani cum Pelagianis, odio gratiæ efficacis, & Argumentis, quibus illam impugnabant; sed etiam assertione cuiuscumque alterius gratiæ, dummodo voluntati subijceretur, esset communis omnibus, & sub illius adiutorio quisque sese discerneret, & à seipso haberet ad minus initium salutis, cuius merito, vel occasione à Deo adiuuaretur. Hoc vnico Argumento ex superioribus facile euinci posse certum est Semipelagianos nullum gratiarum genus improbasse, earum quas ipsi Pelagiani quarto suo statu admiserũt: Atqui iam demonstratum est Pelagianos duplicem distinxisse Dei voluntatem, seu prædestinationem; communem vnam & conditionatam, quâ vult Deus omnes homines saluos fieri, alteram absolutam in singulos ex præuisa illarum fide, seu bona voluntate: idem docent Semipelagiani, vt satis constat ex Diuo Hilario, & Diuo Prospero, Fausto, &c.

Ex illo vero proposito generali statuunt profluere plu-

res gratias generales, quarum prima est doctrina, & Euangelij prædicatio: Secunda est posita in reliquiis quibusdam primæ integritatis, seu naturalis possibilitatis boni, vnde diximus illos deriuare fidem, & initium salutis, in quæ prorumpit voluntas excitata prædicatione, inspiratione, imo & gratia interiori, qualem dicitur habuisse Adamus, non solum habitualem, sed etiam actualem. Ab vnâ tantum gratiâ abhorrent, quæ scilicet det velle, & voluntati dominetur: neque etiam ab illâ sibi timent, dummodo aliquod initium habeant à voluntate, quâ fiat discretio electorum: eâ autem semel constitutâ, gratiam quæ det velle, agnoscunt. Hæc multis probata sunt, pluraque addemus deffensione Salmaticensium, & Ioannis à sancto Thoma.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Quarta Collatio, & conuenientia Pelagianorum cum Semipelagianis, quoad vsum scientiæ mediæ.

HOc vltimum tandem caput est, quo Semipelagiani consentiunt Pelagianis, quoad vsum scientiæ mediæ: ad eam enim confugiunt quasi ad Portum, vt salua libertate nostrâ, Dei certam prædestinationem, & vocationem faciant. Communia enim sunt hæc duo apud illos principia, prædestinare idem esse quod præscire, & quemlibet prædestinari ex præuiso aliquo salutis initio à seipso, etiam sub gratiâ petito: vndè consequitur necessarius vsus scientiæ mediæ, vt expresse docet Pelagius Commentariis in 8. & 9. ad Romanos, & D. Augustinus Epistola 105. ad Sixtum ait: *Mirum est*, inquit, *cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis, ideo inquiunt nondum natorum alium oderat, scilicet Esau, & Iacob diligebat; quia futura eorum opera præuidebat: & ex ipsorum operibus Deum habere aut odium, aut misericordiam.* Idem habet Iulianus libro primo operis imperfecti folio 184. *Non in seminibus, sed in moribus esse distantiam, siquidem Iacob, & Esau vna seminis exceptione concep-*

si, & vna vi parentis effusi, diuersos nimium exitus pro diuersitate meritorum pertulerunt. Quænam vero fuerint illa merita paruulorum, ex quorum præscientiâ amor Dei, aut odium nasceretur, mirum est, vt ea explicent, in quæ diuersa deliramenta delabantur. Quidam dicunt ipsam luctam geminorum vni vitio, alteram merito esse versam, quod impugnat D. August. Epistola 106. *Quomodo in infantibus hæc agentibus, nullum est ad bonum, vel ad malum propriæ voluntatis arbitrium, vnde præmia siue supplicia meritis præcedentibus subsequantur?* Alij volunt paruulos, quorum vnus post baptismum, alter ante baptismum obierit, præuisos si viuerent aliquid proprij peccati, vel boni operis habituros; quorum causa vnus alteri anteponeretur. Idem deliramentum Semipelagiani expressius docuerunt, referentibus D. Hilario, & D. Prospero, & D. Augustino de Prædestinatione cap. 14. & 13. vt videatur præ Semipelag. Pelagianos absoluere, quod minùs aperte hæc commentitia merita conditionata per scientiam mediam nota docuerint, & in illa retulerint totum prædestinationis arcanum, quod inclamat D. Paulus: *Non volentis neque currentis, sed miserentis esse Dei.* At Pelagiani hunc locum adulterant falsis interpretationibus, *quasi hoc non sit dictum ex persona Pauli, sed cum voce interrogantis, & redarguentis vsum fuisse, quasi hæc dici non deberent. Vel Paulum assumere personam impij dicentis non esse in nobis recte, aut malum agere, sed in Dei arbitrio constitutum.*

Ex totâ serie concertationum Ecclesiæ Catholicæ duce Augustino contrà Pelagianos, & Semipelagianos, concludimus hæreticos doctrinam de Prædestinatione ab Augustino nomine Ecclesiæ traditam infamasse multis calumniis, & eam adulterasse repetito à nobis initio salutis, & per scientiam mediam, siue sub gratiâ internâ, siue sub gratia præuiso, & decreti prædestinationis, & vocationis ab Augustino traditæ, quoad tria damnasse: quoad originem, quoad ambitũ, & latitudinem, & quoad exitum, & efficaciam. Damnant primo originem, quod humanam præueniat voluntatem, nec ab illa expectet aliquod initium præuisum absolute, aut conditionate, & inde dicunt extingui libertatem, induci fatum &c. Eandem calumniam ingeminant in ambitum huiusmodi

decreti, quod velit D. Auguſt. latiſſimè patere, & perſeuerantiam complecti, nullo præuiſo noſtræ voluntatis conſenſu. Ijſdem machinis impetunt efficaciam illius vocationis, quæ infallibiliter conſenſum eliciat etiam non præuiſum.

Poterat D. Auguſt. ſatisfacere Aduerſariis, & ad Eccleſiam reuocare vno verbo, quæ illos peſſime habebant, & tranſuerſos agebant, fieri beneficio ſcientiæ mediæ, nec decretum ab æterno conſtitutum, nec protendi ad perſeuerantiam electorum, nec in tempore impleri, niſi præuiſo electorum conſenſu. Cur ergo tot ſcandala, tot pericula, tot viris grauibus, & amicis flagitantibus, non ſemouit veteris ſententiæ interpretatione? Si id non potuit, ignorantiſſimum, & ſtupidum facis: ſi noluit impiiſſimum & nequiſſimum: eoque inexcuſabilior fuit ignorantia, aut nequitia, quod Pelag. & Semipelag. hanc ſcientiam ſubiecerint D. Auguſtino quaſi malorum omnium remedium: & ab illa abhorruerit Auguſtinus, aut ad minus ab illius vſu, in his de gratiâ, & prædeſtinatione controuerſiis abſtinuerit. Hoc vno præiudicio ſtatuere poteſt prudens Lector, quid de totâ re ſit ſentiendum. Sed ne videar ſolis præiudiciis agere, expendenda ſunt accuratius, quæ in partem vtramque ex Diuo Auguſtino referuntur.

ARTICVLVS QVINTVS.

Auguſtinus aſſeritur Scholæ Thomiſticæ quoad doctrinam gratiæ, & prædeſtinationis, ſeclusâ ſcientiâ mediâ.

MENTEM Diui Auguſtini de ſcientiâ mediâ, & ſubinde de prædeſtinatione, & auxiliis diuinæ gratiæ, duplici methodo inueſtigauimus, nempe ex Doctoris Sanctiſſimi certis principiis, & ex ſerie controuerſiarum cum Pelagianis, & Semipelagianis, quæ tandem in diſputationem deſierunt de ſcientiâ mediâ ab heterodoxis adhibitâ, ad omnes nodos diſſoluendos, quibus putabant ſe Auguſtinum implicaſſe: ab eâ vero ſcientiâ non minùs abhorruiſſe D. Auguſtin. quam Pelagianos à gratuitâ prædeſtinatione, & ab adiutorio *quo*, ſeu volun-

tatis, hâc quam teximus ſerie, duobus potiſſimum locis Parag. 3. & 4. Articuli tertij, & vltimo Parag. 4. aperte demonſtrauimus. Nam Pelagiani quarto ſuæ hæreſis ſtatu, & Semipelagiani, omne genus auxiliorum *ſine quo non*, ſeu poſſibilitatis admiſere, quod beneficio ſcientiæ mediæ, ſeu præuiſione conſenſus conferrentur, & coagerent voluntati, & ab illâ determinationem expectarent, auxilio *quo* excluſo, ſeu voluntatis, quod infallibiliter afferret actum non conſultâ priùs, nec exploratâ voluntate.

Quid vero id eſt, quam quod tota Schola D. Thomæ conſtantiſſime docet? Atque his omnibus Argumentis res videbantur apodictice confecta, & abunde factum ſatis, quamuis minus æquæ poſtulationi, quæ ſingulis cui reſpondemus libri paginis legitur, vt decreta expreſſis verbis apud D. Auguſtinum exſtantia monſtremus, quibus innitatur futurorum veritas; quandoquidem nullum agnoſcit D. Auguſtinus futurum certo ſcitum à Deo ante decretum, & conſilium latens, quod Pelagiani iiſdem infamant calumniis, quibus Scholæ Thomiſticæ doctrina de prædeſtinatione, & gratiæ auxiliis, quotidie laceſſitur. Quid enim apud Recentiores contra nos frequentius auditur, quam quod D. Auguſt. legimus a Pelagij diſcipulis millies obiectum, prædeſtinatione, & gratiâ ab illo traditâ tolli libertatem, induci fatum, & deſperationem; nec vnquam ab Auguſtino dilutum vllo ſcientiæ mediæ vſu, aut beneficio, ſed omnipotentiæ Dei vi efficaciſſimâ quæ humanæ voluntatis libertatem cum præſcientiâ, & gratiâ Dei conciliet?

Sed ne in controuerſiâ tanti momenti videar aliquid prætermiſiſſe, quod ad Scholæ noſtræ doctrinam ſtabiliendam conferat, inuicte nobis Diuum Auguſtinum aſſeremus, noúis ex eodem promptuario aſſumptis Argumentis, id eſt, ex principiis doctrinæ Auguſtinianæ contra Pelagianos, atque inde conſenſum D. Thomæ, & eius Diſcipulorum cum Sanctiſſimo gratiæ Doctore, euincemus contra tres ordines Aduerſariorum. Hîc enim pugnandum eſt primo cum Recentioribus, qui duce Molina totam ſalutem hominum, & Angelorum reuocant ad vnius ſcientiæ mediæ vſum, deinde cum Ianſenio & eius Diſcipulis, qui lapſi hominis gratiam ex vſu ſcientiæ mediæ diſpenſari negant: ex ea vero ſtantis hominis, & omnium

nium Angelorum prouidentiam moderantur. Tertio cum Caluiniſtis, qui gratiæ Chriſtianæ efficaciâ humanam libertatem tolli cenſent cum Monachis Adrumetinis; & conſenſum cum illis paſſim nobis improperant Recentiores. Depellendis ergo his calumniis, & aſſerendo nobis D. Auguſtino pugna eſt ineunda cum his tribus Aduerſariorum agminibus.

PARAGRAPHVS PRIMVS:

Vindicantur teſtimonia ex D. Auguſtino contra ſcientiam mediam à Salmanticenſibus, & Ioanne à S. Thoma deprompta.

EA eſt locorum, ex D. Auguſtino contra ſcientiam mediam copia, vt ſi ſingula referre velimus, libri ſint exſcribendi potius, quam ſeligenda teſtimonia, quibus euincamus ſtare à nobis Sanctiſſimum Doctorem; ea eſt etiam eius doctrinæ conſenſio, & euidentia, vt Molina pro ingenitâ, quam propugnabat, libertate, nihil dubitauerit ſcribere Concordiæ quæſt. 23. Art. 4. & 5. Diſputatione 1. Memb. vltimo ignoratam, aut certe improbatam Auguſtino ſcientiam mediam; vnde addit natam olim Pelagianam hæreſim, & noſtro ſæculo Lutheranam, atque ex ea illa ſubſecuta fuiſſe infinita ſcandala, & mala, quibus mederi potuiſſet Auguſtinus vno ſcientiæ mediæ vſu, à ſe inuentæ.

Atque hic obiter refellere licet defenſionem eiuſdem Molinæ, quaſi inique à Dominicanis accuſati raptique ad Tribunal, quod rem nouam doceret, nempe ſcientiam mediam, quæ ætate D. Auguſtini docebatur à Catholicis, quamque Salmanticenſes monent ab hæreticis traditam, non tamen hæretice: vnde infertur Diſput. 3. Num. 23. immeritò Dominicanos tanto ambitu poſtulaſſe à Sancta ſede, vt quæſtionem hanc indeciſam, cuius tempore D. Auguſtini libera fuerat inter Catholicos in vtramque partem definitio, contra Molinam ſanciret.

Illud velim obſeruari à Lectore, vix vnquam ſincere, & bona fide, noſtris Authoribus dicta, & ſcripta; ſed omnia dimidiata, aut tertiata, referri: vt ſeipſis videantur

cadere, aut nullo negotio refellantur. Exemplo, & Argumento sit (vt infinita huius generis omittam quæ singulis paginis occurrunt) quod de lite in Molinam motâ recitaui, quasi hoc solum nomine accusatus sit, quod scientiam mediam inuexerit, quam multi contendunt ab Augusst. vsurpatam ad hominis stantis, & omnium Angelorum regimen. Sed summâ calliditate, litis causa honesto titulo tegitur. Non est actum in Molinam, quod scientiam mediam inuexerit, sed quod ignotam dixerit Augustino, & ex eâ inscitiâ infeliciter pugnasse contra Hæreticos; nec posse vinci, nisi ex promptuario scientiæ mediæ, noua arma expediantur, quorum vsum nescierit, aut neglexerit D. Augustinus cum magnâ animarum pernicie. Hoc male habuit Dominicanos, imo ipsos Molinæ defensores, qui verba in D. Augustinum, & Ecclesiam contumeliosa eraserunt ex posterioribus Molinæ editionibus, atque hâc fraternâ emendatione, publicam Ecclesiæ in ipsum sententiam auerterunt.

Bellarmini contra hæreticos nostri temporis decertantis, præter cæteras dotes eximias, & Catholico Doctore dignas, mirantur ipsimet hostes Ecclesiæ illius fidem ab omni fuco remotam, quâ Aduersariorum Argumenta augeat potius, quam eleuet, multoque fortiora sibi subiiciat, quàm exstent in illorum libris. Sed hunc candorem passim desideres, in hoc cui respondemus opere: & omissis pluribus quæ iam obseruaui, non sunt dissimulanda quæ occurrunt examine primi testimonij à Salmaticensibus ex D. Augustino deprompti lib. de Prædest. Sanctorum cap. 15. de meritis conditionatis eorum qui immaturâ morte, antequam quidquam boni, vel mali egerint, præripiuntur, baptismo, aut susceptо, aut negato. Et vt validius hoc Argumentum intorqueat D. Augustinus contra Pelagianos, aut Semipelagianos, qui electos, & reprobos, à seipsis, & ex suis operibus discerni pertinaciter asserebant, & ex meritis, aut præuisione operum gratiam conferri: vrget geminorum exemplum ex eâdem matre procreatorum, quorum neuter ad adultam ætatem perueniat; vnus tamen baptizatus obeat, alter ante baptismum.

Hoc exemplum habet libro 2. ad Bonifacium cap. 7. libro primo de Origine Animæ cap. 12. & vtrobique, tum

etiam de Prædeſtin. Sanctorum cap. citato, Pelagianos premit hoc exemplo, vt euincat nihil illi, ſupereſſe perfugij, niſi ſe ſe recipiant ad merita paruulorum conditionate futura, ſi ad adultam ætatem viuerent. Ab hoc tamen errore, quaſi à præcipitio abhorruerunt Pelagiani, quem probaſſe Semipelagianos initio ſuæ hæreſis miratur D. Auguſt. libri citati cap. 13. *Quod viderunt Pelagiani eſſe falſiſſimum, & abſurdiſſimum, hoc non vidiſſe iſtos, qui nobiſcum errorem illorum hæreticorum Catholica auctoritate condemnant*; Et addit, *iudicari autem quemquam, non ſecundum merita, quæ habuit quamdiu fuit in corpore, ſed ſecundum merita quæ fuerat habiturus, ſi diutius fuiſſet in corpore, vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non eſſe contemptibilia veſtra indicant littera,* (Proſperum, & Hilarium alloquitur) *& mirans, & ſtupens reperire non poſſum: nec credere auderem, niſi vobis non credere non auderem.*

Duobus vero Argumentis, his tribus locis impugnat huiuſmodi merita conditionate tantum futura, vel adultorum, vel paruulorum. Primum repetit ab abuſu ſcientiæ mediæ, quod homines cuiuſcumque ætatis pœnas dent, aut præmia recipiant, ob merita, vel opera nunquam reuera futura, ſecunda à repugnantiâ huiuſmodi ſcientiæ futurorum. Verba ex primo de Animæ Origine cap. 12. retulimus Sectione 1. Art. 3. Paragr. 2. Idem ſenſus eſt verborum, eadem vis Argumenti ex aliis locis cap. 14. Præd. Sanctorum, ita habet: *dictum eſt Sapien. 4. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod erat futurum, non quod futurum non erat, id eſt, quòd ei mortem immaturam erat præſtiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto, non quod peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.*

Ex quibus locis colligo primo, hanc de futuris meritis conditionate reſponſionem, perinde Pelagianis, ac Semipelagianis neceſſariam; & ex illorum principiis conſequi, quibus ſortem hominum referunt in propriam cuiuſque voluntatem: ab eâ tamen abſurditate receſſiſſe Pelagianos, omnis conſilij inopes, quibus vel eiurandus fuit error de gratiâ ex meritis cuique dandâ, vel admittenda

merita conditionate futura, quibus geminorum vnus baptizatus, ab altero ante baptismum defuncto secernitur, & hoc vltro concessisse Semipelagianos obstupescit D. Augustinus: sed haud scio, an æque mirandum sit, negari à Semipelagianis asserta Numero 26. fusissime, & intricatissime. De his D. Augustini testimoniis agitur per plures paginas, vt facile quisque intelligat torqueri non minus Recentiores quam veteres illos, quos huiusmodi locis premebat D. August.

Ego in re apertâ, paucis & dilucide tot tricas hoc Argumento rescindam. Indubitatum est, Semipelagianos vltro esse confessos id genus meriti, quo puer post baptismum mortuus, secernitur ab alio ante baptismum defuncto; quod D. Augustinus vrgebat contra Pelagianos, ex illorum principiis, quasi necessariâ consecutione deducendum, quodque ipsi pertinaciter negabant. Atqui certum est, pueris ante adultam ætatem defunctis cum baptismo, aut sine baptismo, non posse competere, imo nec de illis fingi aliud genus quam meriti futuri conditionate; ad illud compellebat Pelagianos D. Augustinus, ipsi pernegabant: Ergo hoc ipsum est meritum probatum à Semipelagianis, cum stupore D. Augustini, quod initio Hæresis eo insaniæ euaserint, quo non fuerint ausi Pelagiani etiam ad finem progredi. Consequentia ex præmissis est euidentissima. Argumenti partium singulæ, ita sunt apertæ, & per se notæ, vt superfluus labor sit, in illis probandis immorari.

Atque eodem Argumento refellitur responsio Suaris, & Herice, Augustinum iis locis refelliere merita absolute futura. Sed indignum plane esset sapientia tanti Doctoris Paralogisare, seu quod idem est, disputare cum Aduersariis præter illorum mentem, eaque illis affingere, quæ sobrius aut sanus cogitare nequeat: Atqui omnem superat insaniam, de pueris ante adultam ætatem mortuis, comminisci merita absolute futura: Ergo nec Semipelagianis potuit in mentem venire, id genus meritorum probare, nec Augustino oppugnare. Quare aliena prorsus est à sensu illorum responsio Suaris, & interpretatio quâ eorum dicta explicantur à Numero 37. ad finem vsque Paragraphi, Semipelagianos inuexisse merita absolute futura, quibus puer ante mortem baptizatus, secer-

nitur â puero ſine baptiſmi gratiâ defuncto. Atque hoc argumento facile eſt infringere quæcunque in Salmanticenſes inferuntur.

Sed ne videar quem in aliis improbo, morem imitari vitilitigandi, vltro agnoſco Salmanticenſes aliquantulum à ſenſu Pelagianorum aberraſſe, dum aiunt illis probata huiuſmodi merita paruulorum. Certum eſt enim ex D. Auguſtino, ab illis ſemper abhorruiſſe, ſed fuiſſe à Sanctiſſimo Doctore obiecta, quaſi neceſſariâ conſecutione eorum principiis connexa: & ideo ad has anguſtias redigit D. Auguſtinus, vt negandum ſit illis dari gratiam ex meritis, vel admittenda merita, quibus geminorum diſcretio fiat ex operibus conditionate futuris. Neutram partem admiſere Pelagiani; Semipelagiani vero poſtremæ adhæſerunt: hos omnes damnat D. Auguſtinus: ſed hâc parte ait plus ſapere, aut minus deſipere Pelagianos. Proprium vero Semipelagianorum errorem refellit, quod huiuſmodi futuris, neque vlla vis meriti competat, neque veritas quæ ſciri à Deo poſſit ante actuale decretum.

Quæ obiiciuntur contra D. Auguſt. hanc interpretationem, debiliora ſunt, quam vel poſſint nos à veritate adeo apertâ dimouere. Non capio, quo pertineat quod dicitur Numero 26. abrogatam à Semipelagianis auctoritatem ſcripti Canonici libro Sapientiæ, vnde ſuam Argumentationem deprompſit D. Auguſt. niſi aduertamus totam eius diſputationem duabus partibus conſtare, quarum vna falſam à Semipelagianis immaturæ mortis cauſam à meritis conditionate futuris repetitam refellit; altera veram aſtruit ab ingruentibus peccati periculis, his qui longiorem vitam viuunt; & hanc confirmant ex libro Sapientiæ, & ex Cypriano de immortalitate. Quid mirum eſt, diſplicere Semipelagianis libros, vnde depromuntur teſtimonia, quæ aduerſam ſuo errori D. Auguſtini ſententiam demonſtrant, nempe cauſam immaturæ mortis non eſſe merita quæ fingunt conditionate futura, ſed pericula quæ longiori vitæ impendent.

Nec validiora ſunt, aut magis ad propoſitum, quibus Numero 27. impetitur alter locus D. Auguſt. ex 2. libro ad Bonifacium cap. 7. quaſi mirum ſit, quod ſupponamus D. Auguſtinum eo loci impugnare hæreticos, qui

nondum erant, nempe assertores meriti conditionate futuri. Sed hæc obiectio est occupata nostrâ obseruatione, D. Augustinum eo loci, & libro primo de Origine Animæ cap. 12. agere contra Pelagianos inuicto Argumento, vt gratiam baptismi, sine vllo merito, & gratuitâ Dei electione conferri probet; nec vlla esse comminiscenda futura conditionate merita, quorum vi, & præuisione detur vni paruulorum, alteri negetur: vel si adeo absurdo paradoxo nolint assentiri, abiiciendum errorem de gratiâ ex meritis collatâ. Huius dilemmatis neutra pars Pelagianis placuit, primam de meritis elegerunt stulte Semipelagiani, cum illis conditionate futuris nulla insit vis, aut certa veritas, & notitia. Atque hæc est legitima interpretatio Argumentationis D. Augustini.

Neque obest quidquam quod obijcitur num. 12. hunc librum scriptum contrà Vincentium Victorem, ab hoc errore immunem. Id enim gratis dicitur, cum D. August. libro secundo Retractationum cap. 5. dicat his 4. libris multos errores, & peruersitatem præsumptionis Victoris ostendi, quarum vnâ Semipelagianis præiuit: & cum faueret Pelagianis negantibus peccatum originale, aut gratiam ex merito dari asserentibus; illum premit Argumento à meritis conditionate futuris, vt eiuret alterum errorem de gratiâ, ex meritis collatâ: eadem est defensio quarti loci ex 26. libro contra Faustum capite 4. & efficax contra futura quæcumque, ante Dei decretum actuale.

At inquies, D. August. eo loco disputat contrà Faustum Manichæum, non Pelagianum, aut Semipelag. quomodo potest ex his quæ cum illo disputantur, antequam Pelagiani nascerentur, intelligi quænam fuerit inter Diuum August. & Semipelagianos contentio? Quasi quod eo loci affert, non sit commune, nec pertineat ad omne genus futurorum, quæ à Deo pendere statuit his verbis, *illud sane scimus, hoc de Elia factum, quod Dei voluntas habet, quod autem voluntas Dei non habet, fieri de quoquam omnino non posse.* Adeo patet hæc regula, vt in anteceſſum valeat contra errores aliquando nascituros, qualis est ille, quem refellit D. Augustin. de meritis conditionate futuris ante Dei decretum. Quinti loci examen differimus ad Paragraphum sequentem.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Difficiliorum Argumentorum ſolutio quibus ſuperiora impugnantur.

HACTENVS leuioribus argumentis vellicata ſunt teſtimonia per partes; apertiùs omnia vniuerſim per multas ambages impetuntur 5. Argumentis difficilioribus. Certe cum de mente Authorum agitur, eo magis ſuſpecta videtur interpretatio, & inquiſitio, quo ſubtilior eſt, & apices Metaphyſicæ captantur. Sed ne ſingula quæ his argumentationibus afferuntur, ad longiùs examen vocemus; non omiſſa idonea reſponſione; aperiendus eſt controuerſiæ ſtatus, ex ipſis locis vnde ſunt deprompta teſtimonia, libris de Prædeſt. Sanctorum, contra 2. Epiſtol. Pelagianorum, & de Origine Animæ. Vt ipſimet tituli librorum clamant, non agitur de quibuſcunque futuris, aut operibus, ſed gratiæ, eiuſque auxiliis, non toto ambitu, ſed homini lapſo ad ſalutem neceſſariis. De gratia enim Chriſti agitur ex redemptione captiuis, non homini ſtanti, aut Angelis conferendâ: & ad hoc caput reuocatur quæſtio, an collatis homini auxiliis, quibus poſſibilitas iuuatur, illorum vſus, & actus qui inde exiſtunt, ſint priùs à diuinâ, an à creata voluntate, ſeu vtrum Deus homini præuideat ab æterno, & ex tempore inchoandum à ſeipſo conſenſum, an à Deo detur. Hoc vnice controuertitur D. Aug. inter & Pelagianos, & Semipelagianos, & quamuis ab iis quæ de ſubiecta quæſtione docet, & ſtatuit D. Auguſtinus, poſſimus aſſurgere ad principia communia omnibus gratiæ & naturæ operibus; intempeſtiue tamen ad illam regulam generalem noſtra diſputatio reuocaretur, & præpoſtere deſcenſus inde fieret ad interpretenda, quæ D. Auguſt. tradit de auxiliis homini lapſo neceſſariis, nec permiſcendæ controuerſiæ ſunt quæ ſingulares habent difficultates.

His breuiter prænotatis, facilis eſt reſponſio ad quinque Argumenta per ſe ſatis intricata, quibus noſtra interpretatio impugnatur. Solutio primi occupata eſt noſtra obſeruatione, non agi his libris D. Auguſtini de Prędefini-

tionibus generatim quarumcumque rerum, sed bonarum; neque id vniuersim de quibuscumque actionibus, quæ ad salutem pertinent, sed de his tantum bonis, quæ ex gratia Christi Redemptoris profluunt. Hinc ergo cadit quod primo Argumento assumitur; nos tota molitione eo tendere, vt obtineat apud D. August. tam late patere prædefinitionem, quam præscientiam futurorum. Quidquid de hoc sit, nihil refert ad nostram controuersiam; quia ad interpretationem D. Augustini satis est, omnia gratiæ opera ab homine lapso & sanato elicita, cognosci tantum in prędestinatione, seu prædefinitione quâ dantur, quidquid sit de operibus hominis stantis & Angelorum; quod ad aliam disputationem spectat.

Hinc etiam prędiuduntur difficultates quas congerit secundum Argumentum, vtrum ita se res habeat, de operibus naturæ bonis, aut malis, aut indifferentibus. Quidquid de his rebus statuatur, sufficit ad subiectam controuersiam, ex D. August. causam discretionis electorum, & reproborum, non esse repetendam, neque à naturâ, neque à gratiâ communi bonis & malis, neque à voluntate creata, sed à diuina, & à prædestinatione. Si hoc neges, vincet procul dubio hæresis Pelagiana, illique decedet, quam propugnat D. Augustinus, Catholicorum sententia: nihilque verius quam quod ex Salmanticensibus carpitur num. 32. concesso decreto conditionato, aut absoluto, quo nitatur futurus nostræ voluntatis consensus, euacuari errorem Pelagij: quia hoc constituto, prima discretionis & prædestinationis bonorum causa refunditur in voluntatem diuinam, quam illi contendebant referendam esse ad voluntatem creatam, quâ sub auxiliis gratiæ communis, se ipsum quisque discernit, à se sumit initium salutis, & vsum gratiæ, quasi à Deo solum posse habeat, à seipso velle.

Hinc etiam soluitur tertium Argumentum duobus superioribus duplo longius, & implicatius, quod eâdem obseruatione excluditur. Si D. August. ante decretum voluntatis de dandâ gratiâ efficaci ad opus bonum, negaret à Deo sciri vt conditionate futurum, eâdem inquiunt ratione, negandum illi erat præsciri à Deo non esse futurum. Hanc propositionem quæ est totius Argumenti cardo, negauimus aliàs cum Nazario, ex quo assumpsimus

hoc ſumme obſeruandum; propoſitionum de futuro contingenti ante diuinæ voluntatis determinationem, vel cuiuſcumque cauſæ, falſam eſſe affirmatiuam, veram quæ negat rem futuram, veritate tamen non omnino immutabili, niſi propoſitio in ſpeciem negatiua, vim habeat affirmatiuæ. Ac proinde falſum eſt, quod progreſſu illius Argumenti aſſumitur, illo priori rationis inſtanti ante decretum Dei, parem eſſe rationem, ſeu præciſionem futuri, & non futuri: nam pro illo inſtanti rationis, aut naturæ, quo decretum diuinum & omnem cauſæ determinationem intelligitur antecedere, falſa eſt affirmatiua, *res erit*, vera, negatiua, *non erit*, quod veriſſimum eſt pro illo ſtatu, aut inſtanti, quo nulla eſt, aut concipitur cuiuſcumque cauſæ determinatio ad rei futuram productionem.

Dixi veram eſſe, non tamen veritate omnino immutabili, donec accedat decretum de actu non ponendo, cuius vi propoſitio ſpecie negatiua, tranſit in affirmatiuam omnino immutabilem; quo ſenſu, quâue formâ aſſumitur à D. Auguſtino, & opponitur falſæ propoſitioni affirmatiuæ *res erit*, quia D. Auguſtinus diſputat cum Pelagianis, ex regulis Scripturæ, & Theologiæ, non ex præciſionibus Metaphyſicis, quaſi rem futuram, aut non futuram attenderet, vt à decretis Dei ſeiunctam; ſed ſupponit alteri parti adiunctum decretum, cuius acceſſione ſit certò à Deo præſcita. Si vero ſepoſito Dei decreto, veritas futuris conſtaret; vinceret ſine dubio Pelagius, & primas vindicaret voluntati creatæ, poſtremas relinqueret gratiæ, & voluntati diuinæ. Atque hinc manifeſtum fit, futuris quibuſcumque, maxime ad ſalutem ſpectantibus operibus bonis, in neutram partem veritatem competere, aut à præſcientia attingi ante acceſſum decreti diuini: Nam ſi eo poſſibili, & gratiâ poſſibilitatis ſuſpenſâ, conſenſus voluntatis creatæ ex innatâ libertate præuideatur futurus, quatenus decreto & gratiæ Dei indifferentibus, in alteram partem dat determinationem; quis non videat, neceſſariâ conſecutione quæcumque negat D. Auguſt. & Pelagiani affirmant, veriſſima & certiſſima eſſe, quemlibet ſe diſcernere, initium ſalutis, & prædeſtinationis cauſam, à noſtrâ voluntate eſſe vt à prima radice? Hinc deffendi poſſunt ſigna rationis, quæ diſtinguunt Salmanticenſes, &

quæ male expunguntur, nec melius refellitur negatiua futuritio rei ad sensum Nazarij explicata.

Eâdem obseruatione expeditur 4. Argumentum. Falsum enim est quod prima propositio assumit, dum Dei præscientiam de futuro conditionato sistit intrà signum rationis quod antecedit omne decretum, vt inde inferatur, non debere D. Augustinum prima ratione contrà Pelagianos assumere, quod oppositum sit absolute futurum: supponimus enim D. August. non agere de conditionate futuris Metaphysicum, sed Theologum, nec ex solis præcisionibus, & opposita propositione, non futuri specie & reipsa negatiua arguere; sed ex hypothesi Scripturæ, vt vi decreti diuini euadit in propositionem formâ negantem, reipsâ ac virtute affirmatiuam, quo sensu diximus aliàs ex Nazario, propositionem *res non erit*, vt habet adiunctum decretum de re non ponenda, cum propositione affirmatiua *res erit* contrariè, non contradictoriè pugnare.

Quid vero ex primâ propositione sic explicatâ emolumenti sperari possit, non video, nisi ex falsâ suppositione quæ insinuatur Numero 35. ante omne decretum, conditionate certum & verum esse, eum qui rapitur morte immaturâ esse peccaturum; vt inde inferatur non futuritionem vnius rei absolutè, nullo modo opponi futuritioni conditionatæ eiusdem partis, & male argumentari, quicumque ex vnius positione, alterius inferret destructionem: quæ tamen tota vis est Argumenti Augustiniani, non esse futurum conditionate peccatum hominis morti immaturâ rapti ante admissum peccatum: esto, nouerit Deus, illum absolutè non peccaturum, potuit tamen nosse conditionatè peccaturum, quæ erat assertio Pelagianorum.

Vt illius Argumenti nodus rescindatur, est obseruandum, oppositionem absolute non futuri cum futuro conditionate, duplicem distingui debere, speculatiuam vnam, practicam alteram, si his verbis vti liceat intricatissimæ rei explicandæ gratiâ. Primi generis, ea est, quæ spectatur oppositio vi propositionum, non attenta causa & origine, vnde illis veritas aduenit; atque hoc sensu legitima est Argumentatio allata D. Augustini: nihil enim repugnat, oppositum absolute non futurum, rei conditio-

nate futuræ, & male ex positione illius infertur istius destructio: quia si spectemus vim propositionis, potest eadem res non esse futura absolute, & esse futura conditionate. At si causam futuritionis expendamus, certum est secum pugnare. Quid vero id est? Paucis meam mentem & responsionem aperio.

Pelagiani quibuscum pugnat D. Augustinus, volunt veritatem constare futuro consensu præuiso, ex vi innatæ libertatis, decretum possibile & gratiam indifferentem ad se trahentis, vt se ab aliis secernat actu illo à se vt à prima causa deprompto. Hoc negat & pernegat D. Augustinus, & ex futuro absolute consensu vi prædestinationis, infert destructionem actus illius absolute, vel conditionate præuisi ex propriis viribus eliciti; *Quia*, inquit D. Augustinus, *à Deo, non à nobis ipsis discernimur, & initium salutis à Dei prædestinatione & à decreto est, non à nobis ipsis.* Atque ea est vis argumenti, quo D. Aug. aduersarios vrget, sumptum ab oppositione non futuri absoluti, cum futuro conditionate; attenta causa vnde prouenire potest quæ illis insit veritas, nempè à decreto diuino, non à voluntate nostra, vt à prima causa boni actus siue conditionate, siue absolute futuri.

Huius quarti Argumenti solutio fiet apertior Responsione ad quintum. Augustinus non impugnat scientiam conditionatam consensus quamcumque, nec sensu nostro, vt à decreto Dei veritatem habet; sed Semipelagianorum & Recentiorum sensu, vt profluit tanquam à prima radice, à nostra voluntate, cuius Deus expectet conatum, quem tamen ex D. Augustino daturus sit. Hinc ergo manifestè patet, dum Augustinum aduersariis opponimus, nulla ratione nobis opponere; quia reuera nulla futura etiam conditionate, saltem eorum quæ ad salutem hominis lapsi pertinent, admittimus eo genere futuritionis, quæ à nobis ipsis vt à prima causa initium habeat. Patet etiam Augustinum non excludere tantum futuritionem absolutam, sed etiam conditoinatam quamcumque, quæ à nobis vt à prima causa, non à decreto diuino emanet.

Atque hinc soluitur quod ad finem num. 36. scribitur. Videamus, inquit, quid consilij capiendum nobis sit, vt suffragio D. Augustini à contrario, scientiam nostram

conditionatam tueamur; quia quidquid dixerimus, vsui futurum sit Aduersariis, vt ostendamus nihil magis contrarium esse Augustinum scientiæ conditionatæ, pro signo rationis quod antecedit prædefinitionem etiam conditionatam, quam pro signo quod sequitur.

Tota hæc argumentatio falsis constat propositionibus. Negamus pro illo priori quod antecedit decretum actuale Dei, vlli parti contradictoriarum certam inesse veritatem ex vi innatæ libertatis, cuius motum expectet Deus: & hanc pronunciamus capitaliter aduersari D. Augustino; quia res eodem modo præuidetur futura, quo ex tempore producenda est. Atqui D. Augustinus non patitur gratiam, saltem Christi Redemptoris, expectare, non dare velle, & determinationem ad bonum, quam tamen assertores scientiæ mediæ repetunt à voluntate creata: Ergo nihil commune habent cum D. Augustino, & quod ipse astruit; futurum absolute actum à Deo dante, & prædestinante, euertit omnino actum ex principiis Aduersariorum conditionate futurum, id est, in voluntatem creatam referendum, vt sese adiuta gratia communi discernit ab aliis eadem gratia præuentis.

Eâdem distinctione duplicis oppositionis speculatiuæ & practicæ, siue à forma propositionum, & à causa veritatis ipsarum, quæ intercedere potest inter propositiones de re absolute non futura, cum re conditionate futura, interpretandus est Ioannes à sancto Thoma, dum videtur Num. 38. conciliare non futurum absolutè, cum futuro conditionate, quasi Salmanticensium Argumentationem infirmam reputet. Id enim omnino falsum est, si futurum conditionatum, non solum quoad formam propositionis, sed etiam quoad causam veritatis opponamus futuro absoluto. Licet enim nihil repugnet etiam iuxta nostram sententiam, futurum conditionatum, absolute non esse futurum; ac proinde male inferri, rem non cognosci futuram conditionate, ex hoc quod cognoscatur absolute non futura: tamen si causas scrutemur, vnde conueniat illis esse futurum, certum est interse pugnare: quia sensus est actum cognosci futurum conditionate ex nostra voluntate vt à prima radice, qui nulla ratione potest esse absolute futurus, nisi à voluntate Dei.

Ad æquitatem pertinet, si quæ in Aduersariis virtus

eluceat, eam laudare, & si res postulet, etiam admirari: non est dubium quin toto hoc Paragrapho magnâ contentione, & pari subtilitate, sit disputatum contra Salmanticenses. Sed quo spectat tanta molitio, & congeries Argumentorum contra germanam D. Augustini interpretationem? Nempe vt aliquam veri speciem habeat, quæ ad finem Paragraphi affertur explicatio testimoniorum Diui Augustini, omnino improbabilis; à sensu tum D. Augustini, tum Semipelagianorum, & ab omni denique similitudine veri aliena, operibus bonis, aut malis, quæ paruulos mortuos adultâ ætate, si eo peruenissent, ante vel post baptismum, elicituros esse asserebant, & à Deo conditionate cognosci, vim aliquam meriti inesse, quâ Deus moueretur vt bene merito baptismum conferret, negaret indigniori.

Licet absurdum, & stultum sit hoc asserere; non tamen ita apertam præ se fert absurditatem, quin possit in mentem venire alicui, & admitti, cum grauior aliqua hominem difficultas premit, cuius effugiendæ causâ minus mali putat esse huiusmodi absurdum vorare. His vero operibus conditionate futuris, & à Deo, vt supponebant Pelagiani, certo cognitis, dare rationem existendi, qualem habent absolute futura, nec quidquam ab illis differre, atque hoc à Semipelagianis assertum, & tantum ab Augustino impugnatum, illæsâ, & intactâ illorum veritate, & notitiâ sub statu conditionate futuri; omnem superat stuporem & stultitiam; vt opus fuerit Semipelagianos hæreticorum ingeniosissimos, vt hoc in animum inducerent paruulorum opera ante adultam ætatem defunctorum, nec nisi adultâ ætate elicienda, habere existentiam; qualis competit solis rebus future absolutis; necesse est, inquam, hominum stolidissimos, & sensus communis expertes fuisse. Atque hoc nobis credendum indicitur, ne credamus D. Augustinum, in Semipelagianis huiusmodi paruulorum merita, non aliunde improbasse, aut impugnasse: quod cum nequidem fingi possent, nisi vt conditionate futura; illis tamen existentiam aliquando absolute futuram assererent: tanti est scientiam mediam tutari, vt illius causâ nos ipsos, vel alios etiam subtilissimos damnemus, ad fidem rerum quæ prorsus omnem fidem superant, & mentis effugiunt cogitationem.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Defenditur ſecundum genus teſtimoniorum ex D. Auguſtino.

SECVNDVM teſtimonium ſuperius illuſtrabit. Poteſt vero paucis hoc Argumento perſtringi. D. Auguſtinus eam ſcientiam reiecit, tanquam inutilem ad ſeruandam libertatem humanam, & Chriſti gratiæ infenſam, imo in totum Deo repugnantem (quod aliàs diſputabitur) quam SS. Proſper, & Hilarius ſuis ad eum Epiſtolis retulerunt à Semipelagianis adinuentam tutandæ libertati, & cum gratia conciliandæ causâ, eamque adhibitam ad explicanda arcana prædeſtinationis, vocationis, perſeuerantiæ electorum: Atqui huiuſmodi ſcientia reipſa eſt ſcientia conditionatorum, quæ decretum antecedit, eo ſenſu quo gloriatur Molina à ſe excogitatam, & ſi fuiſſet explanata ab Auguſt. approbatum, iri. Ergo ſcientia media conditionatorum repugnat Auguſt. Conſequentia eſt legitima: probandæ ſunt ſingulæ partes Argumenti.

Atque vt à ſecunda, & Minori incipiamus, Aduerſarij vltro fatentur à Semipelagianis cognitam, & vſurpatam ſcientiam futurorum conditionate ante decretum, ita Suares libro 2. de Prædeſt. cap. 5. hoc videtur inſinuare P. Annatus Diſput. 3. Numero 50. reſponſione ad hoc validiſſimum Ioannis à S. Thoma Argumentum; quando Auguſt. agit contra Semipelagianos & decretum Dei, ac Prædeſtinationem præſcientiæ præmittit, vel ſemper locutus eſt de futuris abſolutis, vel etiam de conditionatis: Reſpondetur de abſolutis ſemper agere, quoties vrget neceſſitatem præſentis, atque actualis decreti ad præſcientiam futurorum actuum. Vt omittam hanc reſponſionem eſſe meram petitionem principij, id ſolum elicio, non negari Semipelagianos vere agnouiſſe ſcientiam mediam, ſeu præſcientiam futurorum conditionate: vnde.

Confirmatur teſtimonium ſuperioris Paragr. & probatur Minor poſtremi noſtri Argumenti, ſi quæ futura conditionata admiſere Pelagiani ſciri à Deo per ſcien-

tiam mediam, ea maxime fuere merita, & opera quæ certo nouerant non esse futura, idque ex ipsis terminis astruebant: Atqui huius generis erant merita paruulorum ante maturam ætatem, & vsum rationis defunctorum, quæ tamen non nisi matutâ ætate mpleri & comparari poterant: Ergo huiusmodi merita secundum Semipelagianos pertinebant ad scientiam conditionatè futurorum. Modo subsumimus: Atqui de huiusmodi futuris, etiam post ipsorum præuisionem conditionatam, exstabant ex D. Augustino secundum Semipelagina. decreta actualia dandi vni paruulorum, & alteri negandi baptismum: Ergo falsum est quod assumitur illâ responsione, D. Augustinum semper de futuris absolutis, nunquam de conditionatis agere, cum admittit necessitatem præsentis decreti ad præscientiam futurorum.

Probatur eadem veritas Argumento à meritis adultorum: Semipelagiani, cum vrgebantur exemplis paruulorum, & adultorum, quibus conferebatur gratia baptismi, aut prædicationis Euangelij, nullo bonæ voluntatis initio præuio, aut prærequisito, ad scientiam conditionatorum confugiebant, vt D. Prosper refert: *Ex paruulis*, inquit, *docent tales perdi, talesque saluari, quales futuros illos in annis maioribus si ad actuam seruarentur ætatem, scientia diuina prauiderit.* En conceptis verbis expressam scientiam conditionatorum, cui decretum diuinum astruebant Semipelagiani: quod ita refellit D. Prosper verbis sequentibus: *In tantum quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subiiciunt, vt quia præterita non exstant, futura quæ non sint futura confingant: nouoque absurditatis genere, apud illos non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.*

Vim huius Argumenti licet ex superioribus colligere, in eo positam, quod Semipelagiani operibus conditionate futuris paruulorum in adultâ ætate, perinde vim merendi, aut demerendi apud Deum assererent, ac si aliquando exstitura essent, quamuis certissime scirent, nunquam absolute futura: ideo D. Prosper vocat commentitia merita: neque aliâ ratione potuit eludi hoc Argumentum ex D. August. & Prosper. contra scientiam mediam Recentiorum, nisi affictâ Semipelagianis non solum absurditate incredibili, sed etiam manifesta impli-

catione terminorum ; vt crederent merita absolute futura paruulorum ætate adultâ, ad quam supponebant nunquam peruenturos, ac proinde sub statu conditionato mansura. Diuersa enim sunt & plurimum distant hæc duo paradoxa, futuris conditionate operibus, seu bonis, seu malis, inesse vim futurorum absolute ad merendum, aut demerendum, & ipsam absolutorum existentiam. Hoc enim postremum non potest asseri, nisi ex ipsa vocis, & terminorum ignorantiâ. Vtrumque tamen impingitur falsò Pelagianis Disput. 3. Numer. 23. sed adeo iniqua visa est suo Authori hæc accusatio, & ab omni sensu aliena communi, vt illius retractationem legam Disput. 4. Num. 24. his verbis, quæ est summa omnium responsionum ad testimonia ex D. Augustino, *pugnabant autem Massilienses non pro quâcumque libertate hominum, sed pro illa, qua sibi sufficeret independenter à Dei auxilio, ad dandam causam diuinæ constitutionis decernentis gratiam, decernentis gloriam post finalem exitum, decernentis applicationem, vel substractionem baptismi, atque etiam prædicationes, & causam illam ex absoluta præscientia traxerunt, quamdiu illa potuit prætexi; quandiu non potuit, confugerunt ad conditionatam.*

Maximum commodum ex contextâ serie hæresis Pelagianæ & Semipelagianæ decerpimus ; & si alius nos deficeret fructus, certè non est pœnitendus, quod responsio allata, qua nititur tota defensio scientiæ mediæ, omnino conuellatur. Quid enim magis ab omni specie veri alienum, quam quod asseritur primâ huius responsionis parte, Semipelagianos pro ea solũ libertatis parte pugnasse, quæ sibi sufficeret independenter à Dei auxilio ad dandam causam diuinæ constitutionis : cum omnes D. Augustini, D. Prosperi, & ipsorummet hæreticorum libri reclament, ex quibus sole meridiano euidentius sit, illos omnia possibilitatis auxilia admisisse, vno excluso, operationis & voluntatis, quo calumniabantur remoueri omnem industriam, tollique virtutem? Mirum est sane, ausos fuisse Recentiores, tam crassum errorem impingere Semipelagianis, renitentibus D. Prospero, & D. Hilario, qui illos ab huiusmodi calumniis aperte vindicant. Quid enim expressius, quam quod D. Prosper scribit D. Augustino his verbis)

verbis? *Pene omnium par inuenitur & vna sententia, quâ propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione, præscierit.* Ergo falsissimum est quod imponit Semipelagianis, *ipsos astruere non quamcumque libertatem hominum, sed qua sufficeret independenter à Dei auxilio, ad dandam causam diuinæ constitutionis decernentis gloriam, post finalem exitum:* cum D. Prosper expresse dicat, *sub ipso Dei adiutorio vna & pari sententiâ præscitos dedisse occasionem proposito, & prædestinationi Dei.*

Nec verius est, decretam hominibus gratiam prædicationis, ex libertate quæ ad id sufficeret, independenter à Dei auxilio: cum idem Hilarius dicat, *qui autem credituri sunt, quive in eâ fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit inuanda, mansuri sunt, præsciisse ante mundi constitutionem Deum: & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, de hâc vitâ bono fine excessuros esse præuiderit.* Si gratis vocati sunt ex D. Prospero, quo animo, quâue fiduciâ, dicitur illis decretam prædicationem, quâ vocantur, à libertate, quæ sibi sufficeret independenter ab Dei auxilio? Si nec vocatio gratiæ data est nisi gratis; quâ specie veri dicetur, ex eâdem libertate, quæ nullo Dei auxilio egeat, adeptos esse perseuerantiam: de quâ hoc vnum Augustini assertum improbabant, quod illius donum ita efficax esset ex suâ naturâ, vt irritum fieri non posset? *Illam præscientiam*, inquit D. Hilarius, *sic accipiunt, vt propter fidem futuram intelligendi sint præsciti, nec cuiquam dari perseuerantiam, à quâ non permittitur præuaricari, sed à quâ possint suâ voluntate deficere, & infirmari. Nec poterant pati, eam quosdam perseuerantiam percepisse, vt nonnisi perseuerante esse non possint.* Ergo Semipelagiani nullum genus auxiliorum, & gratiæ excludebant, quâ iuuaretur possibilitas, sed quâ infallibiliter daretur velle, & perseuerare, quod est auxilium *quo*, seu voluntatis

Falsum est etiam quod passim dicitur, Semipelagianos iis actibus, vnde initium salutis repetebant, asse-

ruisse verum meritum, quo gratia, gloria, baptismus, aut prædicatio comparetur : ab hoc enim errore Pelagianorum recessisse diximus Art. superiori, Paragrapho primo : & Paragrapho secundo, ipsorum testimoniis euicimus nullum eos detrectare verbum, quo recentiores illud initium bonæ voluntatis, quo quisque se discernit, extenuant ; ne rationem meriti habeat, vt inde manifestum sit, vtrosque reuera consentire, vix posse seiungi, nisi afficto Semipelagianis aliquo errore.

Nec verius est, Semipelagianos cum de futurorum præscientia agunt, quorum occasione vocantur, prædestinantur, &c. locutos esse de futuris absolute; quod cùm multis Argumentis euincere in promptu esset, idque iam meditarer, opportunus occurrit locus ex Epilogo qui me hoc labore leuauit, his verbis quæ lego Epilogi Numero 13. Breuiter respondere Augustinum. *Illis verbis, vtrum illos præscierit tantum, aut prædestinauerit ; intelligere prædestinationem, non quæ præcedat, sed quæ accedat ad præscientiam fidei conditionate futuræ, faciatque illam futuram absolute.* His paucis verbis euertitur quidquid responsum est Salmanticensium, & Ioannis à sancto Thoma Argumentis Disput. 3. cap. 3. Parag. 2. & Disput. 4. cap. 2. Vnde sic argumentor ad hominem. Quidquid Semipelagiani volunt per scientiam mediam explorari, antequam prædestinatio quidquam decernat, pertinet ad fidem à quâ volunt esse initium nostræ salutis vt Articulo superiori fusè ostensum est. Atqui vt modo relatum est ea fides est tantum conditionate futura, nec potest fieri absoluta, nisi decreto sequenti prædestinationis : Ergo quidquid docent Semipelag. de præscientiâ exploratrice ad prædestinationem, pertinet ad scientiam mediam, quæ fidem conditionate futuram attingat. Consequentia est euidens, nec minus est Maior aperta : Minor est desumpta ex loco citato.

Vnde certissimum est quod assumit primâ sui Argumenti propositione Ioan. à S. Th. Prosperum, & Hilarium ex Semipelagianis proposuisse Augustino scientiam mediam, siue fidei conditionate futuræ, & immerito dicitur Disput. 4. Numero 24. *Cum Ioannes à S Thoma assumit, & probat illam propositionem, petere principium, & supponere quod est in quæstione, & verba illa Fausti nisi*

præscientia explorauerit, prædestinationem nihil decernere, esse intelligenda de præscientiâ absolutâ, non conditionatâ. Nam fides est quam maxime explorat, quæ admittitur conditionate tantum futura ante decretum prædestinationis.

Eadem Argumentatione falsi conuincitur, quod est additum consequenter, præscire Deum quinam essent bene vsuri libero arbitrio, Euangelio credituri absolute, non conditionate: & tum Deum decernere, vt illis daretur gratia, non iam ad volendum credere, & orare, sed ad vlteriorem sanctitatem comparandam. Nam ex loco citato Epilogi, huiusmodi fides, & oratio præscitur vt conditionate futura, nec in absolutam transit, nisi per decretum, quo proinde fides datur, non vlterior sanctitas.

Eodem Argumento refellitur interpretatio quatuor locorum ex Hilario & Prospero, quibus scribunt Augustino, Deum præscire per præscientiam ante prædestinationem, quinam credituri sint, quive in ea fide quæ deinceps per gratiam sit iuuanda, mansuri sunt. Neque enim est admittendum, quod gratis dicitur, ea loca explicanda de præscientia fidei absolute futura, cum sit iam concessum ante decretum prædestinationis, non esse futuram nisi conditionate.

Nec dicas, excidisse non cogitanti, quod est scriptum in Epilogo, nec anteponendum his quæ superiùs pluries sint repetita: nam præter quod Epilogus vltimo scriptus vim habet quasi Testamenti, & quæ præcessere retractat, facile est idem Argumentis euincere, nec videamur arguere tantum ex concessis, & ad hominem.

Sed quid opus pluribus rem adeo apertam demonstrare, cum ipsa verba quibus D. Prosper proponit quæstionem aduersus Massilienses pertractandam, ita sint de futuris conditionatis expressa, vt omnem auferant dubitationem, & tergiuersationem excludant? Agitur de illâ præscientiâ fidei, à quâ desumunt salutis initium Semipelagiani, quâ vnâ conciliant libertatem cum prædestinatione saluandorum, id est, conditionate futuram ex ipsismet Aduersariis. Quid vero de illâ sibi vult ab Augustino responderi? Nempe, vtrum per præscientiam possit stare propositum saluandi prædestinatum infallibiliter: an ve-

ro vniformiter in omnibus præscientia sit subnixa proposito, id est, an sequatur ad propositum, & decretum Dei. Hic est controuersiæ nouantiquæ status, quæ olim à Semipelagianis agitata, hodie à Recentioribus instauratur: an scientia attingens futuram conditionate fidem antecedat decretum Dei efficax, ac proinde illi non innitatur: an consequatur ad illud, ita vt nullus futurus actus à libero arbitrio eliciendus possit efficaciter à Deo decerni, nisi præuiderit, quid voluntas, seu vocata, seu præuenta sub Dei adiutorio, in hâc vel illâ dispositione ageret, aut non ageret: quæ est ipsissima quæstio Recentiores inter & Thomistas, ad quam sibi responderi ab Augustino Prosper efflagitabat.

Eadem est Thesis proposita à D. Hilario. Refert enim, Massilienses asserere prescientiam futurorum operum non posse, non præire decreto Dei efficaci, libertatem læsuro, si præscientiam antecederet. Addit, Massilienses hanc scientiam decreto præuiam confirmare ex libro Augustini sex quæstionum aduersus Porphyrium, quarum vni respondet *voluisse Christum apparere & prædicari apud illos, quos, & vbi sciebat esse credituros.* Non est dubium quin illæ quæstiones à Prospero & Hilario propositæ, nedum veriori, sed etiam omnino necessariâ interpretatione de futuris conditionatis sint accipiendæ: & si Augustinus non potuit hunc sensum capere, stolidissimus fuit; quod sentire iniurium est tanto Doctori; nequissimus si percepit, & Catholicam doctrinam ratus, noluit approbare, causam Ecclesiæ prodidit, passus tot calumniis inique patere, quas poterat depellere hoc vno verbo, se egisse de gratiâ præueniente voluntatem creatam omnibus communi, & subditâ libero arbitrio; quam extremæ fuisset dementiæ suspicari fatum inducere, aut tollere libertatem.

Necessaria omnino responsio, & ab Augustino adhibenda, si veram reputasset; quâ vnâ omnes hæreticorum obiectiones profligabantur: quam omisisse manifesta fuisset fidei proditio & præuaricatio: ab eâ vero Augustinus adeo longe abfuit, vt toto libro de Prædestinatione & de Dono Perseuerantiæ, quibus respondet Epistolis Prosperi & Hilarij, toto quidem lib. 1. demonstrat nullam fidem, & altero nullam perseuerantiam, siue absolute, siue conditionate futuram, aut à Deo scitam ante decretum

Dei efficax, sed ab illo, tum existentiam, tum cognitionem certam fidei, & perseuerantiæ, vt à primâ radice desumit. Aut igitur ita censuit se rem habere, aut discordias Ecclesiæ solo litigandi studio fouit, & scandalo fuit Catholicis, perinde ac hæreticis, cum tot malis mederi potuisset vnâ responsione, se agere de gratiâ omnibus necessariâ, omnibus datâ, & ex libero arbitrio suspensâ, quam Pelagianos ad finem, Semipelagianos initio suarum disputationum vltro admisisse demonstrauimus.

Præterea, certum est hæreticos non ita præpostero nostræ libertatis seruandæ studio exarsisse, vt diuinam libertatem nihil curarent. At si ante decretum actuale ex solo possibili, Deus videret absolute futurum pro innatâ cuiusque libertate, diuina tolleretur, aut certe minueretur, vt agnouit Molina, nosque infra attingemus, resque per se aperta est: quia non potuit Deus quidquam mutare eorum quæ præuidebat futura absolute ante decretum, atque inde prædicandum erat Euangelium omnibus etiam incredulis: neque erat penes Deum negare illam Euangelij prædicationis, aut quamcunque aliam gratiam, quâ præuidebantur abusuri. Omnes enim stabant sub decreto possibili, omnes eâdem scientiâ præuidebantur assensuri, aut dissensuri; omnibus ergo danda fuit eadem gratia generalis, nec liberum esse potuisset Deo, quibusdam dare, negare aliis.

Hinc licet colligere miram aduersariorum dissensionem: certum est præuisos à Deo eodem instanti rationis eâdem gratia communi præuentos: quî ergo fieri potuit, vt consensus bonorum absolute, dissensus malorum conditionate, sit præscitus? Neque enim negari potest hanc postremam partem sub scientiâ tantum conditionatâ cadere, cum negata sit illis prædicationis gratia, quâ abusuros Deus præuidit, si concederetur; & inde assumpsit negandi occasionem ex Semipelagianis: Ergo tantum fuit conditionate futurus, & præuisus: & cum par sit ratio consensus credentium prædicato Euangelio; omnino conditionate tantum præuideri oportuit à Deo: quando quidem eodem momento, & ordine, ratio fuit concedendæ prædicationis, quo dissensus aliis negandi: & cum dissensus eam vim habuerit vt conditionatè futurus, præpostere omnino & inconsequenter dicitur consen-

sus credentium fuisse absolute præuisus, nec decretam illis fidem absolute dandam ex illâ præuisione, sed gradum fieri ad vlteriorem sanctitatem, quod præter iam probatam dissensionem, & implicantiam, atque retractationem manifestam, adhuc hoc Argumento euinco.

Cum Deus præuidit prædicationi Euangelij dissensuros quosdam, quibus hoc nomine neganda est, assensuros alios quibus eâ de causâ concedetur; vel omnes stant sub decreto possibili, vel sub decreto actuali, vel incredduli sub possibili tantum, fideles sub actuali. Quid horum trium electuri sint Aduersarij non video: quia reuera perinde falsa sunt & impossibilia, vt illud Susannæ locus sit vsurpandi, *angustiæ sunt vndique.* Si dicas omnes esse sub actuali decreto dandi gratiam prædicationis: Ergo omnibus concessa est, etiam incredulis, quibus supponunt Semipelagiani esse negatam. Si velis omnes stare sub possibili decreto, & concursu Dei, reclamabunt hæretici, qui negant quidquam esse absolute sine actuali Dei auxilio, saltem simultaneo. Si contendas credituros stare sub actuali, non credituros esse sub possibili, euertis consilium Semipelagianorum, qui hanc scientiam exploratricem inducunt, vt discrimen statuant inter credituros, & non credituros, cur istis negetur gratia Euangelij, illis concedatur: Hoc vero discrimen repetunt, quod illi præuideantur consensuri, alij dissensuri: Ergo explorattix præscientia eodem gradu attingit dissensum & consensum, id est, sub statu conditionate futuri & præuisi, tam consensus, quam dissensus, vt illud initium discriminis firmetur decreto incredulis negandi, credituris concedendi gratiam prædicationis.

Quid opus singula D. Augustini loca expendere, cum ipsâ inspectione finis librorum, & disputationum cum Pelagianis sit demonstratum, omnino improbasse scientiam illam futurorum, cui decretum prædestinationis & vocationis innitatur? Nisi dicas maligne sensum suum occultasse, aut per imperitiam non explicuisse. Atque hinc manifestior fit vis & sensus primi testimonij ex Capite 14. de Prædestinatione Sanctorum. Cum enim eo loci D. Augustinus agat de duplici futuro, absoluto vno, nempe de morte immaturâ, quâ electus periculis peccatorum erat certo eripiendus; & de conditionatè

futuris, nempe peccatis, quibus futurus erat obnoxius, si longiorem vitam viueret; futuro primi generis certam existentiam & notitiam astruit, vtramque alterius negat his verbis, *Deus hoc præsciuit quod futurum erat, id est, quod ei mortem immaturam erat præstiturus, vt tentationum subtraheretur incerto.* (En primum futurum absolute.) *Non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non erat* (En secundum de futuris conditionate futuris,) quæ negat à Deo scita. Nec ad mentem Aduersariorum respondisset D. Augustinus, negatâ existentiâ huiusmodi futurorum, & veritate ac notitiâ concessâ; sed sophistam egisset dissimulatâ difficultate futuri conditionati, cui concedebant Semipelagiani veritatem futuri, existentiam absolutam negabant. Si illis assensus est D. Augustinus; cur litigat, & negat huiusmodi futura non magis sciri à Deo, quam extitura absolute? Si dissentit; viderint Aduersarij, num magis ad Semipelagianos, quam ad D. Augustinum accedant.

Frustra etiam singula prosequerer, & refellerem quæ per multas paginas leguntur responsa ad Argumentum Ioannis à S. Thoma, cum assertum quo omnes nituntur solutiones, radicitus sit euersum; D. Augustini cum Pelagianis controuersiam esse de futuris absoluris, vel de malo vsu scientiæ mediæ: cum demonstratum sit quæstionem à Prospero & Hilario propositam Augustino, nomine Pelagianorum, in hoc positam esse, an præscientia decreto, vel decretum præscientiâ nitatur. Primum negabant Semipelagiani, quod censerent extingui libertatem, præuia ad præscientiam decreti efficaciâ: & ideo eam molliebant præscientiâ futuri consensus, sub decreto possibili, & adiutorio Dei conditionate futuri; quam si admisisset D. Augustinus, aut id sibi licere putasset, extremæ fuisset insaniæ, suspectam habere quamcunque gratiæ necessitatem, aut efficaciam subditam libero arbitrio, quasi fatalem necessitatem induceret: & frustra fatigaremur in confirmandâ re euidentiori, quam vt probatione egeat, quamque ipsa veritas aperta ab Aduersariis extorsit.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Refelluntur responsiones ad testimonia D. Augustini.

HVIC nostræ argumentationi confirmandæ superest qua illi adhibet solutiones P. Annatus Disputationis 3. Cap. 3. & Disput. 4. cap. 2. refellere. Nullâ certiori viâ peruenîri potest ad mentem Massilienſium, & Pelagianorum, quam ipsis Argumentis quibus diximus impugnare decretum, & auxilium, quod D. August. nullâ præscientiâ fulcit. Vnde calumniantur Pelagiani, octo, Semipelagiani, decem insinuatis Argumentis tolli libertatem, & virtutes, induci fatum, desperationem, &c. Is est legitimus controuersiæ status, idque contendunt omnes hæretici, *vt salus sit dignis saluari ex fonte volendi*, id est, vt quidquid ab æterno decretum sit, quidquid ex tempore paratum, & collatum auxiliorum, subiiciatur voluntati creatæ, vt primę radici salutis, quæ auxilia sufficientia, seu possibilitatis reuocet ad vsum. Si hæc D. August admittat, concordiam inibunt: si neget, indicent bellum. Quare inuertitur omnino controuersiæ status, cum Disput. 4. Num. 24. ad hoc caput reuocatur, quæ sit occasio ab homine data, cur gratiæ prædicationis & baptismi quibusdam detur, negetur aliis.

Præterea mens Pelagianorum inquiritur, ex iis quæ ab inuitis extorquentur, in quæ ab Aduersariis compelluntur, qualia sunt merita commentitia paruulorum, & adultorum: at præscientia exploratrix, quæ decretis præit, Pelagianis loco clypei & teli est: hâc vnâ saluam libertatem prædicant, & D. Augustinum, qui præscientiam decreto, non decretum præscientiæ subiicit, Manichæum esse calumniantur.

Distinguenda igitur sunt hîc, & vbique placita, quæ hæretici statuunt, & totis viribus propugnant, ab absurdis, in quæ adiguntur; qualia sunt, quæ sæpius obiicit paruulorum, & adultorum merita, à quibus abhorruere semper Pelagiani, & à Semipelagianis vi Argumentorum extorta sunt. Hinc iudicet æquus Lector, quæ sit

certior ad hæreticorum, & D. Augustini mentem indagandam via; an quam nos inimus ex placitis Pelagianis, & Semipelagianis communibus; an quam tentant Aduersarij ex singularibus quibusdam absurdis Semipelagianorum, quæ accessio potius & frutices sunt, quam radix erroris præcipui; non in hoc positi vt primâ & secundâ Responsione ad nostrum Argumentum dicitur, quod libertatem humanam tutarentur per præscientiam absolutam actionum à diuina gratiâ independentium.

Mirum est sane ista dici contra fidem totius Antiquitatis, & expressum testimonium D. Prosperi, qui illos ab hâc calumniâ vindicat, cum ait, *sub gratia adiutorio, in quâ futurus esset voluntate, & actione, præsciri à Deo electum & saluandum.* Nec verius est quod respondetur secundæ probationi Ioannis à S. Thoma, Disputatione 4. Num. 25. D. Augustinum non improbasse huiusmodi præscientiam, quâ Pelagiani decretum vocationis, & prædestinationis fulciebant.

Vt omittam quæ huic solutioni confutandæ plurima præmisimus, hoc addiderim; fuisse D. Augustini prudentiæ ex Euangelij præcepto ista Zizania errorum auellere, vt à frumento eradicando abstineret: nec adeo in scientiæ mediæ abusum exardescere, quin vsum ex Aduersariis ad seruandam libertatem necessarium commendaret: & si inde ex Molina fidei Catholicæ de gratiâ, & prædestinatione veritas tota pendebat; non potuit id ne dicam improbare, sed ne tacere quidem saluâ conscientiâ, & religione. At quo folio, quo angulo librorum D. Augustini, extat adhibita ad huius arcani explanationem scientia media? Aut vbinam potius non explosa? Eam tacuisse summa fuit improbitas, aut inscitia, si vna sit ad has insuperabiles enodandas difficultates satis idonea & expedita: eam vero reiecisse, non occurrit quo nomine appellem. Silentium de hâc scientiâ à D. Augustino seruatum, altius qualibet tubâ clamat, fuisse improbatam.

Adde inopiam quam præ se ferunt Aduersarij, vel minimi loci ex D. Augustino tot libris de hâc controuersiâ scriptis, quo illius vsus insinuetur: Nam si quando cum hæreticis de illâ disputat, omnia de absolutis futuris interpretantur Aduersarij, ne si mentionem de conditionatis fieri agnoscant, videatur à D. Augustino damnata,

& à solis hæreticis vsurpata. Et ideo responsionibus ad Ioannem à S. Thoma, & Salmanticenses passim dicitur, causam decretorum Dei Semipelagianos traxisse ex scientiâ absolutâ, quandiu illa potuit prætexi: quando non potuit, tunc tandem confugisse ad conditionatam.

Sed cum illos eo compulit D. Augustinus, cur doctrinæ vtilissimæ. & ad res fidei deffendendas necessariæ, abusum vbique damnat, vsum tacet & dissimulat; vt videatur cum zizania triticum eradicare, & viam præcludere, aut certe non munire qua poterat compendio ad sanam mentem, & doctrinam hæreticos reuocare? Ad id sat fuisset indigitare hanc scientiam mediam, sublato abusu, quo res vtilissima corrumpebatur in religionis perniciem.

Sic enim poterat errantes compellare: re vobiscum conuenio, non aliam statuo, aut prædico gratiam, quam quæ Pelagianis ad finem disputationis, & vobis semper placuit, innixam præscientiæ, quæ exploret, quid voluntas sub adiutorio possibilitatis eius libertatis subdito factura sit, ad quam decretum consequatur beneficio scientiæ, illæsa libertate, aliàs nunquam futurum. Sic mea, & totius Ecclesiæ explanata mente, cur fatum, ignauiam, desperationem, & alia id genus mala fictitia nobis obijcitis, consecutura tantum ex decreto, cui nulla præluceret scientia media? Duo tantum ad ineundam nobiscum pacem æternam postulo: ne imposterùm huiusmodi calumniis nos impetatis, & supersedeatis à commentitiis paruulorum & adultorum, qui immaturâ morte præripiuntur meritis, à quibus vestri parentes Pelagiani adhorruerunt.

His potuit, imo & debuit si licebat, D. Augustinus conditionibus conuenire, & allicere ab Ecclesia extorres Semipelagianos. Verum ab hâc concordiâ adeo longe abfuit, vt negaret futuris quibuscumque, seu absolutis, seu conditionatis, vllam veritatem certo scitam constare ante decretum: ac proinde præscientiam decreto, non decretum præscientia fulciri oportere, saltem in his quæ ex Christi Redemptoris gratiâ proficiscuntur. Hoc euicimus multis D. Augustini testimoniis superiori Paragrapho, & Articulo: hoc ipsum confirmarum eo vindiciis locorum, quæ à Salmanticensibus & Ioanne à S. Tho-

ma proferuntur, si id prius ex superiori sententia obseruauero, quod de comparatione futuri conditionati cum absoluto, & vtriusque analogia diximus.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Testimonia Diui Augustini à Salmanticensibus & Ioanne à Sancto Thoma explicata defenduntur.

VNA est aduersariorum responsio ex diuersis fundamentis alibi conuulsis deprompta, ad futuri conditionati veritatem, decretum possibile, ad absoluti, actuale requiri: nos contra vtrobique actuale constituimus, hoc solum discrimine, quod futuri conditionati veritas, absoluto quoad potentiam, conditionato ratione obiecti requiratur: absoluti vero futuri decretum vndequaque absolutum sit: atque ita possibiles res, vel conditionate, vel absolute futuras, suum è regione regione decretum habeat, aut mere possibile, aut actuale, apposita conditione obiecti, aut omnino absolutum. Et ne iterum ad incudem reuocetur controuersia accurate agitata, satis fuerit vnum monuisse: nos hâc parte superiores, quod decreta eodem quo res gradu promoueamus, possibilium aut actualium conditionate, vel vndequaque absolutorum; Aduersarij claudicent, quod omnino futurorum generi, possibile perinde ac rebus mere possibilibus, decretum è regione constituant.

Huic obseruationi alteram superius insinuatam adiungo: apud D. Augustinum prædestinationis nomen tria habere significata, quorum omnium latissimum recidit in decretum, & consilium quodcumque, de re absolute, vel conditionate futurâ. Atque hoc sensu D. Augustinus capite 9. de Prædestinatione futura etiam conditionata *à prædestinatione, seu latenti consilio*, vera esse docet. Vnde sic licet argumentari ex nostris obseruationibus. Futuris, seu conditionate, seu absolute, respondere debent decreta actualia proportionata: Atqui D. Augustinus locis citatis de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseuerantiæ agit de futuris vtriusque generis;

Ergo constituit vbique decreta actualia, seu consilia latentia, quibus eorum veritas nitatur; quod fundamentum rei futuræ, quæstione illa contra Porphyrium, vel ignorabat tunc temporis, nondum accurate discussa quæstione prædestinationis, & gratiæ Christi; vel tacuit, & aliis locis explicuit. Argumenti partes omnes suprà probatæ sunt, consequentia euidens est.

Minor declaratur. Futurorum conditionate duo sunt genera: primi manent semper conditionata, qualis est conuersio Tyriorum visis miraculis apud Iudæos editis, quæ tamen non erant coram ipsis patranda. Huius etiam generis erant merita paruulorum & adultorum, prouecta ætate comparanda, ad quam non essent peruenturi: secundi generis futura ea sunt, quæ ex præuisione consensus conditionate futuri, adiuncto decreto, transeunt in absoluta. Ex hâc distinctione confirmatur Argumentum nostrum, & refelluntur obiectiones duæ. Diuus Augustinus illis locis agit de prædestinatione in Christo Electorum ante mundi constitutionem: Ergo latens illud consilium non est decretum de futuro conditionate; quo eius veritas nitatur, sed de absolute futuro, qualis est Electio in Christo, quæ dicitur negata Tyriis; quamuis præuisa fuisset sub conditione eorum conuersio.

Respondeo ad illud & ad alia similia Argumenta quæ passim ingeruntur, decretum futuri absoluti, non excludere aliud simile & proportionatum decretum, quod respondeat futuris conditionatis, qualia his locis permiscentur ab Augustino; atque hinc refelluntur quæ habentur à Numero 39. ad 44.

Hinc etiam præcluditur Responsio ad locum D. Augustini Numero 44. & 45. per consilium illud latens, non intelligi decretum quo fulciatur veritas conuersionis Tyriorum conditionate futuræ, sed iudicium latens, quo excluduntur à prædestinatione, & à salute absolute futurâ, concessâ copiâ miraculorum, quibus re ipsa essent conuertendi. Hæc enim apertè sunt contrà mentem D. Augustini, & Aduersariorum, quibuscum disputabat. Quia illi vrgebant veritatem futuri absoluti, aut conditionati, & ex D. Augustino probabant: Ergo agendum fuit D. Augustino de consilio latenti, quo huiusmodi futuri veritas niteretur, non quod alio pertineret; nisi velis D. Au-

gustinum controuersiam inuertisse contra disputationum leges.

Ad horum & sequentium lucem; addo aliud summe obseruandum: conditionate futuris vt præuisis duo concipi inesse, veritatem futuri actus, & meriti vim quandam, quo Deus moueatur ad auxilium concedendum, aut negandum. Primum Pelagiani admittunt, negant alterum: vtrumque Semipelagiani illis inesse censent. Vim veritatis in eo ponunt, vt præscitus conditionate futurus consensus, omnino necessarius sit Deo, ad statuenda decreta infallibilia absoluta, quæ nihil lædant libertatem. Hoc sensu dixit Faustus, *nisi præscientia exploret, nihil decernere prædestinationem:* quia si quidquam statueret, non explorato sub conditione futuro consensu voluntatis, periculum esse ne decretum irritum fieret, aut libertas periret.

Vt igitur vtrique consulant, & decretorum firmitati, & libertati voluntatis, præmiserunt scientiam exploratricem futuri consensus conditionate, aut absolute: atque inde petebant discrimen electorum à voluntate creatâ, vt à primâ radice, & D. Augustini decretum & auxilium hunc consensum præuisum voluntatis præueniens, multis calumniis lacessebant, quas suprà retulimus, nullum locum habituris, si D. Augustinus concessisset discrimen illud electorum vt à primâ radice repetendum esse, non à voluntate diuinâ prædestinante, & dante consensum, sed à voluntate creatâ, sub adiutorio possibilitatis gratiæ non negatæ reprobis, quam determinarent, atque se ab aliis discernerent.

Hinc facile est quatuor Salmanticensium, & totidem Ioannis à sancto Thoma Argumenta ex hoc D. Augustini testimonio defendere, aduersus vitilitigationes prope infinitas, quæ habentur Disputatione 3. Num. 45. ad Num. 54. & Disputatione 4. à Num. 25. ad Num. 26. Ea enim, vt serie Pelagianorum hæresis late probatum est, controuersia vertebatur, D. Augustinum inter & Pelagianos, & Semigelagianos, quænam sub adiutorio Dei, radix prima esset discriminis electorum, à reprobis, quoad vocationem, & prædestinationem; an voluntas diuina, dans & prædestinans fidem, & vi prædestinationis cognitam; an voluntas sub adiutorio gratiæ præuisa conditionate,

aut absolute, consentiens determinatione data decreto suspenso Dei, & auxilio pensili, quacumque ratione præuideatur: hoc secundo sensu, seu absolute, seu conditionate futurus sit à voluntate actus vt à prima radice, qua fit discretio Electorum, reuera vincunt Semipelagiani, cadit causâ D. Augustinus, & fides non est à Deo dante & prædestinante, sed est à nobis, & à Deo tantum præscita; quod assumunt Salmanticenses Num. 46. quia plane idem est apud D. Augustinum fidem prædestinari, & esse à Deo dante, vt à prima radice.

Hinc etiam confirmatur tertium Argumentum Salmanticensium Numero 47. D. Augustinum à D. Prospero interrogatum, num propositum Dei niteretur præscientiâ conditionatâ futuri à nobis consensus, siue absolute, siue conditionate: quo vno diximus Semipelagianos consulere decretorum Dei firmitati, & nostræ libertati; & si secus fieret, id est, si præscientia quæcumque niteretur proposito, quod vnum contendebat D. Augustinus, perituram nostram libertatem. Certum autem est Diuum Augustinum non satisfeciſſe Pelagianis, si tacitâ præscientiâ conditionatâ, responderit de abusu absolutæ: quia solo vsu conditionatæ admisso, vt pluries insinuatum est, reuocari poterant hæretici ad bonam mentem.

Quare falsum est D. Augustinum vtrumque errorem emendasse, nisi constituta voluntate diuina tanquam prima radice consensus conditionati & absoluti. Nec verius est nos decipi, dum quod dicitur ad emendandum absolutæ præscientiæ abusum, interpretamur etiam dictum ad emendandum abusum scientiæ conditionatæ: quia vtrique idem remedium adhibitum est, nempe diuina voluntas prima radix vtriusque futuri. Nam si in creatam referatur, vt ad primam determinationis causam, etiam futurus conditionate assensus, in eandem refundendus est absolute futurus, cum sit prima ratio statuendi decretum infallibile illæsâ libertate.

Hinc valide confirmatur quarta Argumentatio aperta, quâ probant Salmanticenses, eandem esse rationem, & futuri conditionati, & futuri absoluti, quoad necessitatem præsentis decreti proportionati, quo fiat futurum: nam vtriusque prima radix constituenda est voluntas diuina, quod fieri nequit decreto possibili

aut pensili, determinando per voluntatem creatam: alias ipsa euaderet in primam radicem initij salutis, quod vnum contendebant hæretici.

Quod vero dicitur Num. 48. & 49. differre futurum absolutum à conditionato, quod ad illius veritatem requiratur decretum actuale, ad istius præscientiam sufficiat possibile: superius refutatum est pluribus: hic addo, Argumentum ad hominem; omne absolutum futurum prius est cognitum conditionate, quam absolute: quæro igitur, pro illo priori ante transitum conditionati in absolutum, vel cognoscitur absolutè tantùm, vel conditionate: si primum dicas, superflua est scientia media, cuius totus vsus est, vt præeat absolutæ scientiæ, & decreto absoluto, sitque illius fundamentum: si alterum asseras; Ergo falsum est, absolutè futuri decretum esse semper præsens, neque possibile, aut futurum concipi posse: quandoquidem pro illo priori, quo regnat & adhibetur scientia media, nondum concipitur decretum actuale; alias inutilis esset scientia media.

Hinc etiam elucet vis primi Argumenti Ioannis à S. Thoma. D. Augustinus cum agit contra Semipelagianos, & decretum præmittit scientiæ mediæ, vel semper locutus est de futuris absolutis, vel aliquando etiam de conditionatis: primum dici nequit, alias diminuta fuisset Argumentatio & responsio D. Augustini, quia Semipelagiani confugiebant ad scientiam conditionatam, ex quo præsidio non depulisset eos Augustinus.

Nec satisfacit responsio Num. 5. Augustinum agere semper de futuris absolutis, quando vrget necessitatem præsentis & actualis decreti: quia D. Augustinus vrget decretum, quod sit fundamentum veritatis futuri, & prima radix salutis: Atqui hoc minime conuenit decreto possibili, aut pensili, determinando per voluntatem creatam. Falsum est etiam quod additur, D. Augustinum abunde illi respondisse, quando significauit absurdissimam esse, & insulsissimam cogitationem, quæ motiuum præsentis, & absoluti decreti, ex eo peteret, quod est tantum conditionate futurum: neque enim hoc cogitarunt Semipelagiani, nec in eo visi sunt ineptiores Pelagianis, sed quod meritis conditionate futuris, vellent præmia, aut pœnas rependi. Hinc patet quod sæpius dixi, nunquam bonâ fide referri Authores.

Hinc vires habet ſecundum Argumentum relatum Numero 51. Futurum de quo agit Auguſtinus in quæſtionibus Paganorum, eſt conditionatum, & ad illud requirit actuale decretum, quo poſito, ruit ſcientia media. Conſequentia euidens eſt, Minor probatur: quia ad illud requirit decretum vt fundamentum veritatis huiuſmodi futuri, & primam radicem cuiuſcunque futuri, quale eſſe nequit decretum ſuſpenſum & poſſibile, determinandum à voluntate creatâ. Quare falſum eſt quod Reſpondetur, Auguſtinum non requirere decretum Dei, vt fiat futurum tantum ex hypotheſi. Nec validiora ſunt, quæ in nos retorquentur Argumenta eodem Numero, à decreto vndequaque abſoluto prædeſtinationis, quod deerat Tyriis; vnde diximus non excludi decretum actuale proportionatum futuro conditionato.

Hinc etiam robur habet tertium Argumentum relatum Numero 52. quando Semipelagiani obiiciebant ſuam Auguſtino reſponſionem ad quæſtiones Paganorum, non id vrgebant vt fides præuiſa eſſet principium noſtræ iuſtificationis, ſed id vnum contendebant, huiuſmodi decretis conſtare veritatem, & poſſe eſſe rationem firmandi decreta diuina, ſaluâ libertate; imo neceſſario debere id explorare præſcientiam, antequam quidquam prædeſtinatio decerneret; quæ eſt vnica ratio, cur Recentiores hunc ſcientiæ mediæ vſum approbent: Ergo conueniunt cum Pelagianis. Hanc vero ſcientiam ſic explicatam, etiam ſecluſo merito, improbauit D. Auguſtinus, niſi decreto ſibi proportionato fulciatur: Ergo aliena eſt ab Auguſtini mente huiuſmodi ſcientia, quamlibet innoxiam fingas. Atque eâ explicatione cadunt quæ eodem Numero exceptiones congeruntur hâc noſtrâ interpretatione depulſæ, vt nihil opus ſit ſigillatim exſcribere, & refellere.

Hinc etiam confutantur, quæ Diſputatione 4. Num. 25. & 26. ad eadem Ioannis à S. Thoma Argumenta habet P. Annatus; Auguſtinum nunquam reieciſſe ſcientiam mediam, ſed eius abuſum, quo Maſſilienſes conabantur libertatem hominum tueri, etiam in ſuppeditandâ causâ baptiſmi, & prædicationis gratiæ: certum eſt enim, multo longius progreſſum D. Auguſtinum, & voluiſſe excluſam illam præſcientiam, quæ prædeſtinationi certitudinem, & voluntati primam ſalutis radicem aſſereret.

Atque

Atque hinc firmantur regulæ, quas ex S. Augustino tradit Ioannes à S. Thoma, quæcunque præscita sunt à Deo, & quomodocunque, esse à Deo prædestinata: quia alias prima prædestinationis radix esset à voluntate humanâ non diuinâ. Inde etiam firmatur altera regula, quoties apud aliquos verbi Dei Tractatores agitur de præscientiâ & vocatione electorum, eandem prædestinationem esse eligendam; quia agitur de primâ radice salutis & prædestinationis. Ex iis omnibus iudicet æquus Lector, an verum sit quod legitur ad finem Numeri 26. nihil præsidij posse à nobis sperari ex D. Augustino.

ARTICVLVS SEXTVS.

Responsio ad Caput quartum Disputationis 3. quo expenduntur alia Augustini Testimonia.

QVÆ fusissime tractantur eo capite de Pelagianorum erroribus, occupata sunt historiâ superius contextâ: quare hic breuiores erimus. Plurimum refert ad causam Aduersariorum, Massilienses grauare variis accusationibus confictis, quia vix differre comperientur, si expendatur quid ipsi senserint, ex sincerioribus testimoniis Antiquorum.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Examen primæ Propositionis.

CERTVM enim est primâ propositione Paragraph. 1. eiusdem Capitis à Numero 56. vsque ad Numerum 64. illis impingi, errasse circa præscientiam absolutam, tum quorundam meritorum gratiam Dei præuenientium; tum finalis perseuerantiæ in gratiâ semel acquisitâ sine vlteriori beneficio, & falsum esse quod asserunt Salmanticenses ex D. Augustino de Prædestinatione 55. Cap. 12. & de Bono Perseuerantiæ Cap 9. errasse solum ex præscientia futurorum sub conditione, vnde diximus desumpsisse initium nostræ salutis, quatenus voluntas sub adiu-

torio Dei sufficienti & suspenso se ipsam discernit.

Hæc accusatio septem aut octo Argumentis confirmatur, quorum omnium solutio facilis est, à distinctione Paragrapho superiori explicatâ, duplicis conditionati futuri, quorum primum manet semper in eo statu futuri, cuius generis diximus esse merita paruulorum, & adultorum, qui morte immaturâ prærepti sunt, antequam ad eam ætatem peruenirent, quâ comparanda erant præuisa merita: secundi generis sunt conditionate futura, quæ sui præuisione transeant in absoluta, qualia diximus constituta plurima à Pelagianis.

Quare septem Argumenta, quibus accusatio Semipelagianorum vrgetur, duplici vitio laborant: vel æquant & confundunt hæc duo genera conditionatorum; vel ex futuris absolutis secundi generis, excluditur eorundem præscientia sub conditione, quod ipsis Aduersariis, si valeret, non minus noxium esset, quam Semipelagianis; cum nihil absolute futurum, aut cognitum admittant, quod non fuerit prius conditionate præuisum: Ergo consecutio illa, quâ ex absolute futuris improbatam volunt à Pelagianis eorumdem præscientiam conditionatam, ipsorum causæ capitaliter aduersatur.

Primo vitio laborat Argumentatio prima Num. 66. quâ dicitur, ex Augustino non tam facile conuinci Semipelagianos aientes Dei gratiam dari secundum merita recipientium, in adultis, quam in paruulis accepto baptismo decedentibus. Et huius differentiæ causâ, confingunturmerita præcedentia, quæ nulla fingi poterant in paruulis. Vera ergo ratio discriminis est, quod paruulis primi tantum generis conditionata merita, adultis vtriusque competant. Idem est vitium secundi Argumenti ex Epistola Prosperi: quia agit de meritis adultorum, aut paruulorum primi generis, id est, conditionatis nunquam in absoluta transituris.

Secundo vitio laborat tertium Argumentum Num. 58. Falsum enim est Pelagianos, non fuisse vsos præscientiâ conditionatâ, sed absolutâ, cum agebant de futuris operibus Esau, & Iacob: hæc enim ad secundum genus pertinebant, quæ prius explorata conditionate, transibant in absoluta.

Eadem est solutio quarti Argumenti, num. 59. vole-

bant enim fidem conditionate præuisam, vt habetur à nostrâ voluntate sub Dei adiutorio, rationem esse cur in absolutam transiret, adiuncto, aut potius determinatu decreto Dei à voluntate creatâ.

Quintum Argumentum Num. 60. præter vitia superiorum omnia, plura addit. Falsum enim est quod dicitur, Pelagianos astruxisse præscientiam propriorum meritorum à diuinâ gratiâ independentium, quam Augustinus quoque approbauerat, antequam de illa disputare cœpissent. Verum quidem est, huiusmodi futuris D. Augustinum, & Semipelagianos cum Pelagianis veritatem à Deo scitam concessisse, cuius præscientiâ necessarium esset fundamentum decreti diuini quo niteretur, & libertas humana seruaretur: Semipelagianos vero præter veritatem, quæ esset ratio decernendi absolute, addidisse vim merendi, etiamsi à statu conditionati non abirent in absolutum. Et hæc est causa admirationis D. Augustini, & censuræ acrioris Semipelagianorum. Sed quid ista, vt probetur Pelagianos hæsisse tantùm, & errasse circà futura absoluta? Atqui non minus quam Recentiores conditionata præmittebant: Atque hinc rescinduntur tricæ quibus illud Argumentum implicatur.

Nec validius est, aut sincerius Argumentum sextum Numero 71. ex iisdem paruulorum meritis, quæ iam diximus distincta ab adultorum; quod illa conditionata maneant, ista à conditionatis transeant ad absoluta: Ergo agnouerunt futura sub vtroque statu, quæ tantum abest vt pugnare velint, quin potius subordinatione absolutorum à conditionatis, eodem vinculo nectant, quo Recentiores.

Nec fortius est septimum Argumentum num. 62. quamuis enim futura primi generis merita paruulorum nequeant in absoluta transire, vel illis iungi: quid vetat hanc cognationem statui, & approbatam esse ab omnibus inter conditionati & absoluti statum? Atque hinc satisfit, cum quæritur Num. 63. quo sensu Semipelagiani dixerint, priorem esse hominis obedientiam, quam Dei gratiam. Respondeo ex comparatione Pelagianorum cum Semipelagianis, hos omnes, nullam admisisse obedientiam hominis, quæ ad minus non haberet adiunctam gratiam possibilitatis, ex cuius determinatione à voluntate

factâ, ab vtrâque simul prodiret obedientia prius conditionate, & subinde absolute præuisa, quæ gradus esset ad Dei gratiam efficacem, à quâ minus, quam Recentiores abhorrebant: neque enim ab illâ timebant excidium libertatis, dummodo actus aliquis ex gratiâ sufficienti præcessisset.

Quare ad Argumentum, cum quæritur, an huiusmodi præscita obedientia sit absolute vel conditionate: Respondeo vtroque modo, primùm conditionate, quo fit gradus ad absolute præscitum, & ex illa ad gratiam efficacem. Quæ gradatio locum nequit habere in paruulis, nec quidquam nobis nocet, aut iuuat Aduersarios. Hinc viderit æquus Lector, cuius censura timetur, an hæc Argumenta adeo perspicua sint, vt superfluam in hác quæstione operam lusisse videatur illorum Author; & veniam peccati impetrandam speret ab hallucinatione Salmanticensium, quod dixerint, Semipelagianos causam electionis horum præ illis, nolle esse ex præscientiâ bonorum operum absolute futurorum, sed solum ex præscientia eorumdem conditionate præuisorum: cum vnicâ solutione omnes profligatæ sint difficultates.

PARAGRAPVS SECVNDVS.

Expenditur secunda Propositio.

VIDENDVM est, an quæ sequuntur validiora sint ad rem conficiendam, superioribus, quorum vim exploratum imparem esse proposito confirmando. Hæc est secunda Propositio, *Semipelagiani confugerunt ad scientiam conditionatam, tunc tantum quando absolutam præscientiam ostendere non poterant.* Hæc fusiùs quam fortiùs à Num. 64. ad Num. 79. confirmantur, à quibus facile me expediam; quia vix quidquam noui affertur, quod non fuerit pluries refutatum. Atque vt breuior & apertior sit responsio, tria capita attingam, quibus totus Paragraphus continetur.

Primo Thesis hoc vnico Argumento probatur. Semipelagiani scientiam mediam adhibuerunt tantum, cùm D. Augustinus instabat exemplis paruulorum, & adulto-

rum, quibus ob merita nunquam comparanda, concedebatur gratia baptismi, aut prædicationis, aut negabatur: Ergo vsi sunt tum tantum scientiâ mediâ, cum nullum supererat perfugium ad scientiam absolutam. Inde secundo illorum sententia detortis, & voluntariis interpretationibus explicatur à Numero 66. ad Num 70. Hinc tandem ad Numerum vsque 79. repetuntur solutiones ad Argumenta superius proposita Salmanticensium, & Ioannis à sancto Thoma.

Quod ad primum caput attinet, nihil miror Recentiores adeo sollicitos esse, in semouendâ scientiâ mediâ à placitis Massilienſium, quòd videant se illorum erroribus ab Ecclesia damnatis notandos, si constet scientia media se aduersus Diuum Augustinum tutatos fuisse. Id vero euicimus pluribus Argumentis, quibus tria addenda occurrunt.

Primùm quæro an illud perfugium ad scientiam absolutam damnent tanquam erroneum. Si ita censeant, Semipelagianis hæreticis aggregabunt Lessium inter Recentiores, qui prædestinationem & vocationem hominum, semota scientia media, quasi insidiatrice potius nostræ salutis, quam libertatis exploratrice, explicat beneficio scientiæ absolutorum, quæ gratiæ communis omnibus hominibus concessæ, attingat bonum vsum à voluntate cuiusque propria vt à prima radice ortum, quo se discernat, & prædestinet.

Deinde incredibile est, quod debili admodum Argumento Probatur; Semipelagianos nunquam vsos scientia media, nisi coactos Argumentis D. Augustini. Id enim certum est, Recentioribus nihilo inferiores ingenio, eloquentia, eruditione, & opinione sanctitatis, & futuris conditionatis sponte veritatem, vim meriti inuitos asseruisse. Quis igitur credat, viros doctissimos, omissâ huiusmodi futurorum veritate, summè sibi necessaria ad suam explicandam, & ad Augustini impugnandam doctrinam, meminisse tantum meritorum, quæ illi veritati astruebantur; quibus concessis stultissimi, proposita autem veritate Catholici & sapientissimi haberentur?

Addo tandem, Faustum Pelagianorum acerrimum lib. primo de gratia cap. 14. improbasse responsionem gregalium de paruulorum & adultorum conditionatis me-

ritis. *Serpentina*, inquit, *fraudis est, ad tenebrosas tuguernas, relicta luce confugere. Quid rationis est, vt interrogare velis occulta, cum sollicitudini tuæ plenissime videas respondere manifesta? Non intelligis quod in veritatis iniuriam perscrutaris, quidquid veritas scire te noluit?* Nempe de huiusmodi meritis paruulorum commentitiis.

Vis autem totius Argumentationis in hoc posita est, Semipelagiani abusi sunt scientiâ mediâ ad constituenda merita fictitia: Ergo nunquam ea vsi sunt, ad stabilienda certa merita, qualia Recentiores illi astruunt. Dato Antecedente, Nego Consequentiam: & in Aduersarios retorquetur Argumentum. Cum futuris conditionatis inesse cognoscerent veritatem, quæ prior esset meritis commentitiis, & illorum fundamentum, multo euidentius est, viros sapientissimos, & eruditissimos illi sua placita astruxisse, & vt explorare Deum vellent omnia, antequam quidquam decerneret prædestinatio. Adiungenda sunt huic Argumento ex superiori Paragrapho quæ illi inuictum robur addunt.

Atque hinc refellitur interpretatio sententiæ Semipelagianorum, & D. Augustini, astructa duobus falsis fundamentis; nempe Semipelagianos nunquam scientia media vsos esse, sed absoluta præscientia futuræ fidei ex naturæ viribus, ob quam eligerentur Iusti ad vlteriorem gratiam, & subinde ad gloriam, ex perseuerantia in eadem fide: vnde colligitur eos ab Augustini sententia recessisse, qui fidem vult cognitam esse, in prædestinatione, seu præparatione gratiæ necessariæ ad illam eliciendam.

Sed hæc explicatio vtriusque sententiæ, aliena est à mente suorum Authorum, quod euinci potest ex historia relata hæresis Massilienſium Art. 4. Paragraph. vltimo ad finem, vbi obseruatum est Pelagianis, & Massilienſibus, summè displicuisse propositum vocationis, & prædestinationis Augustinianum ex triplici capite; ratione originis, quod humanam præueniat voluntatem, eaque inconsulta, seu eius consensu non præuiso, saltem conditionate sancitum sit: quoad ambitum, quod omnia includat, & nullum ab homine supponat initium salutis; Tertio quoad efficaciam, quod infallibiliter, è nolentibus credentes faciat, & perseuerantes. Odio sententiæ D.

Augustini, suam omnino oppositam statuunt, & his tribus nodis suum cuneum sine Pelagiani erroris notâ, sine gratiâ, aut propositi diuini læsione commenti sunt.

Itaque his omnibus difficultatibus profligandis, cum non possent propositum, seu prædestinationem toties à Scriptura commendatam negare, bicipitem constituerunt: vniuersalem vnam, quæ præueniat humanas voluntates, & absoluta sit, quatenus est origo multiplicis gratiæ generalis, conditionata quoad efficaciam ex præuisa conditionate, aut absolute fide, & in eâ perseuerantia, vnde electus ad gratiam & ad gloriam absolutâ alterâ promoueatur. Prædestinatione sic explicata, putabant se profligasse, & euasisse difficultates, quibus prædestinatio Augustini implicabatur. Hanc vero prædestinationem generalem astruebant his verbis ex prima ad Timotheum capite 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, vt testatur Hilarius Epistola ad Augustinum, *inde est*, inquit, *quod illius sententiæ Apostoli expositionem, Deus vult*, &c. *non eam quæ à te est deprompta, suscipiant*, ideſt, *vt non nisi homines omnes saluos fieri velit; & non eos tantum, qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omninò, vt nullus habeatur exceptus.* Eundem Massilienſium sensum, promit Prosper; *itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam viam æternam*, &c.

Ex hoc proposito generali absoluto quoad media communia, conditionato & inefficaci quoad euentum, & à voluntate creata suspensum; diximus Art. 4. Semipelagianos quatuor genera gratiarum, velut è fonte paradisi quatuor flumina deriuasse. Primum remotum, nempe vt loquitur Prosper Epistola ad Augustinum, *vniuersis hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint.* Secunda gratia propior, est doctrina, & Euangelij prædicatio, quam negatam dicebant quibusdam ex præuisa incredulitate, reliquis concessam, qui præuisi essent illi fidem habituri, si ad eos peruenisset: vnde concluſimus suprà ad discrimen illud credentium ab incredulis, necessariam fuisse scientiam mediam, quæ conditio-

nare non minus assensum piorum, quam dissensum reproborum attingeret. Tertiam gratiam constituebant in quibusdam reliquiis primæ integritatis, seu in naturali possibilitate boni. Ita tradit Hilarius: *Excludi putant omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur, in hominibus remansisse dicatur.*

Quartam denique gratiam generalem agnoscebant actualem, internam, sufficientem ad credendum, non ad operandum, ad minus eiusdem generis, quâ primus homo stante innocentia, ad recte operandum egere statuunt Concilia, qualem fatetur Augustinus se ante has de gratia accuratius tractatas controuersias, tradidisse ante Episcopatum, libro primo Retractationum cap. 23. & 26.

Si has omnes gratias parandas homini crediturο non diffitebantur Semipelagiani, quærendum est Aduersariis aliud discrimen, inter Augustini & Semipelagianorum sententiam, quam assignatam ex gratiæ præparatione; quasi omnem gratiam excluderent Massilienses ab initio fidei; vel alias parari velint ex Augustino, præter quatuor enumeratas ex mente Massiliensium. Atque vt solidius sit illud quod tentatur discrimen, inter prædestinationem ab Augustino præscientiæ antepositam, vel ad illam consecutam ex Massilienſibus, agnoscenda est gratia per se efficax, quâ vnâ possunt hæ duæ sententiæ distingui.

Atque hinc colligere est, immerito Salmanticenses, & Ioannem à sancto Thoma accusari, perpetuâ quasi illusione falsos, dum indistinctè interpretantur de præscientia conditionata, seu scientia media, quæ Semipelagiani passim dicunt de præscientia meritorum. Vt omittam Argumenta, quibus probatum est Massilienſium fundamentum præcipuum, esse veritatem conditionatorum ante omne Dei decretum; hoc nouum superioribus addo etiam ad hominem: nihil ex Aduersariorum mente medium esse potest inter prædefinitiones absolutas, & efficaces, ad voluntatem Dei generalem, & conditionatam saluandi homines; Atqui Massilienses abhorruerunt à prædestinatione, & definitione quacumque absoluta, & ea de causa calumniati sunt Augustinum, rati huiusmodi decretorum artificem esse, & patronum; &

vt jam retulimus, prædestinationem constituerunt conditionatam & inefficacem, atque à voluntate humana suspensam: Ergo scientiæ mediæ adhæserunt, quandoquidem nullum est inter hæc duo extrema medium; maxime cum ex prædestinatione conditionata Dei, non possit sequi, nec subinde cognosci euentus absolute futurus, nisi ex eâdem radice, à quâ Aduersarij volunt profluere veritatem, & præscientiam conditionate futurorum, nempe ex suppositione euentus, quem non minùs determinatum censent de conditionatis, quàm de absolutis; hoc solum discrimine, quod rerum series necessaria ad productionem rei, cum penes Deum sit, de futuro absolutorum, decernit ponendam, negat conditionatorum.

Quis vero adeo stolidos dixerit Semipelagianos, aut potius in Deum impios, vt vnius libertatis creatæ curam habuerint, neglexerint diuinam; & rerum seriem, ex quâ futura ponenda sunt, aut suspendenda, nihil voluerint ad Deum pertinere? Si hoc nec cogitari potest citra sacrilegium, nec de viris doctissimis, & Christianis fingi, nisi temere; immerito dicuntur Thomistæ perpetuâ illusione falsi: dum à Semipelagianis prædicatam futurorum præscientiam, vel de sola conditionata interpretantur, vel quæ præeat absolutæ, & in illam transeat vi decreti diuini; præter quod sic explicare omnino conuenit mentem Massilienſium. Atque id satis aperte euincunt Salmanticenses, ex Prosperi verbis Augustinum rogantis, sibi ad hanc quæstionem responderi: *Vtrum per præscientiam possit stare propositum generatim, an per genera causarum, & species personarum, ista varientur, vt quia diuersæ sunt vocationes, in iis qui nihil operaturi saluantur, quasi solum Dei propositum videatur existere.* (Ad paruulos alludit Prosper his verbis, in quibus videtur esse solum propositum sine præscientia meritorum) *in iis autem* (prosequitur Prosper) *qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum?* Hactenus Prosper. Quæstio subiecta Augustino latissime patet, & omnes adultorum, aut paruulorum ambit status, quoad omnia futurorum genera; quidni ergo de futuris conditionate, perinde ac de futuris absolute, explicare liceat, quod proponit Prosper, vtrum per præscientiam possit stare propositum?

Quare omnino gratis Numero 70. dicitur, manifestum esse paruulos in eo distingui ab adultis, quod in paruulis videatur esse solum propositum sine præscientiâ; in adultis propositum stet per præscientiam: nam illud discrimen inter paruulos & adultos, nullis Prosperi verbis insinuatur: imo postremis verbis videtur hanc differentiam præcludere, cum addit; *An vero vniformiter licet diuidi præscientia à proposito, temporali distinctione non possit; præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: & sicut nihil sit quorumcunque negotiorum, quod non scientia diuina præuenerit; ità nihil sit boni, quod in nostram participationem, non Deo Authore defluxerit.*

Ad hæc verba duo summe obseruanda occurrunt: primum quidem hâc quasi tripartitâ quæstione, postremâ parte insinuari, *Num vbique præscientia proposito nitatur, nullâ rerum decernendarum attentâ differentiâ.* Deinde vltimis verbis rationem, quæ huic determinationi faueat, attingit; nempe, *quod nihil boni possit nobis aduenire, quod non à Deo authore defluxerit.* Ad hoc enim tandem caput reuocatur tota Augustini cum Pelagianis, & Thomistarum cum Recentioribus controuersia; an rerum futurarum determinata veritas, sit vt à primâ radice, â voluntate diuinâ, vel à creatâ: si referas in voluntatem diuinam, certissimum est, perinde conditionate, ac absolute futurorum præscientiam subnixam esse proposito.

At inquies Augustinum agere de vocatione & salute electorum, quæ ad futura absoluta pertinent: Ergo intempestiuè aduocatur quæstio de conditionatis. Hoc Argumentum soluitur eâdem distinctione, quâ ex superiori propositione obiectiones solutæ sunt; conditionatorum duo esse genera, primum eorum, quæ semper conditionata manent, qualia sunt paruulorum merita, nunquam comparanda: secundi ordinis sunt ex Pelag. & Recentiorum principiis, merita electorum, quæ in absoluta transeunt, vbi eorum veritas conditionate explorata fuit. Pertinet ergo ad quęstionem à Prosper. propositam, expendere, vtrum præscientia cuiuscunque futuri, proposito nitatur, an consequatur ad illud.

Et hic est genuinus verborum Prosperi sensus quæ in eria membra diuiduntur Numero 71. nec distinctioni re-

pugno; sed male inde colligitur, nihil agi à Prospero, quam vt petat ab Augustino, sitne admittenda scientia conditionata, quam non præcedat præsens, atque actuale decretum. Nec verius est quod additur, nihil colligi ex responsione Augustini, pro decreto illo scientiam conditionatam antecedente: multo magis alienum est ab omni vero, quod dicitur ad secundam partem quæstionis, responsum esse ab Augustino negatiue, sicut ad priorem, & ad postremam; quod omnium eadem sit ratio; & propositum salutis sit independens à præscientia meritorum in paruulis: in adultis vero esse illius præscientiæ causam. Hâc enim responsione adscriptâ Augustino, euertitur controuersiæ status; quia non quæritur, an quæcunque gratia præcedat consensum voluntatis, sed à quâ duarum sit, vt à primâ radice; & vndenam innotescere possit Deo consensus futurus; an ex proposito & gratiâ efficaci an ex suppositione futuri consensus voluntatis creatæ, diuinum propositum, & auxilium determinante. Hîc vero quis neget de scientiâ conditionatorum agendum, cum nihil sit medium inter efficaciam decreti, & auxilij; quo scientiam futurorum referunt post Augustinum Thomistæ, & scientiam medim, quo Pelagianis & recentioribus confugiendum est, si velint saluam diuinam libertatem, dum nostram tutantur?

Hinc facile est deffendere, quæ à Numero 72. vsque ad finem Paragraphi congeruntur in Ioannem à S. Thoma. Certum enim est ex verâ interpretatione Prosperi, an præscientia sit innixa proposito, id est, an ratione decreti, Deus sciat quid sit in quolibet ordine futurum, esse ipsissimam quæstionem subiectam Augustino, & à nobis instauratam cum Recentioribus. Ex eadem interpretatione verissimum constat esse, quod dicit Augustinus, *Deum fidem filiorum Abrahæ, non de suâ præscientiâ, sed de suâ prædestinatione promisisse*: quia si futura erat ex voluntate determinante gratiam, non à gratiâ dominante voluntati, falso dixisset Augustinus, *promissam à Deo de suâ prædestinatione, non de suâ præscientiâ.*

Hinc etiam deffenditur interpretatio à Ioanne à Sancto Thoma adhibitæ his verbis Augustini ex cap. 15. & 19. de Prædestinatione Sanctorum, dum negat, *aliter præscitum initium fidei, quàm prædestinatum, secundum præ-*

positum eius, qui omnia operatur: neque enim sciri, aut prædestinari potuit, ex præparatione gratiæ determinandæ per voluntatem creatam. Cætera quæ adduntur Numero 74. & sequentibus, repetuntur ex iis quæ de scientiæ mediæ fundamentis dicta sunt, & sæpius refutata. Præterea ad omnia locum habet distinctio insinuata duplicis futuri conditionati. Ea verò quæ supersunt illo Parag. iam soluta sunt, & iterum recurrent expendenda.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Referuntur tres postremæ propositiones.

QVÆ supersunt, tres ex eodem capite assertiones, fusissimè disputatæ, longè sunt superioribus improbabiliores, & ex vnâ Pelagiani erroris contextâ historiâ, omnino euanescunt. Quis enim nisi apud antiquos hospes, vel non sincerus, credat, aut asserat, Massilienses credidisse destrui libertatem, ipsâ necessitate gratiæ, quocunque modo efficacis, etiam beneficio scientiæ mediæ: & ideo pugnasse contra necessitatem, pro tuendâ libertate, non contra certum efficaciæ modum, quamuis etiam inde impellerentur ad negandam necessitatem?

Mira est vis apertæ veritatis, quæ sui testimonium à quamlibet inuitis, & reluctantibus extorqueat. Consilium animo insederat non minus firmum, quam necessarium, totam Pelagianorum cum Augustino controuersiam reuocandi ad gratiæ necessitatem, seclusâ efficaciâ; quia hoc vnico fictitio discrimine, secerni possunt Recentiores ab Augustini Aduersariis: sed tantus veritatis splendor ab Antiquorum monumentis obortus est, & oculos perstrinxit, vt non sit passa se obrui & taceri: & ideo ad finem assertionis appositum est, *quamuis ex efficaciâ gratiæ, impellerentur ad negandam necessitatem.* Ergo disputatum est, non obiter, sed ex professo de efficaciâ gratiæ; quandoquidem inde dicitur excluſa necessitas gratiæ à Pelagianis, & ab Adrumetinis Monachis, negata potius libertas, quam gratiæ efficacia.

Non possumus inficiari, quin initio hæresis Pelagianæ vsque ad tertium statum, acerrimè disputatum sit de ne-

ceſſitate gratiæ, quam in totum negabant, vel liberi arbitrij ſine vllis meritis conceſſi, vel legis & doctrinæ nomine corrumpebant: ſed non minus certum, quarto ſtatu, & exordio Maſſilienſium hæreſis, admiſſa ab illis quinque poſſibilitatis auxilia, *ſine quo non*, voluntati ſubdita, & ab eâ vt à primâ radice determinanda, ad conſenſum primum conditionate, deinde abſolute præuiſum, quo moueretur Deus ad dandam primum abſolute eandem gratiam, deinde perſeuerantiam, maioremque perfectionem. Sed his omnibus ab Auguſtino probatis, vel vltro conceſſis, diſputationem hæſiſſe ad auxilium *quo* operationis, quod actum, nec conditionate, nec abſolute præuiſum daret; & quodcunque ſalutis initium infallibiliter, inuincibiliter, inſuperabiliter tribueret, quo vno tolli libertatem, induci fatum, &c. vociferabantur vno ore & conſenſu: Ergo falſa eſt tertia Propoſitio, credidiſſe Semipelagianos deſtrui libertatem, ipsâ neceſſitate diuinæ gratiæ, ab Auguſtino aſſertæ.

Nec verior eſt 4. Aſſertio, D. Auguſtinum diſputaſſe de neceſſitate diuinæ gratiæ, non de illius efficaciâ cum libertate conciliandâ contra Semipelagianos. Nec probabilior eſt quinta, Semipelagianos, nunquam adhibuiſſe doctrinam de ſcientiâ mediâ, in vſum conciliandi efficaciam diuinarum prædefinitionum, cum libertate actionum prædefinitarum. Hæ omnes Propoſitiones eodem fundamento fultæ, conuelluntur noſtro Argumento, ex progreſſu Pelagianæ hæreſis deprompto; vnde conſtat admiſſa ab illis omnia auxilia poſſibilitatis, & à voluntate ſuſpenſa, damnato vno auxilio efficaci, ſibi voluntatem ſubiiciente, à quo vt à primâ radice, proflueret initium, & progreſſus ſalutis: atque hoc, nedum relata à nobis teſtimonia, ſed ipſamet loca ab Aduerſariis adhibita euincunt.

Quid enim aliud probat Proſper Num. 79. relatus, dum ait; *propoſitum electionis*, quale ab Auguſtino tradi ferebatur ex Maſſilienſibus, *lapſis curam reſurgendi adimere, & occaſionem teporis afferre: eo quod in vtramque partem ſuperfluus ſit labor, ſi neque reiectus vlla induſtria poſſit intrare, neque electus vlla negligentia poſſit excidere?* Neque enim excludi poteſt induſtria, aut negligentia induci, ex quâcunque gratiâ communi, ſubditâ libero arbitrio, cum

in eâ exercendâ, determinandâ induſtriæ oſtentandæ, vel in eâ obiiciendâ negligentiæ, locus ampliſſimus eſſe poſſit; nec timendum ſuperfluum fore laborem, niſi ex auxilio *quo* & actionis. Nec etiam vllâ veriſſimili ratione remoueri dicebatur omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio quæcunque generalis, & conditionata, humanas præueniat voluntates, ab illis abſoluta & efficax futura; ſed ab eâ tantum, quæ id à ſe haberet, ante omnem conditionate, vel abſolute præuiſum actum voluntatis, ab ipsâ dandum infallibiliter.

Hinc fatum inclamabant induci, & contendebant, quod eodem Numero infertur, *ſub inſpiratione, & motione diuina, tantum habere hominem facultatis ad bonum, quantum quiſque ad malum: parique momento animum ſe vel ad vitia, vel ad virtutem mouere.* Certum eſt, hæreticos hanc comparationem non promouiſſe, ad arithmeticam æqualitatem, ſed tantum ad geometricam proportionem, vt ex Iuliano aliàs retulimus: quibus aliud addo Argumentum, illuſtrandæ comparationi accommodatum; Pelagianis neceſſariam viſam fuiſſe gratiam, ad facilius, & Maſſilienſibus ad omnino conſcendendum perfectionis culmen: & tamen nulli putabant, eâ neceſſitate gratiæ, tolli libertatem, & diligentiam, quâ vt idem Proſper ait, *ſciebant vnumquemque ad correctionem, & ad profectum vocari; & bonum eſſe poſſe: libertatemque ſuam ob hoc, Dei adiutorio adiuuandam; ſi quod Deus iubet, elegerit:* quia ſatis eſſe putabant ad victoriam, quâcunque gratiâ præuentos, ad initium ſalutis, vel adiutos ad perfectionem, ipſi gratiæ dominari, non ſubiici, ex cuius vſu ſe dignos ampliori efficerent, ac proinde ptior eſſet obedientia, quam gratia, cum à voluntate prius quam à gratiâ exiſteret. Sed de his omnibus fuſe egimus Artic. 4. Paragrapho 1. maxime ad finem.

Et ex dictis eo loci, ſoluitur Argumentum ſecundum, cuius ſenſus apertior eſt, ex his quæ apponuntur ad marginem, quam ex ipſo textu. Certum eſt, opus curationis, ſecundum Maſſilienſes, eſſe ex gratiâ, (id eſt Auguſtinianâ & efficaci:) ſed ſanitatis deſiderium, nolunt pertinere ad opus curationis: & niſi ad hoc ſufficiat libertas, (adiuta tamen gratiâ poſſibilitatis,) nullam eſſe. Hæc eſt vera mens Semipelagianorum, fuſius explicata; ex

quâ non video, quid colligi possit; nisi Massilienses, Semi-augustinianos, & Semi-catholicos esse; quod gratiam efficacem excludant à desiderio curationis, & à fidei, quam requirunt ad incrementum fidei, & salutis. Quâ vero de causâ sic distinguant gratiam, ad initium, & ad progressum salutis necessariam; diximus ita factum, vt salutem à nostrâ voluntate, vt à primâ radice desumant, causâ seruandæ libertatis.

Hinc 3. Argumenti patet solutio. Malè enim dicitur ex D. August. cap. 12. de Prædestinatione, Massilienses ab omni studio pietatis se putare, remoueri, nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent, vt retribuatur eis. Falsò, inquam, sic dicuntur putasse, quod non viderentur sibi liberi, nisi aliquid possent soli, & sine gratiâ: neque enim hoc vnquam etiam Pelagianis venit in mentem, sed quod vellent gratiam ad initium salutis admittere, quæ non esset subdita voluntati: licet ad progressum paterentur gratiam efficacem adhiberi, quo propius ad Augustinum, quam Recentiores accedebant.

Hinc etiam patet solutio ad 4. Argumentum, quod ita habet: eodem modo Philosophabantur Semipelagiani de fide, aliisque actibus præuiis ad curationem, quo Pelagiani de tota curatione: hoc concedimus, & probatum est, si mentio sit de Pelagianis, quarto statu suæ hæresis; ac proinde falsa est Minor, quæ superiori subiungitur Propositioni, Pelagianos negasse necessitatem diuinæ gratiæ ad curationem: nam ad minus concedebant, vt facilior fieret. Vnde falsum est quod additur, negasse gratiam necessariam ad curationem, quia destrui putabant libertatem; neque enim à quacunque gratiâ timebant libertati, sed ab ea, cui potius subiiceretur, quam sibi subiectam haberet; atque hoc sensu interpretanda sunt quæ ex Augustino referuntur num. 81.

Dissimulantur Argumento quinto, Num. 82. causæ cur Augustino fatum obiiceretur: nos veras dedimus, eiusdem Articuli 4. Paragrapho 3. nec inficiamur legitimam esse, quæ ex libro 2. ad Bonifacium cap. 5. insinuatur his verbis: *Hic respondetis, hanc ipsam Dei beneuolentiam, quâ non merita sequitur, sed bona indebita, gratuita bonitate largitur, fatum potius esse dicendum.* Sed interpretanda sunt hæc verba, ad legitimum sensum Augu-

ſtini, & Semipelagianorum explicatum ad finem Paragraphi 2. vnde tantum hoc recolo; quidquid boni ſeu conditionate, ſeu abſolute præuidetur à Deo, ad inchoandam ſalutem vtile, à voluntate creatâ, vt ſubeſt gratiæ poſſibilitatis, habere, vim meriti, ſi conditionatum ſit in actu primo; & in actu ſecundo, ſi abſolute præuideatur futurum. Vnde infert Auguſtinus contra Pelagianos, ſi præuideatur huiuſmodi actus à Deo, fore meritum hominis, & cauſam vocationis, & prædeſtinationis; quod damnat Auguſtinus tanquam hæreticum: & hoc ſenſu dicit, gratiâ Dei omnia hominis bona merita præueniri, contra Pelagianos, qui vt notatur Numero 83. ait laudaſſe Pelagianos legem, & liberum arbitrium, vt dicerent gratiam non adiuuare niſi meritum: nempe ex præuiſo conditionate, aut abſolute bono actu, quâ ſub gratiâ communi, cuiuſque voluntas eſt prima radix, diſtinguens ſe ab aliis; quod Auguſtinus execratur.

Nec difficilior eſt ſolutio trium quæ ſuperſunt illo Paragrapho Argumentorum, quorum primum deſumitur à Hieronymo, & Arnobio, qui teſtantur liberum ex Pelagianis deſtrui arbitrium, ſi ope alterius egeat: non ita cenſebant de quocunque auxilio à voluntate determinando, ſed de illo quod voluntati dominaretur.

Iiſdem obſeruationibus ſoluitur ſecundum Argumentum Numero 85. cuius vis magis continetur verbis ad marginem, quam ex textu: Semipelagianos cenſuiſſe, initium fidei non eſſe donum Dei, id eſt ex gratiâ, ſi ſit liberum. Hoc enim, eodem ſenſu quo ſuperiora explicandum eſt: fidem, & quodcunque ſalutis initium, eſſe oportere à gratiâ poſſibilitatis, & ſi ſit ab auxilio quo ceu efficaci, tolli libertatem. Vnde falſum eſt, quod dicitur ad finem illius Argumenti; nullum fore in Semipelagianos Auguſtini Argumentum, niſi negaret concurrere ad initium fidei gratiam ab illis conſtitutam, ad ſapientiam, aliaſque virtutes, præter fidem; quaſi negarent vllam præire fidei, & vellent, ad alias virtutes, neceſſarium eſſe tantum gratiam ſubditam libero arbitrio. Hæc enim obiiciuntur quod non ſatis perſpecta ſit mens Semipelagianorum, eo loci explicata; quod ad initium fidei, & in eâ perſeuerantiâ, requirerent tantum gratiam poſſibilitatis, fulciendæ libertatis cauſâ, quo fundamento poſito,

posito, nihil dubitabant admittere gratiam efficacem ad reliqua vitæ Christianæ opera.

Vltimum Argumentum desumitur ab authoritate Cypriani, Ambrosij, & Gregorij Nazianzeni, quorum Testimonia retulimus Articulo 1. huius 2. Sectionis, quibus docent in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est, quo ad salutem possimus nos ab aliis discernere; vnde gratia efficax, quæ voluntati dominetur, necessariâ consecutione infertur. Quid vero inde commodi possit capi ad præsentem controuersiam, non video: nec intelligo vim Argumenti, si plus negent Semipelagiani, quam affirment isti Patres, horum testimonium non posse sufficere, vt illi conuincantur: Atqui sufficiunt, vt ait Augustinus: Ergo illi non plus negant Facilius hos nodos est secare, quam dissoluere. SS. Patres relati astruunt gratiam efficacem ad singulos actus bonos; id negant Semipelagiani, & ex nobis requirunt ad initium salutis gratiam sufficientem, ex Aduersariis, nullam: Ergo reuinci possunt authoritate Cypriani, &c.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Refellitur quarta Propositio.

NIHIL improbabilius est quarta Propositione, qua asseritur Augustinum disputasse contra Semipelagianos, de necessitate diuinæ gratiæ, non de illius efficacia, cum libertate concilianda. Hæc assertio cum Numero 87. deducatur ex superioribus, maxime ex proxima, quasi consectarium, iis iam euersis omnino cadit; adde confutari tota serie erroris Pelagiani, maxime ex dictis Paragrapho 3. 4. Art. 3. & Art. 4. Paragraph. 2. & 3. hoc commodi habemus ex contextâ à nobis historiâ Pelagianismi, vt vno conspectu inspiciamus, quid veri, quid falsi habeant, quæ de illorum hæreticorum mente referuntur. Atque ex multis duo tantum recolenda sunt, quæ & sufficiant refutandis omnibus, quæ congeruntur Paragrapho 4. & 5.

Imprimis id certum est, Pelagianos quarto suo statu, & Semigelagianos primo, plurima admisisse genera au-

xiliorum possibilitatis, & nulla timuisse, aut recusasse subdita voluntati; quia ex illius vsu, & determinatione, desumebant tanquam à fonte volendi, & vt à prima radice, salutem electorum; & tantum cauisse sibi, & abhoruisse ab *auxilio quo operationis*, vt ab excidio libertatis: quo tandem reuocata fuit, cum Pelagianis & Semipelagianis Augustini disputatio, illud genus auxilij excludentibus in totum Pelagianis à progressu salutis, quod Semipelagiani ab initio salutis, & fidei, eiusque perseuerantia semouebant, ad alia opera nihil verebantur concedere. Id vnum miror tota Disputatione cui respondeo, tacitam, & omissam distinctionem auxilij possibilitatis, & actionis, seu auxilij *sine quo non*, & auxilij *quo*, cum præcipuum & forte vnicum sit omnium controuersiarum caput: nimirum è re visum est, hanc distinctionem dissimulare, quod nullâ tergiuersatione, nullis cauillis eludi possent Argumenta, quæ inde depromimus pro decretis conditionatis, aut absolutis scientiæ mediæ capitaliter aduersis.

Aliud quod obseruandum moneo, ex superiori consequitur, quamcumque fidem, vel actionem, consecutam à voluntate præuenta auxilio possibilitatis, excluso auxilio actionis, esse vt à primâ radice, à voluntate applicante auxilium possibilitatis; & præuisam conditionate habere vim meriti in actu primo, id est assumi aptam in rationem meriti, & re ipsa assumi absolute præuisam; idque Augustinus & Prosper extorquent à Semipelagianis, quamlibet reluctentur, & vim meriti eleuent. Hæc omnia late probata sunt locis citatis, & legendus est omnino Parag. 2. & 3. Articuli quarti.

Hinc conuellitur Argumentum primum Numero 33. concedimus regulam constitutam, non esse, vnde melius intelligamus, quid egerit Augustinus in hac controuersia, quam ex propositione quæstionis disputandæ, & ex disputationis conclusione: sed negamus quod assumitur, inde patere, totum hoc negotium, non de efficaciâ diuinæ gratiæ, sed de illius necessitate fuisse; quia tandem deductum est, ad duo genera auxiliorum *sine quo*, & possibilitatis Pelagianorum, *quo* & actionis Augustini. Primò excluduntur decreta ad omne futurum; secundò stabiliuntur: ex illo consequitur gratiam dari secundum merita nostra, quo dicitur eodem Numero, reuocatam con-

trouersiam, & nos vltro concedimus: sed ex altero deducit Augustinus erroneum esse gratiam dari secundum merita nostra, id est, ex præuiso conditionate, aut absolute nostro consensu à voluntate, vt à prima radice gratiam sibi subditam determinante, & secundum Scripturarum fidem, probat Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum, fidem esse donum Dei, profectum vt à prima radice, ab auxilio, & decreto Dei, ante omnem illius præuisionem. Idem statuit de perseuerantia libro altero de Dono Perseuerantiæ: ex quo refelluntur quæcumque illo Numero, & sequenti, fusè congeruntur: & patet responsio ad Argumentum quo tota disputatio clauditur; *Hoc tantum contendit Augustinus ab Aduersariis, quo impetrato, causam sibi videtur obtinuisse*; ita profecto est: *Atqui impetratâ confessione necessitatis gratiæ antecedentis initium fidei, & perseuerantiam*, &c. *videtur sibi causam obtinuisse*. Adhibenda est distinctio huic Propositioni, falsam esse de quacumque gratia possibilitatis, & veram de gratia actionis, à qua Pelagiani abhorrebant, Semipelagiani excludebant à fide, eiusque perseuerantia, ad alia opera admittebant. Aug. contendit contrà Pelagianos, ad singulos actus pietatis, & contrà Semipelagianos, malè ab illis distinctam fidem, ab aliis operibus pietatis, & quam ad ista concedebant gratiam, non debere salua fide, exulare à perseuerantiâ, vel initio fidei.

Hinc etiam desumenda est Responsio ad 3. Argumentum Num. 91. Prosper petit sibi ab Augustino responderi, quâ ratione auxilium *quo* actionis à Pelagianis permissum ad cætera opera, negatum ad fidem, quo vno ait, *non mediocrem Pelagianæ prauitatis, & virulentiæ fibram nutriri, si principium salutis male in homine collocatur, stet cum libertate, & violetur Christiana fides hac dissentione*. Controuersia sic explicata, euidentissimum est dari locum prædefinitionibus diuinis, exclusa scientia media, quæ ad nihil vtilis est, nisi promouendis illorum consiliis, qui posthabita diuina voluntate, & gratia, *à fonte volendi*, salutem repetunt.

Sed, inquies, modus saluandæ libertatis, qui non tollit diuinæ gratiæ internæ, ac supernaturalis necessitatem, non tollat fidem, nec est erroneus; Atqui modus saluandæ

libertatis, excluſa efficacia decretorum antecedenti, & independente à ſcientia media, non tollit neceſſitatem internæ diuinæ gratiæ, ac ſupernaturalis: Diſtinguo Minorem, non tollit neceſſitatem gratiæ cuiuſcumque poſſibilitatis, eſto Minor: non tollit gratiam actionis Auguſtinianam, conceſſam à Semipelagianis ad omnia opera, præter fidem, Nego Minorem. De Conſequentia viderint Aduerſarij, an cum Auguſtino conueniant: quod vnum diſputo: quia Argumentis ago, non Cenſuris. Cæterum inde deducit Auguſt. conſequentiam erroneam meritum gratiæ præire; quia meritum ad operationem pertinet: ea vero quæ à voluntate proficiſcuntur ipſi ſubdita, & ab ipſa determinanda, prius ſunt à voluntate, quam à gratia; ac proinde obedientia, & ſubinde meritum prius eſt à voluntate, quam à gratia, quod vt erroneum infert Auguſtinus Aduerſariorum eſt curare, non meum, quâ ratione ſe ab illis Auguſtini teſtimoniis expediant.

Eâdem interpretatione, & reſponſione, refellitur 5. Argumentum Numeri 92. Prædeſtinatio, pro qua pugnat Auguſtinus contra Maſſilienſes, de quâ cum noſtrâ libertate concilianda ſollicitus eſt, non eſt alia, quam quæ infertur neceſſario, ex eo quod initium fidei, & perſeuerantia, vſque in finem ſit donum Dei; & quod gratia non detur ſecundum merita. Veriſſima eſt hæc Maior, nec minus falſa eſt quæ adiungitur Minor: Atqui huiuſmodi prædeſtinatio non eſt efficax illa, & independens à directione ſcientiæ mediæ; & cum ita probatur, qui negat prædeſtinationem huiuſmodi, adhuc fatetur donum Dei eſſe initium ſalutis, & ſpecialem gratiam ad perſeuerandum neceſſariam, & gratiam non dari ſecundum merita noſtra: Diſtinguo propoſitionem, id fatentur ſecundum verum ſenſum Auguſtini, & conſequenter ad eius principia, Nego: contra Auguſt. mentem, & conſequenter ad ſua fundamenta poſita, Concedo. Et ideo effugiunt notam hæreſis, non tamen falſitatis, inconſequentiæ, & diſſentionis à doctrinâ & gratiâ Auguſtinianâ.

Et hoc confirmant, quæ obiiciuntur Num. 93. & 94. quibus male Reſpondetur. Nam Semipelagiani, tantum aberat vt timerent lædi libertatem à gratiâ ſubditâ libero arbitrio, vt nec etiam vererentur gratiam efficacem, &

actionis, necessariam ad quæcunque opera, dummodo ni-teretur gratia possibilitatis necessaria ad fidei initium, & perseuerantiam, vt loco citato explicuimus, atque illi sunt, de quibus ait Prosper, *admisisse auxilium internum ad initium fidei*. An vero vlli hoc concesso fuerint Semipelagiani, & subinde hæretici, an vero Catholici, quod exertè asseritur Numero 94. nolim pronuntiare, quia à censuris abstinendum mihi indixi, contentus Argumentis, quæ Lectoris subiicio censuræ; certum tamen est, illos si Catholici essent, perperam ab Augustino non fuisse probatos.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Responsio ad Argumenta pro quinta Propositione.

EA vero asseritur, Semipelagianos numquam habuisse scientiam mediam, in vsum conciliandi efficaciam diuinarum prædestinationum, cum libertate actionum prædestinatarum; idque tribus Argumentis probatur, quorum primum, Num. 95. est merum Sophisma, & ita habet. Qui laborat vt inueniat rationem, qua Dei prædefinitio concilietur cum libertate arbitrij, eo ipso supponit esse talem prædefinitionem: verissima est Major, sed Minor quæ subiungitur, Massilienses nunquam supposuisse prædefinitionem Dei, actuum, de quorum libertate solliciti erant; vel omnino falsa est, quia loco vnius duas huiusmodi actuum agnoscere Semipelagianos demonstratum est locis citatis, maxime Paragrapho 3. Art. quarti, generalem vnam & conditionatam, determinandam à voluntate creata, absolutam alteram consecutam se præuiso primum conditionate, deinde absolute actu voluntatis, à quibus prædefinitionibus cum gratia nulla proficiscatur, nisi subdita voluntati, facile conciliabatur cum libertate; & hanc viam concordiæ iniuerunt. Sed hac Minoris Argumenti vera interpretatione prætermissa, adhibetur altera mere sophistica: non admiserunt Pelagiani, Thomistarum (& vt credimus) Augustini prædefinitionem præuiam ad præscientiam quamcunque futuri, & illius fundamentum: Ergo Massilienses nunquam laborarunt,

vt cum illa conciliarent libertatem arbitrij respectu actuum huiusmodi. Fallax consequentia, ne quid aliud dicam: nam Pelagianorum vnus erat scopus, suas prædefinitiones duas conciliare cum libertate, nostram vero, & Augustinianam probare illi aduersam esse.

Nec fortius est secundum Argumentum, quamuis vrgeatur per plures paginas; laborat enim iisdem vitiis, & prodit ab ignoratione, aut potius dissimulatione mentis Pelagianorum, de duplici genere operum, & prædefinitionum. Summa est, duo sunt genera operationum liberarum, cum quibus conciliandæ sunt prædefinitiones: primi, sunt actiones omnes, quibus post receptam fidem sanctificantur iusti; & quoad illud genus, concedimus ex Augustino inculpatam esse illorum doctrinam, nec ad illa opera aduocare scientiam mediam, vt exploratricem, & conciliatricem definitionum cum actibus nostris: quia illos deriuant ab auxilio efficaci actionis, & simili definitione, à quibus, vt à primâ radice profluunt, & inde habent pleno iure vim donorum gratiæ. Secus sentiunt de initio, & perseuerantia fidei; quam, ne pereat libertas ipsius fidei, & reliquorum, quæ illi innituntur, contendunt profluere à prædefinitione, primum conditionata, dante quatuor genera gratiarum, quæ subdantur libero arbitrio, & transeat in absolutam definitionem, vi præuisæ fidei à voluntate adiutâ gratiâ, & ab ipsa voluntate determinata profluente. Qua explicatione cadunt quæ obiiciuntur, an Massilienses prædefinitionem admiserint: Respondeo ita esse, de prædefinitione primi generis conditionata.

Sed instant, nimis nos propitios Massilienfibus, & Augustinum cum Prospero, atque Hilario, accusatorem iniquum, & mendacem facere. Absit à nobis adeo enormis sacrilegij suspicio. Qua vero ratione nobis conflatur? Nempe hoc Argumento iam soluto: qui docet liberum arbitrium non habere aliquid, nisi eleuatum à gratiâ, & adiutum, docet non habere illud à se, nec sine gratiâ Dei adiuuante: & consequenter docet non posse præsciri habiturum illud à se, sed præcipue etiam à Deo, ita eleuante, & adiuuante: Atqui Massilienses ex me ita docebant, Ergo, &c. Ergo si quis contrarium exprobrauerit, calumnia fuit, Atqui contrarium exprobrauit Augustinus.

Tota vis Maioris, quæ est Argumenti neruus, & accusationis in nos, vel in Augustinum, dissoluitur eadem distinctione. Qui docet liberum arbitrium, &c. si sit adiutum, & eleuatum auxilio *quo*, determinante voluntatem; Concedo Maiorem quoad omnes partes: Si sit adiutum auxilio *sine quo non*, possibilitatis, determinando per voluntatem sui discretionis, ab aliis vt primam radicem; Nego Maiorem quoad omnes partes. Atqui Massilienses admiserunt ad fidem auxilium secundi generis, ad cætera opera concesserunt auxilium primi generis: Ergo erraruntquod non eodem rigore, & sensu concesserint fidem, & perseuerantiam fidei, à Deo esse præscitam, & datam vi auxilij, & prædefinitionis, quo cæteros actus sciri, sine beneficio scientiæ mediæ, & esse vera Dei dona concedebant. Ea distinctione corruunt quæ congeruntur Num. 96. & 97. quia non attenditur differentia auxilij *quo*, & *sine quo*, quâ de causâ tacetur.

Tertium Argumentum quod à Numero 98. incipit, pluries solutum est; sic vero habet: Semipelagiani, quoad duos tantum casus, nempe baptismi paruulorum, & gratiæ prædicationis quibusdam concessæ aliis negatæ, confugerunt ad scientiam mediam: Ergo quoad reliqua capita suorum dogmatum, ab illa abstinuerunt. Sed iam solutum est, responsione millies iterata, ob Aduersariorum importunitatem, de duplici futuro conditionato; quorum vnum manet semper conditionatum, alterum in absolutum transit, estque ad illud via: vera Maior est Argumenti, de primo genere conditionatorum, duobus tantum annotatis casibus, Pelagianos vsos scientiâ mediâ; falsum est de altero genere absolutorum, & conditionatorum, de quibus interpretari licet verba Prosperi, *an ea quæ sunt proposita, sint accipienda præscita*, primum conditionate, deinde absolute. Ad id vere quod obiicitur Numero 100. scientiæ mediæ vim, & vsum in hoc esse, vt eadem conditionate futura, deinde attingantur absolute; ita est: sed falsum est quod subiungitur, Semipelagianos alia semper facere conditionate futura ab absolutis; hocque, non solum multis Argumentis falsi conuincimus supra, sed etiam ipsomet testimonio ex Num. 13. Epilogi.

Nec detrecto iudicium eruditi Lectoris, ad quem prouocatur Numero 102. *Cui speratur persuasum, vt scire ve-*

lit, ecquid respondeatur superioribus Argumentis, quibus hactenus probatum est, nullam vim constare, nisi ex tacita, aut dissimulata distinctione auxiliorum possibilitatis, & actionis, aliorumque capitum præcipuorum huius controuersiæ intricatissimæ per se, cui de industria plures admiscentur tenebræ. His vero depellendis aduocandum est Argumentum à libertate Dei, cuius non est credibile, adeo Semipelagianos ignaros, aut negligentes, vt illius nullam curam habuerint, vel non agnouerint funditus tolli, si negetur, ad illam pertinere, præuisa veritate futuri conditionati, sub tali rerum serie, eam vel apponere, vel negare ad suum arbitrium. Si hoc vero semel admiseris (de quo dubitare sit piaculum) quis non videat, nihil à Deo ex vi creatæ libertatis certo sciri futurum, nisi præeat scientia conditionatæ absolutè: quia hæc non potest stare, nisi priùs Deus ex suâ innatâ libertate statuat, quod sibi visum fuit, de illa serie rerum, ad futuri conditionati absolutam productionem omnino necessaria? Ergo quisquis agnoscit futuris conditionate, indepenter à decreto Dei actuali, inesse veritatem à Deo scibilem, non minus debet agnoscere priorem veritatem conditionati, quam absoluti; alias libertatem Dei tolleret: Atqui huius impietatis nunquam accusati, aut suspecti fuerunt Massilienses: Ergo illo iudicio grauissimo euincitur, nullum futurum absolutum à libertate creatâ, vt à primâ radice pendens, in eum statum deduxisse, nisi prius conditionate cognitum, si ea rerum series ad illius productionem à Deo libere constituatur.

Præter illud Argumentum alia habet grauissima Ioan. à S. Thoma, quibus ægre respondetur à Numero 104. ad finem vsque capitis. Euidens enim est, scientiam conditionatam non fuisse perfugiũ, & desperationis remedium, sed optatum præsidium, quo prædestinationis certitudinem, & prædestinatorum statutum numerum à prescientiâ desumerent, non à diuina constitutione humanas præueniente voluntates. Argumentum hoc vim habet etiam ex Aduersariis, qui nihil medium patiuntur ad certam prædestinationem, nisi scientiam mediam, aut decretum Dei efficax: non patiebantur hoc secundum; Ergo recurrebant ad scientiam mediam, cuius beneficio tota illa moles niteretur, aliàs casura. Addemus his aliquid vltimo huius Articuli Paragrapho.

PARAGRAPHVS SEXTVS.

Responsio ad Caput quintum Disputationis tertiæ & primum Disput. quartæ.

INTERDICTVM mihi his grauibus disputationibus à dicteriis, & sarcasmis, ita volui, vt mihi non permittam, iis quibus, Ioannes à sancto Thoma, & Salmanticenses, passim illiberalius habentur respondere. Quare brevius erit horum duorum capitum examen, quod præ cæteris disputationum partibus, abundent huiusmodi sugillationibus, & pleraque habeant ad res facti spectantia, de quibus vtilitigandi, & inuicem mordendi, nullus sit finis, & modus. Visum est tamen semotâ omni verborum acrimonia, Argumentis, si quæ occurrant ad rem facientia, breui respondere.

Superioribus obseruationibus hanc adiungo; quid Augustinus, quid Semipelagiani de scientia media senserint, quid compertum habeant, intelligi posse, si animaduertamus, tria omnino de scientia media inquiri: primo huiusmodi scientiæ rationem, & notionem; an scilicet constet futuris certa veritas à Deo scita, ante omne decretum actuale, quo Deus de illis producendis aliquid statuat, etiamsi suspensa sit rerum series, in qua præuidentur futura, si poneretur. Deinde disputari solet, de huius scientiæ sic explicatæ vsu legitimo, qualem putant Recentiores, ad quem ipsi adhibent. Tertio denique abusum, in quem delapsos fatentur Massilienses meritis paruulorum, & adultorum morte immatura interceptis: non potuere vero Semipelagiani scientia media abuti, quin eius ratio (quæ est prima pars nostræ distinctionis) ipsis prospecta esset: nec credibile est viros acutissimos latuisse, quam late pateret: quamque ad nostram, & Dei seruandam libertatem esset idonea. Si ita sit, quis credat ea interdum abusos, nunquam vsos fuisse? Hoc postremum ex duobus superioribus necessaria consecutione deducitur. Primum vero ita demonstro.

Cui certum est, vnum futurum conditionatum ante omne actuale decretum à Deo sciri; nec ignorare, nec du-

bitare potest, quin cæteris eiusdem ordinis futuris certa veritas insit, & Deo nota; quia omnium vna est ratio, maxime si decreto actuali nihil opus sit, ad adstruendam illis veritatem: Ergo ex vno futuro conditionato, à Massilienſibus probato, reliqua omnia illis perspecta fuerunt, eáque accommodatissima explicandæ diuinæ, & nostræ libertati: Quis ergo credat, eos quibus vna erat libertatis cura, abusos aliquando, nunquam vero vsos scientiâ suis consiliis promouendis non solum vtili, sed etiam omnino necessaria? Ergo scientiæ mediæ rationem consecutis, præsto aderat, ad manum huiusmodi scientia etiam non aduocata Aduersariis lacessendis, aut arcendis efficacissima.

Eadem obseruatio, non minus ad Augustini, quam Semipelagianorum mētem consequendam, accommodata est. Certum est abusum scientiæ mediæ Augustino compertissimum, cum eo suis Argumentis Semipelagianos impulerit. Deinde non minùs euidens est, subtilissimum, & iuxta sapientissimum Doctorem, ex huiusmodi abusu potuisse assurgere, ad indagandum huius scientiæ vsum, & si veram comperisset, strauisse sibi viam ad illum, omnino ex Aduersariis necessarium, conciliandæ libertati nostræ cum diuinis decretis, & auxiliis. Si id potuit, omnino debuit. Quâ enim ratione, eximes virum Sanctissimum, à reatu tot malorum, quæ ex huiusmodi disputationibus nata erant, & plura timebantur: *Cum certamina tanta, pulueris exigui iactu composita fuissent.* Hæc omnia fieri bono scientiæ mediæ vsu, quâ male abutebantur Massilienses, vnde certa fierent decreta, & auxilia diuina, illæsâ libertate. Vel ergo huius scientiæ ratio, fuit perinde nota Augustino, & probata, sicut eius Aduersariis; aut nota quidem, sed improbata: si hoc vltimum admittas, nihil tibi reliqui facis, commune cum August. Si primum velis, Augustinum reum peragis eiusdem sceleris, quo Apostolus grauat Philosophos, nempe veritatis per summam iniquitatem detentæ, omnino necessariæ ad Ecclesiæ componendas dissensiones.

Si dicas abusum huius scientiæ damnatum ab Augustino, vsum vero & rationem, cum auxiliis, & decretis ab illo assertis, conuenire. Si ita sit, cur ipsemet Augustinus, hanc concordiam, & conuenientiam suorum cum

ſcientia media dogmatum, non aperuit? Cur tacuit, cum eâ ſemel manifeſtata, deſitura eſſent tot ſcandala, quibus Eccleſia premebatur; eâ vero occultata, aut tacita, inualeſcerent ſcandala, & maiora timerentur? Cur Aduerſarij, in ſcrutandis Auguſtini ſcriptis, adeo arguti, & eloquentes obmutuerunt; cum vnum ex Sancto doctore locum, ad ſuæ cauſæ patrocinium, arripuerint, quo videbatur hanc ſcientiam mediam innuere: neque enim oportunior, aut neceſſaria magis occaſio poterat Auguſtino occurrere, ſuam mentem aperiendi, & gratiam cum libertate conciliandi huius ſcientiæ beneficio, cuius ſublato abuſu, & ratione compertâ, non poterat vſum legitimum non probare, imo nec tacere. Sane hoc ſilentio, plus Eccleſiæ nocuiſſet Auguſtinus, quam tot ſcriptis de gratiâ, & libero arbitrio libris profuerit.

Atque inde refelluntur tres ad Argumentum Salmanticenſium, reſponſiones; ſi decreta & auxilia gratiæ ab Auguſtino defenſa, conueniant cum ſcientia media, immeritò ex illa ſcandalum paſſos Pelagianos, quaſi libertatem tolleret, nec potuit illud ſcandalum negligi ab Auſtino, cum in promptu haberet remedium, deductis ad ſcientiam mediam ſuis dogmatibus: Atqui ex Aduerſariis, Auguſtinus nunquam adhibuit ſcientiam mediam, ad ſemouenda hæreticorum ſcandala, vel infringenda Argumenta, cum tamen ad hoc neceſſaria eſſet reſponſio huiuſmodi, ſi veram Auguſt. putabat.

Nec dicas, immeritò Pelagianis ſcandalo fuiſſe doctrinam Auguſtini; quod vt ſecunda reſponſione inſinuatur, falsò de libero arbitrio ſentirent, tolli non ſolum efficaciâ, ſed etiam neceſſitate gratiæ, ſi cuiuſquam auxilio, etiam Dei egeret: Sed hanc reſponſionem latè refutauimus Paragrapho ſuperiori. Falſum enim omnino eſt, Pelagianos ad quartum ſuæ hæreſis ſtatum, multóque minùs Maſſilienſes, huiuſmodi libertatis notionem confinxiſſe; cum omnia auxiliorum genera, quæ in confeſſo ſunt apud Catholicos, admitterent, vno excepto auxilio *quo* actionis efficaci, quod execrabantur, quaſi libertatis excidium.

Inde refellitur tertia ſolutio: doctrinam Auguſtini, licet conſonam ſcientiæ mediæ, fuiſſe ſcandalo, quod non ſatis redacta fuerit in vſum intelligendæ concordiæ liber-

tatis cum diuinis decretis. Sed si tanti sit momenti vsus illius scientiæ, & tot scandalis, & malis curandis necessarius, cur tacitus fuit ab Augustino, & neglectus, nec adhibitus? Hæc solutio excusat hæreticos, eorumque casum vitio vertit Augustino. Sic enim disputo, vel obuia erat & facilis legenti libros Augustini, hæc concordia decretorum cum libertate, beneficio scientiæ mediæ; vel obscura, & multa indagine eruenda: si primum velis; falsum est non fuisse redactam ad vsum scientiam mediam, &c. cum primo aspectu non possit occurrere hæc scientia, nisi ad vsum reuocata sit. Si asseras secundum; plane peccauit Augustinus, & ab illa promissione sapientiæ excidit, *qui elucidant me, vitam æternam habebunt:* Et in illum cadent scandala Aduersariorum, quos doctrinæ explanatione, & vno verbo insinuata scientia media potuit à tot malis redimere. Si potuit, debuit; si debuit, nec fecit; quis à graui noxâ absoluet?

Dices, idque insinuatur Numero 112. Augustinum satisfeciſſe suo officio, probata necessitate gratiæ, quia totus disputationum impetus ad necessitatem, non ad efficaciam gratiæ spectabat. Hæc vnica est defensio Aduersariorum, quam meritò voces pręuaricationem causæ Augustini: quia nihil magis potest ab omni specie veri alienum dici, cum omnes ab Augustino scripti de gratiâ & libero arbitrio libri clament, necessitatem gratiæ admissam à Massilienſibus, de vna efficacia disputatum.

Nec dicas efficaciæ modum, & illius cum libertate concordiam, pertinere ad Scholæ subtilitates, quæ singulis diebus nouæ emergunt, sine vllius fraude, cum laude suorum Authorum. Sed hæc responsio, mera est Scholæ argutia, id est, purum effugium. Quâ enim in re, felicius & accuratius insudauit Augustinus, quam in hoc efficacis gratiæ nodo soluendo? Si de sola necessitate gratiæ scripsit, spuria sunt & adulterina, quæ apud illum extant, & leguntur de efficacia gratiæ. Si non audeas supposititia dicere; vel difficultatem expediuit Augustinus, vel implicauit: si hoc secundum velis; Ergo in his controuersiis, quasi mus in pice, anxiè & infelicissimè versatus est. Si expediuit, aut dissoluit hos nodos, vt par est de tanto Doctore sentire; scientia media ad vsum non reuocata, sed nouissimorum temporum ingeniis seruata, vel Scholæ

ſubtilitatibus annumeranda eſt. Non video, quid ipſi ſcientiæ mediæ hoſtes poſſint de illa peius ſtatuere, quam quod ab acerrimis eius patronis ſcriptum retulimus.

Excuſarem quaſi gratis conficta, hæc de neceſſitate gratiæ ſolum ab Auguſt. diſputata, de Scholæ ſubtilitatibus, & inuentis quotidianis, quibus ſcientia media annumeratur; niſi infinita legerem apud Auguſtinum, Proſperum, alioſque gratiæ Chriſti defenſores, de illius gratiæ efficaciâ cum libertate concilianda, vt prodigij loco ſit, dici de ſola neceſſitate; non de efficacia gratiæ ſollicitum fuiſſe Auguſtinum, & cum Aduerſariis diſputaſſe: ſed ad ſummum attigiſſe obiter, & obmurmuraſſe hunc vnicum concordiæ nodum, beneficio ſcientiæ mediæ, à poſteris explicandum.

Nec verius, aut ſolidius eſt quod affertur, ad molliendum quod Molinæ excidit verbum, in Auguſtino deſiderari tantum, explanatam huiuſmodi ſcientiam, & ad vſum redactam; cum ipſe Molina dicat, *ſi data fuiſſet, & explanata ab Auguſtino*. Quid vero dari eſt, ex ſenſu Scholæ, niſi concedi & probari? Molina vero perinde negat ab Auguſtino datam, ac explanatam eodem tenore verborum: Ergo agnoſcit improbatam, quod vnum contendimus: & eo ſemel conceſſo, plane euincimus Auguſtinum totum à nobis contra Aduerſarios ſtare.

Refutatis tribus ſolutionibus primi Argumenti à Num. 109. ad 117. Numerum, ſuperfluus eſſet labor, expendere ad alia duo Salmanticenſium Argumenta, reſponſiones, cum iiſdem fundamentis iam euerſis fulciantur. Quibus adde quæ obiter pluribus locis, & ex profeſſo ſcripſimus Art. 3. & 5. Paragr. 3. Si ſola auxilia conſtituta ſint ab Auguſtino, ſubordinata libero arbitrio, & beneficio ſcientiæ mediæ efficacia; immeritò paſſos ſcandalum, ob eius doctrinam Aduerſarios; cum non magis ab huiuſmodi gratiâ impediri poſſit liberum arbitrium, quam à ſe ipſo: quia Pelagius illud primum numerat inter Dei gratias nullo merito conceſſas: Ergo ſi ipſa voluntas ſibi ad libertatem nequeat eſſe impedimento, ita de vllâ gratiâ libero arbitrio ſubditâ, id ſuſpicari ſtultum omnino eſt, cum hæc duo communia habeant ſubiici li-

bertati, & gratis citra vllum meritum à Deo dari. Vnde falsum est, quod dicitur ad finem Num. 119. modum vnum concordiæ, nec esse intellectum à Massilienſibus, nec propositum ab Augustino, intento magis tuendæ diuinæ gratiæ necessitati: nam duo euicimus, notam Semipelagianis, & vsurpatam scientiam mediam, ab Augustino vero notam & improbatam; sed necessario probandam, & asserendam, si veram putasset, & idoneam fulciendæ efficaciæ gratiæ, de qua magis quam de necessitate cum Aduersariis dimicabat.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

De Iudicio triginta Censorum Romanorum, aduersam Augustino scientiam mediam damnantium.

QVÆ numero 120. disp. 3. & toto Cap. primo quartæ Disputationis, dicuntur de Censoribus Romanis triginta, præfectis expendendæ liti inter Recentiores, & Thomistas, falsum esse, hos omnes, vno aut altero, nempe Procuratore generali Augustinianorum, & Regente Carmelitarum exceptis, pronuntiasse scientiam mediam Augustino repugnare, supersedeo respondere, non quod multa non suppetant, valida & comperta quæ incertis, & falsis opponam; sed quod obedientia sit mihi potior, quam victimæ, aut victoria, & velim cum maximo causæ detrimento, parere decretis Pontificiis, quæ vetant Congregationum sub Clemente VIII. de auxiliis, & Paulo V. habitarum, à duobus quod sciam, à Francisco Penna Hispano, & Rotæ Romanæ Decano, à Petro le Bossu Gallo, Benedictini Ordinis ex Sancti Dionysij Monasterio Cœnobita, & Doctore Parisiensi, Congregationum secretario, Scriptam historiam ad has controuersias vsurpari: quamuis non dubitem quod scripsit Sapiens mihi obuenturum, *vir obediens loquetur victorias*, & mei silentij, atque obedientiæ mercedem fore sperem, causæ nostræ victoriam.

Saluâ itaque decretorum reuerentiâ, licet respondere, ad id quod insertum est margini eiusdem Numeri, *Quod*

hodie non potuit ex Augustino probari, non probari potuit tempore Clementis VIII. Et ad ea quæ textui apponuntur, *exesane sunt paucorum annorum vetustate, testimonia tam perspicua, & tam diserta, vt non liceat modo, eandem ex illis scientiæ mediæ eruere condemnationem?* Respondeo semotâ omni verborum acerbitate, damnationem scientiæ mediæ haberi, nedum ex singulis Augustini testimoniis, sed etiam ex textu omnium controuersiarum cum Pelagianis, ex ipso etiam Sanctissimi Doctoris silentio, ex Molinæ confessione, qui ad has de gratiâ & libero arbitrio concertationes ab Augustino, *datam & explanatam negat huiusmodi scientiam.* Nec longa dilatione fatigabo Aduersarios, dum expectant vt probemus apud Augustinum inueniri huiusmodi scientiæ damnationem, nam exclamare licet verbis Archimedis: inueni apud Augustinum omnibus paginis scriptum quod negatur inueniri posse, aut inuentum fuisse ab illis triginta viris.

Quæ ad Disput. 4. præmittuntur verba grandia, & selecta ommitto: vnum dicam, quæ ex Ioanne à sancto Thoma excerpuntur verba, *magis hominum linguis conuenientia quam Angelorum*, quas sibi aliisque optabat, sin omnino probanda, certe condonanda esse, quod importunitate Alarcon & Herice, minus quam reliqui Societatis Scriptores modestorum, & Molinæ Censura in Augustinum iniuria, posterioribus editionibus erasa extorta sint, & inuito stomacho potius quam sponte prolata. Thomistarum vna mens est omnium, futura quæcunque commentitia esse ex supercomprehensione causarum secundarum Molinæ, ex suppositione aliorum, ex futuris decretis Suares, ex possibilibus, aut veritate obiectiua reliquorum, nulla dari nisi fulta decretis actualibus. Quid ad hæc Alarcon, & Herice? Volunt Thomistas in totum negasse decreta conditionata, sed suis, suorumque Argumentis futurorum conditionatorum confessionem extortam ab inuitis, & quasi captiuos, ac reuinctos, tantum non duci ad triumphantium currus. Hæc Ioanni à S. Thoma tuba sunt: *Et inanes sonitus, inanesque Triumphi, ac verborum pompa.* Assentient illi quicunque ficum vocare solent ficum. *Sed fastum & incessum in mirabilibus adscribit Molina, & attentiorem facit re-*

mori, & famæ, quam sinceræ veritati. Hæc leuiora sunt, quam mereatur Molina, dum ait aduersus Pelagianam hæresim & in anteceſſum contra Lutheranam ab Augustino infeliciter pugnatum, atque ex illius doctrinâ, multorum casus extitisse: se vero ad mala ex hæresi, & Augustino nata, remedium parasse præsentissimum. Quis neget, nisi forte cui sancti Patres, præ Recentioribus vilescant, mitiorem esse, quam par sit, hanc Ioannis à S. Thoma in Molinæ dictum censuram, vindicando à tantâ contumeliâ Augustino? Nec lucem Molinæ immerito sugillat, quam dixerit à se sparsam depellendæ caligini, sub quâ delituerat Augustinus, ante exortum scientiæ mediæ solem. Certe quisquis Catholicorum ista æquis auribus audiet, næ ille quod præfert, nomine indignus est, nec aduertit promissum à Molinâ præsidium aduersus antiquas, & nouas hæreses, in Ecclesiæ perniciem, & hæreticorum iustam excusationem, & defensionem vergere; si à viginti Summis Pontificibus probata aduersus Pelagianos Augustini scripta Theologi Scolastici abiiciant, & cum Pighio Sanchesio, & Molina permittant vsurpanda & fruenda Caluinistis. Quid enim sibi timeant, aut quid potius non audeant in Ecclesiam hodiernam, cum ab antiquâ dissentire compererint dici, non solum impune, sed etiam cum gloriatione, & magnâ mercede ab iis qui se fidei Catholicæ præcipuos, ac pene solos defensores nouo inuento prædicant? Nec immerito se inuictos reputabunt hæretici, quandiu ab Aduersariis contemptum Augustinum & reiectum à se stare licebit nostrorum confessione demonstrare.

Hinc elucet Dominicanos, non aliquâ æmulatione, aut studio partium, vel quocunque affectu præpostero, sed necessitate sibi impositâ defendendi, vt veros Ecclesiæ filios par erat, antiquam fidem, in audax Molinæ dictum & consilium totis viribus insurrexisse. Nec sapientissimus Cardinalis Baronius abnuebat Epistolâ ad Archiepiscopum Viennensem scriptâ & relatâ à Petro Mathæo, dum ait se mirari, & omnino improbare defensionem vnius Molinæ à Dominicanis accusati susceptam à tota Societate, quam alias testatur, sibi amori & venerationi semper fuisse. Et si Aduersarios incerta quæque, & interdum falsa, pro compertis & veris vsurpantes imitari

imitari liceret, adderem quod pluries audiui Aquamviuam præpositum Generalem Societatis sapientissimum sæpius testatum se huius consilij pœnitere : & nisi iactâ aleâ,& Rubicone transmisso, dedecus fuisset retrocedere, Molinam omnino se indefensum iudicio Ecclesiæ permissurum : neque omnino inemendatum voluisse, cum verba quæ scandalo fuerant omnibus piis, & Dominicanos in illum accenderant è posterioribus editionibus tolli iussit. Quare non est censenda victrix causa Molinæ, & victa Dominicanorum, vt pluries scripsit Theophilus, aliique iactant. Nam præter quod reo accusato nondum damnato, vel conuicto sua minime constat innocentia, quandiu sub iudice lis est, neque pronunciatum est male lacessitum, & insontem esse (quod hactenus Molinæ non contigit :) neque in actores animaduersum est, sed vtrique parti,silentio indicto,ius sibi seruauit Pontifex, rem, cum licuerit aut libuerit dirimendi, ipsimet defensores Molinæ videntur domestico iudicio publicum occupasse, aut deprecari, dum præcipuum accusationis caput à Dominicanis impetitum è Molinæ libris accurate semouerunt, vt in illum cadat cuiusdam iudicis verbum, emendatum à nobis, illum dimittite, & finite abire.

Hallucinationes duodecim obiectas Salmanticensibus, & Ioanni à S. Thoma prætermittendas omnino censeo, quod meræ vitilitigationes sint, nec admodum conueniant grauissimæ concertationi : nec si veras daremus, quidquam ad rem faciant : & interdum resipiant morositatem non mediocrem.

Præterea quod valide impugnari nequeant, nisi aduocata historia Congregationum Pennæ prohibitâ,cuius neque causas, neque authores inquirere nolim, nec si possem, euulgare mihi permitterem. Illud minus graue, & serium videtur, triginta Censorum Molinæ de scientiâ mediâ examen initio huius sæculi institutum,certa ac recenti traditione compertum, licet de circunstantiis leuioribus variet fama, in eodem prædicamento reponi cum peregrinatione Pythagoræ ad montem Carmeli; ex quo Philosophiam deduxisse creditur. Verius hanc gratis iectam dubitationem liceat mihi æquiparare nuperæ, quam Salmesius mouit magno verborum strepitu de aduentu Petri Romam, neque verisimilius est negare Petri Romæ

mora per viginti quinque annos, & morte obita, Eccle-siam Romanam in caput omnium Eccleſiarum euectam; quam præpoſitos ex omnibus orbis partibus, & ordinibus Cardinales, Epiſcopos, & diuerſarum familiarum Theologos examini & iudicio de Molina præmittendo Pontificiis decretis. Et quamlibet durior ſit ſchola, & difficiliora ſcholaſticorum ingenia, neque ſe premi putent, dum narrantur confusè quædam miracula, quæ cauſæ acceſſiones ſint, non fundamenta; non tamen adeo auſtera & tetrica fore & intractabilia exiſtimo, quin traditioni ſexaginta annorum compertiſſimæ fidem habeant, Clementem 8. vnius Eccleſiæ & antiquæ doctrinæ, quo flagrabat ſtudio infenſum fuiſſe Molinæ, & iam decrepita ætate, non dubitaſſe quo ſibi mortem videbat accelerari, ex Auguſtini libris de gratiâ & libero arbitrio noctu diuque lectitatis, laborioſiſſimum & eruditiſſimum ſcriptum colligere, cuius Autographum propriâ manu Pontificis munitum habetur Pariſiis, vt totius doctrinæ de gratiâ Auguſtini teſtimoniis confirmatæ, cum Molinæ opinionibus comparationem iniret, vt priuatus Doctor, ac ſubinde vt Pontifex ex Cathedra quid de illa foret ſtatuendum pronunciaret, atque iis rebus ita comparatis, tum Cenſorum iudicio confirmatis ad Molinæ damnationem accinctum. Et ſi alia deeſſent teſtimonia, quæ id probarent, non immerito confici poſſet ipſa vitæ Bellarmini hiſtoria ab vno è Societate Scriptore, pie & eleganter ſcripta; quâ denunciata refertur mors Pontifici, quaſi Prophetico Spiritu, ſi moliretur, & tentaret, quod in Molinam, eiuſque defenſores meditabatur, & reipſa contigiſſe, intercipiendo huic conſilio Aduerſariis oportuniſſima, ne dicam optata; neque in Dominicanos cadit, in illorum caput intentata cenſura, quaſi hoc ab Aduerſariis diſtent, quod contenti ſint domeſticâ quâdam traditione, nihil curent publicis tabulis conſignare, & vulgare quæ protulerunt, vt eorum firma atque inconcuſſa veritas haberetur.

PARAGRAPHVS OCTAVVS.

Responsio ad singulas hallucinationes.

DOMINICANIS ingenitum ab ordinis incunabulis morem multa præclare agendi, & de se loquendi nunquam, etiamsi alia deessent Argumenta quæ id prorent, testatur Congregationum de Auxiliis historia, vel potius traditio, ex qua licet constet plura in decus ordinis sempiternum contigisse, nihil tamen ab illis euulgatum legi, imo nec in tabulis familiæ nostræ publicis seruatum scio, (licet pluries Romæ fuerim) ad posterorum memoriam, sed extraneorum industriâ & diligentiâ factum est, ne hæc immortalis gloriæ ornamenta perirent.

Quisquis nouerit hoc Dominicanorum ingenium, mirabitur silentium Aluares, Gonzales, & Nazarij de triginta Censorum mente aduersa scientiæ mediæ arreptum fuisse in Argumentum conficti à Ioanne à S. Thoma illorum iudicij: Dominicani ab institutione ordinis ad nostra vsque tempora in quæsitorum, aliisque Ecclesiasticis causis versati, perpetuam sibi legem silentij indixerunt, à nullo quod sciam etiam ex Aduersariis læsam: & cum nominati Theologi scirent adhuc sub iudice litem, non permisetunt sibi viri religiosissimi quidquam eorum quæ causæ inseruirent, euulgare. Sed ab illis omnino abstinuerunt, sicut ab ipsa tractatione de Auxiliis Apostolicâ authoritate prohibita.

At, inquies, si iusta fuerit & vera, aliàs de iis tacendis causa, cur illud silentium ruperunt Salmanticenses, & Ioannes à S. Thoma? Illorum nomine reponam, & verbis Apostoli, *insipiens factus sum, vos me coëgistis.* Hoc ipsum à sede Apostolica vsurpatum, aliisque indictum silentium trahi ab Aduersariis in suæ causæ commodum & victoriam ac nostræ noxam facile viris prudentibus iustæ defensionis iura perpendentibus, necessariam esse aliquam harum rerum mentionem ab inuitis extortam; & quod mirere, non à domesticâ quâdam traditione & fide, neque à publicis nostræ familiæ tabulis, sed ab extraneis

tradita scripserunt. Quid Francisco Pennæ Decano Rotæ, & rebus Curiæ Romanæ innutrito, & immortuo cum summa integritatis opinione, quid Petro le Bossu, Benedictino, & Doctori Sorbonico commune aut priuatum cum Dominicanis interceſſit, ſi vnum veri ſtudium excipias, vt illorum gratiâ fidem rerum corrumperent, & ab opinione probitatis ac ſapientiæ multis experimentis comprobata excíderent? Hos duos Congregationum Diarium audio ſcripſiſſe; atque inde Argumentum arripio aſtruendæ fidei his, quæ Dominicani fauſtè feciſſe, ſecus Aduerſarii narrantur.

Domini le Boſſu hiſtoriæ ſupra memini, eam vero Romæ conquiſitam, Pater le Golu, Præpoſitus Generalis Fulienſium ſatis notus libris Gallice editis, & legitimus Paternæ linguarum peritiæ, & in bonas litteras propenſionis hæres, hunc Theſaurum in Galliam deportauit. Sed neſcio quo caſu in Petri à ſancto Ioſepho ex eodem Fulienſi ordine & acerrimi Molinæ defenſoris manus incidit, eiuſque copiam habuit, nobiſque inuidit, & ex eâ aliquid arripuit ad ſuæ cauſæ commodum, cætera ſubticuit, quia, vt inquit Diſputatione quarta Cõcordiæ Sectione quarta, Numero quarto, aperte fauebant Dominicanis. Egregium ſane librorum arbitrum, quos metiebatur, aut euulgabat vt è re ſua fore videbat nulla boni publici ratione attentâ.

De Pennæ hiſtoriâ prohibitâ abſit vt meas cogitationes proferam: duo tantum, illæsâ reuerentiâ decretorum Pontificiorum dicam: primum vni è noſtris apud Cardinalem ſatis ſua pietate & ſapientia notum conquerenti de hac cenſura, reſponſum, librum prohibitum fuiſſe, non quaſi corruptæ, aut ſuſpectæ fidei, ſed pacis gratiâ, & iis contentionibus ſopiendis. Addo aliud prohibita nominatim Pennæ, ſuppreſſâ Petri le Boſſu hiſtoriâ viam ſibi putaſſe Aduerſarios munitam ad nouam hiſtoriam texendam, quam primum Annalibus ſuis inſerendam. Quo vero loco ſit futura apud Cordatos & emunctæ naris homines, ipſi viderint. Hoc ſolum denuncio, etſi accuratè cauerint ſuppreſſis extraneorũ Diariis, ne cõuinci queant mendacij, modicam tamen aut nullam fidem facturos. Quis enim credat iis, qui certiorem agnoſcendi veri viam, id eſt extraneorum & minus partium ſtudij ſuſpectorum teſtimonia præcluſerunt, vt tuto fucare, & interpolare li-

ceat rerum narrationem? Congregationum ordinem, certumque numerum ineundi rationem nobis abstulerunt Aduersarij, prohibitione & suppressione commentariorum: non tamen ita potuit obscurari veritas, quin eorum Argumentis & rebus quas referunt, hallucinationes duodecim nobis obiectæ depelli queant, & inde parari antidotum ad historiam ipsorum operâ in lucem prodituram; his enim refellendis satis fuerit duo compertissima admonere. Primum Dominicanos Molinæ litem mouisse apud Quæsitores Hispaniæ, & apud Summum Pontificem vnius Augustini vindicandi gratiâ, quem sub caligine positum Molina asserebat ex ignoratione scientiæ mediæ, ab ipso nec explanatæ, nec datæ, à se primum inuentæ ad has de gratiâ & libero arbitrio difficultates profligandas, hactenus Augustino & nobis ex principiis ab illo institutis insuperabiles; vnde cum scientia media & Augustini contemptus esset totius litis summa cum consectariis inde deductis, quis neget non vna aut tribus Congregationibus de illâ actum, & omnibus fuisse à summo Pontifice constitutam ex authoritate & doctrinâ Augustini regulam his dirimendis controuersiis?

Adde non improbari insinuatam Ioannis à S. Thoma distinctionem Congregationum duplicis generis; quibusdam iisque solemnioribus disputatum à Theologis nostris & Societatis coram iudicibus, & interdum coram summo Pontifice: has præcessisse alias, quibus semotis contendentium disputationibus, censores suo studio expenderent Molinæ doctrinam, cuius caput præcipuum erat scientia media ignota Augustino, aut certe nec data, nec vsurpata, siue in vsum deducta, vt fatentur Aduersarij: pares vero numero vtriusque generis fuisse, id est omnino quadraginta septem.

Hinc cadunt hallucinationes duodecim nobis obiectæ, & quatuor, quibus roborantur Argumenta, aut potius suspiciones: atque vt à grauiori incipiam, non fuit necesse, quod eodem loci obiicitur, ita sibi vtriusque ordinis Congregationes respondisse, vt si trigesima septima vnius generis fuerit de scientiâ mediâ tractatum, alterius generis Congregatione de eodẽ Argumento agi debuerit, & si quid huius conuenientiæ desit, falsi credamus cõuictam relationem Ioannis à S. Thoma, & aliquid illa diuersitate tur-

batum: neque enim concentum musicum, sed historiam ex sincerioribus actis conteximus, vt opus sit Congregationes numero pares, Argumento consentire, aliàs perituram rerum fidem, sicut cantus musici consonantiam: & quæ ad eleuandam damnatæ à Censoribus scientiæ mediæ vno aut altero excepto congeruntur narrationem, magis valent ad fidem illis adstruendam, & ad depellendas 12. hallucinationes nobis obiectas.

Quod enim obijcitur primo, variare Scriptores de numero Censorum, quibusdam 15. aliis pauciores recensentibus; hoc verum est, cum de singularibus Congregationibus agunt, id est, Theologorum præuiis ad solemniores, à quibus multi aberant, morbo aliisque impedimentis distenti, ad quas non accedebant Cardinales, cum apud Episcopum Sanctæ Agathæ habebantur, vt secundâ hallucinatione attingitur, quia eorum dignitas non patiebatur eò conuenire. Totius vero disputationis scopus, & cardo, in Augustini Sententiâ à Molinæ accusationibus vindicandâ positus erat. Quæcum queagitata sunt toto Congregationum vtriusque Ordinis progressu, etiàm ante decretum solemne Clementis, demonstrant suffragium, de quo hallucinatione tertia, aliisque sequentibus, interpretandum esse iuxta D. Augustini, eiusque discipuli mentem, licet præcesserit decretum Clementis, quia ad vnum spectabat omnium inquisitio. Quo præcluditur quarta hallucinatio; quasi ante huiusmodi decretum non potuerit Hispania in colligendis Augustini, & Thomæ testimoniis suum Symbolum conferre; & aliunde, vt dicitur Hallucinatione sexta, Fonseca, Vasques, & Suares libris ante has controuersias editis, scientiam mediam Augustini suffragio non munierint. Sed non est satis animaduersum, quod pluries significauimus, nec in Vasquem, aut Fonsecam, & Suarem, sed in vnum Molinam litem esse motam, quod scientiam mediam ad vincendas hæreses necessariam scripserit, *nec datam, nec explanatam ab Augustino*, cum maximo Ecclesiæ detrimento, atque hæreticorum scandalo: neque adeo aperte exclusus August. à scientiæ mediæ consortio, & consensu, eo aduocari potest, quod aliorum Patrum testimonia adhibuerit Molina, sin verbis, re tamen ipsâ scientiam mediam affirmantium.

At incongrua, & impossibilis est narratio, cum missi referantur Romam ad disputantes, non solum manuscripti, sed etiam libri editi ab Theologis Societatis, qui adiumento esse possent Valentiæ, quasi egeret his adminiculis eruditissimus, & in SS. Patrum lectione versatus, adiunctis allis tribus eximiis Theologis. Has omnes coniecturas validiori responso excipio: hanc à Societate passim in morem inductam curam, vt securitatem ita cautelæ adiungat, & vt illius homines sic tuti sint, quasi nihil esset timendum, & perinde prouidi, ac si vndique pericula ingruerent, neque satis vnquam præsidiorum, ad tantam concertationem parari posse, vt ipse euentus probauit, non adeo munitum locis Patrum, & Augustini certo compertis ad pugnam processisse Valentiam, quin opus habuisset adiutoribus, & collectoribus, quam quibus vsus est, diligentioribus, aut seuerioribus.

Status quæstionis de scientia media à Ioanne à sancto Thoma positus hallucinatione septima, & octaua immerito carpitur, quod verbis clarioribus illum explicauerit, cum aliunde nihil medium admittant Aduersarij, inter decreta actualia Thomistarum, ad futuri conditionati veritates necessaria, & suam scientiam mediam: vt si controuersia dirimatur, in gratiam illorum, aut nostri sit pronuntiandum.

Quæ obijciuntur hallucinatione secunda, & sequentibus, occupata sunt distinctione Congregationum & constitutione litis. Nam licet priuatis Theologorum Congregationibus, de scientia media sit tractatum, tamen solemnioribus coram Summo Pontifice, maxime Congregatione 13. & sequentibus, ex professo, & acrius ab vtriusque partis Theologis illâ est disputatum. Neque audax pronunciatum est, quasi careret probatione, Pontifices vt peculiares Doctores subscripsisse triginta virorum iudicio. Nam de Clemente constat scripto ipsius manu munito. Possem aliquid grauius dicere de Paulo V. nisi charior mihi esset reuerentia decretorum Pontificiorum, quam causæ victoria.

Hæc paucis de 12. hallucinationibus, ne eruditus Lector diligentiam in nobis desideret, quod plura aut prætermittam omnino, aut leuiùs perstringam, qualia sunt de miraculis Pennæ Num. 12. & de Iuliis solutis Notarios,

qui excerpserat suffragium censorum ex Commentariis Pennæ, de quibus Num. 13. quia responsio ad ista non dissimilis futura obiectioni, parum videtur his disputationibus congruere. De silentio Thomistarum, quod Num. 14. & 15. obijcitur, dictum est alibi, & ex causâ litis, atque emendatione Molinæ, cadunt quæ inde trahuntur Argumenta.

Huiusmodi vero silentij ratio omnino est duplex, nempe reuerentia in Summorum Pontificum decreta, & iterum emendatus Molina, quoad caput præcipuum controuersiæ, vt perperam omnino inde coniectent homines *aggressionem Dominicanorum non potuisse, non modo violentam esse, sed iniquam*, cum illius sustinendæ, aut declinandæ causa, castigatus sit locus, qui maxime displicebat in Molina, Augustino prorsus iniurius. Nec luculentius hâc emendatione optari potuit, aut contingere nobis testimonium fere æquandum Pontificis decreto, & aliquâ etiam ratione superius, quod probi homines, & pacis studiosi, & quales Dominicani se probarunt, eorum in quos agunt, ne veritatem, & fidem indefensam, ex ignauia reputentur deserere, emendationem magis quam infamiam, & mortem velint. Et vbi in meliora consilia, siue clam, siue aperte, videntur se recepisse, ab illis insectandis abstinuerunt: maxime cum ea moderata animi significatio, Maiorum ad quos pertinet delata errata castigare, sanctionibus confirmatur.

Et cum conueniret, hanc Thomistarum humanitatem, nedum laudare, sed etiam imitari, miror rapi *in aggressionis nedum violentæ sed iniquæ Argumentum*: quasi illius æquitas per 40. annos latuerit in scrinio Pennæ, eo mortuo in lucem proditura, nec tacentibus nobis exstaret certior, & manifestior, accusati libri ab ipsis defensoribus castigati emendatio. Hæc vero correctio omni tuba vocalius, & altius Thomistarum modestiam, humanitatem, & æquitatem, ipsis etiam tacentibus inclamat. Relinquo quæ eodem Numero habentur, de Gazetario, & victoriarum præconiis omitto, eâdem qua multa ex superioribus de causâ, quod non putem saluâ grauitate posse refelli: imo hæc pauca omnino inuitus, & repugnante stomacho reposui.

Ex quatuor, quæ his 12. hallucinationibus adduntur,

Argumentum primum Numero 2. repetitur, à ſuſpicionibus Cardinalis Perronij, ne Hiſpani Dominicanis faueren̄t in odium Ieſuitarum, aut potius Henrici quarti, quod Præpoſitus generalis Societatis, & ſubinde alij omnes eiuſdem inſtituti, excepto Mendoza & Perſonio, aliiſque Anglorum paucis, his duobus obnoxiis, tum in Regem, tum in res gallicas ſtudium non mediocre præ ſe ferrent; non dicam huiuſmodi coniecturis ab ipſomet Cardinale vix habitam fidem: neque inde à nobis exigi, niſi vt meris ſuſpicionibus, quales frequentiſſimæ immigrant in zelotyporum animos: nam magis deperibat res gallicas Perronius, vt intelligas fuiſſe huiuſmodi cogitationibus opportunum, eaſque ex ſincero affectu profectas, noluiſſe Regi ignotas eſſe, cuius gratiam demereri poterant.

Sed ne videar nimium coniecturis indulgere, id velim reſcire, vnde huiuſmodi ſuſpicio in mentem Perronio venerit; nempe quod Hiſpani in Dominicanos eſſent propenſi: hunc vero Hiſpanorum in noſtros affectum, vnde potuit conijcere certius, quam ex iudicio Cenſorum, quorum eſſent plures Hiſpani, atque inter eos eminebat, non minus eruditione, quam Pontificia dignitate Rada, ſatis notus vindiciis Scoti in Caietanum. Hac tamen re, Thomiſtis omnino aſſentiebat: vt facile hinc agnoſcas Scotiſtam Celeberrimum, alias Thomiſtis infenſum, nomine totius Scholæ Subtilis, potius damnaſſe ſcientiam mediam, pluresque ex ſuo ordine repræſentaſſe, quàm quod fingitur Num. 11. da Regente Carmelitarum, & Procuratore Generali Sancti Auguſtini, eos inſtar multorum fuiſſe, & nomine ſuarum Familiarum eſſe locutos. Non magis certe, quàm cum Tartaria ex Ordine Carmelitarum diſcalceatorum, Molinæ quam Diuo Thomæ addictior, cenſendus eſſet ſuffragium dare totius ordinis ſenſu, à quo longiſſime, & ſolitarius ac ſingularis ſemper abijt.

Sed mira eſt Aduerſariorum ſolertia, in attollendis, & amplificandis rebus ſuis; alieniſque deprimendis. Vnus aut alter qui faueat, legio illis ſunt, & nomine ſuarum familiarum loquuntur. Cæteri qui pro Thomiſtis ſtant, vel ambigui, vel nulli ſunt. Atque eadem arte, ſuſpiciones Cardinalis Perronij trahuntur in Argumentum cer-

tum, doctrinam Iesuistarum à viro eruditissimo contrariæ esse prælatam. Rationem, quâ eiusmodi iudicium fulcitur, plane non capio his verbis subiunctam. *Probabile non esse, Perronium adeo peruersè interpretatum esse Hispanorum Consilia, vel adeo parum fauisse propriæ sententiæ, vt rationem status, & iniqua consilia suspicaretur, in ea causa protegenda, quam ipse solo veritatis amore, protectione sua dignam censeret.* Omitto assumi tamquam certum, quod probandum erat; Perronium sibi hanc scientiæ mediæ opinionem vindicasse vt propriam. Quâ ratione negari potest, illum nihil ex suspicione, vel ex momentis rerum status, scribere cum eius verba aliud nihil præferant, nisi dubia ab ipso Rege sapientissimo expendenda? Sed de Cardinali Perronio, alio loco recurret sermo. Hic certum est, explorabundum, & ambiguum loqui; neque quicquam statuere de his controuersiis: nec poterat, cum vni tantum, aut alteri, quo tempore hæc scribebat, Congregationi interfuisset.

Leuius est secundum, quod additur Argumentum, à studio Clementis, ad profligandam scientiam mediam: *Et cum processisset diuturna multorum annorum meditatio, nec aliud restaret, quod humana prudentia requireret, ad ferendam sententiam; non posse attribui, nisi occulta & infallibili directioni Spiritus veritatis, scientiam mediam non fuisse damnatam.* Hæc omnia eodem quo superiore loco reponenda sunt, idest, inter leuiores coniecturas. Vnde enim probatur, exhaustam litis materiam, Pontifice Clemente? Damnata, inquies, Censorum suffragio scientia media: quasi de illa tantum statuendum esset, nec supereſſent consectaria inde deducta, ad examen vocanda. Quam vero sit probabile omnia Clemente VIII. absoluta ad ferendam sententiam, demonstrant Congregationes habitæ sub Paulo V. nisi velis hunc Pontificem allaborasse tantum, iis retractandis, quæ eius decessor peccauerat.

Quod tertium adiungitur Argumentum, à Censorum authoritate, quam constat inferioris fuisse subsellij, à quo iusta esset appellatio; ita esse assentimur: neque vllum iudicium à nostris allatum est, quasi Ecclesiæ, Pontificis

Decretum, ſed quaſi ſententia virorum doctiſſimorum, quibus, viſum eſt Molinam non fuiſſe falſum; cum aſſeruit ſcientiam mediam, ab Auguſtino *nec explanatam nec datam*, & præter illius mentem & vſum adhiberi iis de gratiâ & libero arbitrio controuerſiis. Dicto Molinæ veritatem aſſeruerunt, damnato eius conſilio, quod ipſius defenſores erraſerunt. Quid vltra requirimus teſtes, aut coniecturis indulgemus? Cum vindices Molinæ aſſentiant, corrigendum eſſe, ac proinde non fuiſſe ferendum quod Dominicani in illo accuſabant.

Quod ibidem additur, à Recentioribus magnam nos inituros gratiam, ſi dicere voluiſſemus, ecquis fuerit vltimarum Seſſionum exitus ſub Paulo quinto; quaſi omnino alieno à mente Clementis. Hæc omnia nullo teſte, nullo argumento, nec fundamento ſcribuntur. Nullos comperi Thomiſtarum huiuſmodi rerum commentarios ſcripſiſſe; neque extraneorum præter Pennam, & le Boſſu; quorum copiam & vſum nobis ſubripuerunt: vt iis ſublatis tamquam certioribus, euulgent quidquid libuerit, rati ſe falſi non poſſe conuinci, & ideo antiqua diaria ſe mouerunt, noua ad arbitrium cuſuri.

Plura aſſeruntur quarto Argumento, nihil probatur. Dicitur Summus Pontifex motus Academiarum, Præſulum, & Principum interceſſione: hæc aut probanda erant, aut tacenda, ne hæretici nobis obijciant, inter ſe pugnantes Pontifices, quaſi Ethnicorum Deos, *dum Iupiter in Troiam pro Troia ſtabat Apollo.*

Nec certius eſt, aut magis ad rem, quod refert Petrus à ſancto Ioſepho ex dictis illius Authoris, quem fatetur Dominicanis apertè fauere, Domini le Boſſu. Nam vt probet Clementem VIII. male affectum in Molinam, eiuſque ſcientiam mediam ex ignorantiâ, narrat Carmelitanum, qui defenſionem ſcientiæ mediæ ſuſceperat interrogatum, quid per illam Deus præſciret? Reſpondiſſe præſcire bonum vſum liberi arbitrij, & tum ſubieciſſe Pontificem, iterum interrogando, aut quem gratia, aut quem natura erat factura? Et hanc reſponſionem hoc Argumento refutaſſe; ſi primum, eſt contrà Molinam; ſi ſecundum, eſt ſecundum Caſſianum.

Hæc diſceptatio Pontificis cum Carmelitano, demonſtrat illum in Auguſtini doctrinâ verſatiſſimum, men-

tem Molinæ Augustini aduersam percalluisse. Nam Augustino Pelagianum est, & erroneum, quidquid à Deo conditionate vel absolute præscitur, vsu liberi arbitrij, ab ipsâ voluntate deriuatum, vt à primâ radice, gratiam suspensam determinante; quod sit ratio vocationis & prædestinationis. Atque ad illud tandem caput reuocatum sciebat totum Pelagianæ hæresis virus, neque ab illâ alienum fuisse Molinam, dum vsum sub gratiâ liberi arbitrij bonum excludit ab effectibus prædestinationis, quòd à creatâ libertate determinante gratiam, non à gratia determinante existat. Atque eò deducit sapientissimus Pontifex vim Argumenti. Si quæ seligunt Aduersarij, ex actis, quæ penes se solos habent, quasi suæ causæ commoda, illi aduersa sunt; quid putas futurum de iis, quæ tanto studio occultant, vt suis opinionibus fidem aliquam concilient?

Nec validius est quod additur Num. 22. nihil commotum Paulum V. Censorum suffragiis, inclinasse in scientiam mediam, quod Cardinali Perronio tradiderit legenda acta Concilij Tridentini, quæ ad has quæstiones spectabant: quasi Pontifex post disputationes omnes anceps adhuc & pronus esset: *Ad sequendum Petronij iudicium, quem probè nosset ingenio esse sagacissimo, & supra comparationem eruditissimo, quo nemo vnquam subtilius tum SS Patrum sensa, tum Caluinismi fibras dispunxit.*

Hæc omnia, ne quid aliud dicam suspicionibus accensenda sunt, quæ nullam prorsus fidem faciant. Quid enim incredibilius, quam Pontificem, vnius hominis quamlibet docti iudicium, & labores vnius mensis, præsulisse, tot virorum eruditissimorum, tot annorum lucubrationibus, vt vno verbo dissentiat, quæ infinitis concertationibus fuerant constituta: hæc sane magis somnium resipiunt, quam, quæ hoc nomine irridetur subscriptio Pontificis, tamquam priuati Doctoris, in condemnationem scientiæ mediæ; cum extet ingens scriptum de his controuersiis, à Pontifice elaboratum verbis Augustini, à Molina vbique dissentiens, & Thomistarum doctrinæ consentaneum. Si ista minus exacte expensa conqueratur huiusmodi rerum auidus Lector, in causa sunt Aduersarij, qui Diaria Congregationum, aut abstulerunt

omnino, aut inhiberi curarunt. Probarem hanc sollicitudinem, nisi suspicarer istis præludi ad nouam historiam, ex domestica traditione, & fide, exclusis testimoniis extraneorum instituendam.

PARAGRAPHVS NONVS.

Defenduntur tria Argumenta Ioan. à S. Thom. de mente Augustini.

AD idem caput, quod late hoc Arti. prosecuti sumus de sensu Augustini, reuocantur tria Argumenta à posteriori, quæ vrget Ioan. à S. Thom. Disp. 20. Art. 4. quibus ad compendium redactis Disp. 4. Num. 73. late respondetur à Numero 74. vsque ad Num. 90. Supersedere poteram ab examine horum Argumentorum & solutionum quæ adhibentur: quia nihil noui affertur, quod non fuerit refutatum. Verum ne quid videar omittere, quod ad indagandam, & Scholæ nostræ vindicandam mentem Augustini, conferat, paucis Argumenta Ioan. à S. Thom. & responsionum præcipua capita perstringam.

Argumentorum à posteriori hæc vis est, & forma: si beneficio scientiæ mediæ peragatur salus nostra, & illius initium, ac perseuerantiæ donum, ac subinde arcanum prædestinationis ex Massilienſibus administretur; sequitur quidquid ex illis referunt suis liberis Prosper, & Hilarius, & quidquid duobus ad illas Epistolis refellit Augustinus, Catholicum esse, ac proinde nihil probare eius Argumenta; quod salua tantorum Doctorum reuerentiâ dici nequit: Atqui quæcumque Massilienses docent de tribus donis, fidei, perseuerantiæ, & prædestinationis peraguntur duce scientiâ mediâ: Ergo erronea & falsa sunt, vel Augustinus vanus est, & parum Catholicus in illis refellendis.

Ad hoc Argumentum duplex adhibetur Responsio. 1. Num 80. videtur concedi, quod concluſimus nostro Argumento, Catholica esse, quæcumque beneficio scientiæ mediæ, sub gratiæ Dei adiutorio conferuntur dona, fidei, perseuerantiæ, &c. & de antiquis Patribus, non de

Semipelagianis interpretanda esse hæc Prosperi verba: *Illud etiam qualiter diluatur quæsumus insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur, & vna sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt: vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Ex quo loco alibi præclusimus secundam responsionem, in hoc positum errorem Massilienſium, quod eam admiserint præscientiam, qua Deo repræsentaretur humanum aliquod bonum, naturæ viribus, & secluso speciali auxilio comparatum, quo ille ad dandam gratiam moueri posset, ad modum causæ efficientis moralis, meritoriæ scilicet aliqua ratione, vel impetratoriæ: Nam Prosper refert, quæcumque merita ad salutem conferunt, ex communi sententiâ, sub ipso gratiæ adiutorio comparari.

Sed hîc appellatur fides Ioan. à S. Thoma, quod dictum putet de Semipelagianis, quæ Prosper Catholicis Scriptoribus attribuit. Sed ipsa Reprehensio Ioānis à S. Thoma, digna est grauiori reprehēsione: nam Massilienses hoc maximè nomine August. arguebant, quod in his de gratiâ & libero arbitrio controuersiis, Antiquorum Patrum vestigia deseruisset, quibus ipsi mordicus adhærerent: ac proinde, parem illam vnam sententiam, qua prædestinatio Dei secundum præscientiam recipitur, sibi ex Patribus vindicatam iactasse, & aduersam Augustino qui nedum ab illis Patribus, sed etiam à se ipso dissentiret: Ergo si Catholica est prædestinatio, quam defendunt secundum præscientiam, recepta, perperam ab Augustino exagitatur vt hæretica: & suspectus hæresis potius est ipse, quam Aduersarij antiquæ fidei defensores, & nouitatis Augustinianæ insectatores.

Sed huic Responsioni parum tutæ, & Augustino iniuriæ, addunt alteram; esto Semipelagiani fuerint, qui sic sentiebant, interpretanda esse illorum verba, de præscientiâ absolutâ, non conditionatâ, quâ præsciebat Deus, in quâ sub gratiæ adiutorio futurus esset electus voluntate. Sed cum idem sit omnino tenor verborum, de Patri-

bus Antiquis, & de Recentioribus Semipelagianis; mirum est, sub iisdem verbis latere fidem Catholicam, & hæresim Pelagianam.

Atque hinc refellitur altera responsio iam insinuata, Semipelagianos negasse gratiam ad initium fidei, & perseuerantiam necessariam. Sed nos contra, inuictis ipsorum, & Augustini testimoniis demonstrauimus, congeriem omnium gratiarum adhibuisse ad perseuerantiam: neque ad hoc donum comparandum, solum fidei initium, sed etiam illius incrementum, & omnis generis bonorum operum vitæ Christianæ, & ad illa gratias omnino exigebant: Ergo gratis asseritur, ne quid aliud dicam, Massilienses excluisse auxilia gratiæ, à donis fidei, & perseuerantiæ.

Atque hinc conuellitur altera responsio generalis, quâ negatur Minor nostri Argumenti; Massilienses abusos quidem fuisse scientiâ mediâ, quoad merita paruulorum, abstinuisse tamen ab illius legitimo vsu de adultorum electione ad gratiam, & gloriam. Si causam solutionis requiras, hanc vnam lego Num. 74. non esse censendos Pelagianos, in eo errauisse; in quo ipsi Recentiores verum sentiunt. Bene est, quod hunc errorem fateantur se cogi illis impingere, vt à suo consortio procul amoueant, alias ipsis quoad omnia concordes futuros. Sed nos minus Aduersariis fidem habemus, quam Prospero de Semipelagianis scribenti, *vna penès omnes & par est sententia*, Sanctos Patres vt putabant secutos recepisse prædestinationem secundum præscientiam qua subiiceretur aliquid diuino conspectui, quo fierent digni Dei vocatione & prædestinatione. Atque hoc non solum illis attribuit Prosper, sed ex illorum præscientia consequi demonstrat lib. contra collatorem cap. 8. *Neque enim*, inquit, *nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia*, quibus prudenter addit Ioan. à S. Thom. si Cassian. poneret expressè merita ante gratiam non opus esset per illationes illud Sanctum Prosperum indagare. Sed durissimâ necessitate nos premunt Aduersarij vt Catholici præ Augustino habendi sint nobis Pelagiani, si scientiâ mediâ suas opiniones fulciant, vel mortalium stupidissimi quamuis eruditione, eloquentiâ & ingenio pares & forte superiores sint omnibus hæreticis

& moribus magis incorrupti. Hanc vero scientiam mediam ad omnia sua dogmata pluribus Argumentis euicimus adhibuisse, & cùm sit totius disputationis cardo quod dicitur assumere Ioan. à S. Thom. non probare, superioribus Argumentis, hæc noua addo vel priora instauro nouâ formâ, & vi maiori additâ.

Primo est prorsus incredibile Massilienses, qui nonnullorum salutem à scientiâ mediâ inchoant, & eâ solâ duce absoluunt (vt de paruulis & adultis immaturâ morte raptis diximus) à reliquorum hominum salute submouisse quasi inutilem, quæ sola plures ad gloriam prouehit vt paruulos, atque adultos ad Betaorum sortem perduxit meritis conditionatè præuisis, quæ comparassent adultâ ætate, ad quam nunquam essent peruenturi.

Inde desumimus secundum Argumentum: si hæc futura conditionata de meritis comparandis admittunt Massilienses scita à Deo; concedent eiusdem generis futura de hominum possibilium peccatis aut meritis: quæ cum manifeste priora sint absolutis, nisi cæcos & stolidos esse velimus, credendi sunt de his, qui saluantur, præmisisse conditionatam scientiam ad absolutam, maxime cum ignorare non possent scientiam conditionatam ad absolutam comparari vt priorem, & ad libertatem Dei, spectare vt istâ semotâ illa stare possit: neque conditionata abeant in absoluta nisi Deo ita decernente, vt ea infinitis hominibus quos præuidit sub gratiæ adiutorio consensuros aut dissensuros, si in illâ rerum serie constitueret libere, voluerit saluos aut permiserit damnari, ad statum absolute futurum transire, aliis in statu conditionato relictis.

Omissis pluribus quæ ad rem conferunt, iterum impugno, quod additur, Semipelagianos abusos fuisse scientiâ absolutâ ante vllum præscitum conditionatum. Ex historia Pelagianæ hæresis colligimus, illos communi consensu præmittere ad omnem actum voluntatis creatæ, voluntatem Dei generalem salutis omnium hominum quæ absoluta sit, & efficax quoad media necessaria ad salutem, & conditionata, atque inefficax, quoad vsum huiusmodi mediorum, cuius præuisione eadem voluntas generalis transeat in absolutam, & efficacem, quoad omnes qui præsciuntur his mediis bene vsuri, & se ab aliis discernere, dignosque facere vt ad alios gradus prouehantur

hantur etiam non aduocatâ aut attentâ scientiâ mediâ : quâ ratione Lessius explicat negotium prædestinationis : quâ vero re dissentiat à Semipelagianis non video : & si consentiant, quî fieri potest vt Catholicus sit Lessius bene vsus scientiâ absolutâ, semotâ conditionatâ, & hæretici sint Semipelagiani, eodem huius scientiæ vsu ?

Dices hoc distare à Lessio quod præuisum absolute initium fidei velint esse ex viribus naturæ, nullomodo à gratiâ præuentæ : neque tantum esse causam finalem, sed etiam meritoriam collationis gratiæ. Sed hoc discrimen fictitium est : quia hunc vsum voluntatis repetunt, sicut Lessius à gratiâ generali salutis omnium hominum quos Deus instruit mediis sufficientibus, eorumque vsu à cuiusque voluntate fit meritum seu gradus, non tam ad ipsam gratiam prius collatam, sed ad nouam nempe ad fidei incrementum, ad perseuerantiam, aliaque bona opera, quorum ille bonus vsus sit causa non solum finalis, sed etiam efficiens meritoria, & impetratoria. Ergo nihil differunt Massilienses à Lessio, ac proinde iniqua est sententia, quæ in eadem causa Augustinum, & Lessium Catholicos, Massilienses hæreticos pronunciat, ab vsu scientiæ absolutæ non aliâ ratione adhibitæ, quàm à Lessio, & vt supponitur etiam ab Augustino.

Eodem Argumento refellitur responsio Numeri 74. ex distinctione causæ finalis, & meritoriæ : vtrumque enim genus exercet præuisus absolutè bonus vsus ; primum quidem comparatus ad gratiam, à quâ profluit, cuius nihil prohibet esse causam finalem, sicut sunt operationes potentiarum, à quibus eliciuntur ; nam ex communi effato potentiæ instituuntur propter operationes. Vicem autem causæ meritoriæ habet actus collatus ad incrementum fidei, & perseuerantiæ. Quare idem videtur esse sensus Massilienſium, & aliquot Recentiorum, & si sit Catholicus, & tamen ab Augustino valide impugnetur, quâ ratione hæresis notam effugerit Augustinus, doceri velim.

Neque enim verum est, quod additur Numero 75. Argumenta D. Augustini eò omnia spectare, vt obtineret necessariam esse gratiam, quâ fidei primordia præuenirentur : atque ita vapulare apud Catholicos Massilienses omnibus modis, quibus probatur gratiæ necessitas, à quâ

finguntur asserere initium salutis omnino independens. At non magis negabant Massilienses, quàm Recentiores omne initium salutis à voluntate creatâ profectum, præueniri voluntate generali Dei, saluandi omnes homines, non otiosâ, sed collatrice mediorum, quæ ad inchoandam salutem sufficerent, ex quorum bono vsu, quisque sibi gradum faceret ad gratiam incrementi fidei, & perseuerantiæ. Neque sic dispositâ serie gratiarum, in illud principium impingunt, principium meriti non cadere sub merito: Neque enim meritum præuisi absolutè consensus, comparandum est ad gratiam à quâ profluxit vt à principio: sed ad gratiam quæ sequentium actuum sit causa. Nihil opus est expendere quæ Numero 76. habentur; cum sint consectaria superiorum, quæ iam refutata sunt.

PARAGRAPHVS DECIMVS.

Defenditur Argumentum Ioannis à Sancto Thoma de Dono Perseuerantiæ.

HINC etiam defenditur aliud Argumentum Ioannis à S. Thom. de Dono Perseuerantiæ, cuius vim sic explico. De huiusmodi dono tres sententiæ omnino esse possunt. Prima illud absoluit ab omni influxu gratiæ: & hanc immeritò Massilienſibus attribui demonstratum est. Secunda opinio, deriuat perseuerantiam ab auxilio possibilitatis, ex cuius bono vsu præuiso, conditionatè aut absolutè decernit Deus illud conferre, siue bonus vsus sit ratio, quæ ad id mouet, siue conditio sine quâ non conferretur. Tertia sententia deducit donum perseuerantiæ ab auxilio *quo* actionis, vnde infallibiliter emanat; & qui illud accipit, non potest non perseuerare, etiam si nulla præcesserit præuisio boni vsus, seu conditionata, seu absoluta, nec attendatur huiusmodi vsus vt ratio vel conditio ad perseuerandum.

His ita explicatis; certum est Massilienses primæ sententiæ non adhæsisse, & abhorruisse ab extremâ, vt ab Augustino inuentâ, contrà cæterorum Patrum mentem: Ergo secundam & mediam opinionem secuti sunt, & si

Catholica sit, extrema verò sit hæretica, quo loco habebimus Augustinum, qui postremæ adhæsit, duabus superioribus damnatis, quod donum perseuerantiæ repeterent ex bono vsu, vel semoto omni auxilio, vel sub adiutorio gratiæ à voluntate creatâ, vt à primâ radice profecto? Atque hoc sensu interpretanda sunt verba, quæ ex Massilienſibus refert Augustinus de Dono Perseuerantiæ cap. 17. *Tamquam fidem habere, & in ea vsque ad finem perseuerare, non à Deo accipiamus, nostrum esse contendunt:* Non quòd reuerâ nullâ præuenti gratiâ credamus, & perseueremus; sed quòd vtrumque habeamus à nobis sub adiutorio Dei, nostrâ voluntate determinato potiùs, quàm determinante voluntatem, vt non nisi perseuerantes simus.

Idem est verborum Hilarij sensus, referentis opinionem Massilienſium, reuocantium perseuerantiam, non ad efficaciam gratiæ Dei, sed ad præuisionem vsus gratiæ, ex nostrâ voluntate gratiam applicante. Quod verò additur interpretandum esse Augustinum, cum ait *donum perseuerantiæ perdi non posse*, de consequenti necessitate, quæ aliquo modo pendeat ex suppositione liberæ determinationis, quæ præuisa sit absolutè, vel conditionatè; idque conuinci decreto Tridentini, & totius Ecclesiæ sensu, de resistibilitate liberi arbitrij aduersus efficaciam gratiæ; iam suprà occupatum est, ex Thomæ Lemos responsione, ad eandem Vastidæ obiectionem, & infrà plura addemus. Interim cum de mente Augustini, haud dubiè consentaneè Concilio Tridentino disputemus, & certissimum sit dissentire à Massilienſium opinione, inter duas extremas mediâ, vel Augustinus damnandus est hæresis, vel ea secunda opinio non est sensus totius Ecclesiæ. Neque enim licet confugere ad primam opinionem, vt proprium errorem Massilienſium: cum nihil magis sit à vero alienum, & à mente Massilienſium, illos excludere à perseuerantiâ omne genus gratiæ quâ nostra voluntas præueniatur: & cum hac accusatione falsâ nitatur solutio omnium Argumentorum, eâ conuulsâ, superfluum est expendere quæ Num. 78. & 79. de Dono Perseuerantiæ disseruntur.

Non dissimili Distinctione & Argumentatione defenditur valide aliud incommodum, quod ex scientiâ mediâ

deducit Ioann. à S. Thoma de prædestinatione; de quâ totidem dari possunt, quot de perseuerantia opiniones, eodemque sensu distinximus; vt prima statuat prædestinationem fieri ex præuiso solis naturæ viribus bono vsu voluntatis; altera ex actibus bonis, sub gratiæ Dei adiutorio præscitis, siue sint motiuum, & causa, quâ fit prædestinatio, siue conditio, sine quâ fieri nequeat, saluâ decretorum certitudine, & nostrâ libertate: tertia denique, seclusis duabus opinionibus, prædestinationem defendat, ante præuisa quæcumque merita, vel rationem, aut conditionem præuiam vllam.

Certum est, Massilienses nec primæ, nec postremæ, sed mediæ, & secundæ adhæsisse, & Augustinum illis aduersatum esse: Ergo tertiam secutus, est cui, cum scientia media repugnet, manifestum est quod contendit Ioann. à S. Thoma scientiam mediam viam aperire ad prædestinationem Augustino improbatam; quia ad minus aduocatur vt Deo prædestinanti subijciat bonum vsum nostræ voluntatis, quo fiat vt causâ, aut conditione, sine quâ fieri nequit: essent probandæ huius, & superioris Argumentationis partes singulæ, nisi omni Argumento validiorem haberemus Molinæ confessionem, qui prima Disputatione in Art. 4. Quæst. 23. primæ partis nos verbis expressis docet, quæcumque assumpsimus distinctionum membra, de futuri conditionati præscientiâ sine quâ fieri ait non posse prædestinationem, ac proinde sine futuro huiusmodi conditionato, à quo præscientia hauritur. Licet videatur negare assumi vt causam aut rationem prædestinationis; hoc tamen ipso concedit eiusdem disputatio. Membro 10. de Christi, & Deiparæ prædestinatione his verbis: *Verisimile esse quod eas animas Christi, & Virginis, præuiderit Deus meliùs, quàm cæteras, pro sua innata libertate, vsuras sua libero arbitrio; eaque ratione, in tantam dignitatem potiùs, quàm cæteras fuisse electas.*

De Augustino tria asserit, & ex illo refert, ac refellit Ioannes à sancto Thoma. Primo, quod præscientiam illam, vel futurum conditionatum voluntatis creatæ bonum vsum, ad prædestinationem nullo modo aduocauerit, neque vt rationem, neque vt conditionem sine quâ fieri nequeat; vnde ait nata Semipelagianorum scandala Epi-

ſtolis SS. Hilarij, & Proſperi ad D. Auguſt. quòd ſcilicet non addiderit fuiſſe, non ſine præſcientia, quod pro creati arbitrij libertate eſſet futurum ex hypotheſi, quod in illo rerum ordine collocaretur, habitáque conſideratione vſus talis futuri, licet pro qualitate illius dona gratiæ prædeſtinationis non conferrentur, *multum eo tempore aliquos ex fidelibus turbauit, cuius turbationis meminit Proſper, & Hilarius.* Et Proſper petiit ab eodē doceri, quomodo diluatur id quod Semipelagiani dicebant, propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam dari.

Obſeruat ſecundo Ioannes à ſancto Thoma, & miratur Molinam verbis ſuperioribus addere, *quod ſi Auguſt. & Thomas conſulerentur de hac re, reſponderent, non fuiſſe prædeſtinationem, & reprobationem, ſine hac prauiſa ſcientia, habitaque conſideratione liberi arbitrij, tametſi non vt pro qualitate illius dona gratiæ, & prædeſtinat. ab eo conferrentur.* Et hoc ſecundo aſſerto, merito ait Ioannes à ſancto Thoma, Molinam ſui immemorem cœſpitaſſe, cum ait, ſi de illa præſcientia fuiſſet conſultus, eum non negaturum; cum tamen ipſemet verbis relatis agnoſcat, inter alia explananda ab Auguſtino, Proſperum eſſlagitaſſe, an danda eſſet prædeſtinatio ſecundum præſcientiam, nempe conditionatam, de quâ ipſemet interpretatur quæſtionem à Proſpero propoſitam Auguſtino.

Sed tertiam quod ſuperioribus addit Molina, illique obijcit Ioannes à ſancto Thoma, omnem ſuperat ſtuporem: *Non tamen aduertiſſe Auguſtinum ad hanc præſcientiam, & quantum conduceret ad auferendam illam duritiam*, quod nullo habito reſpectu ad vſum liberi arbitrij, etiam ſub conditione futuræ, Deus quoſdam elegerit, alios reliquerit: *Et interim dum ſub eâ caligine Diuus Auguſt. ad hoc non attendit, de ſolis prædeſtinatis intellexit illum locum D. Pauli, qui vult omnes homines ſaluos fieri.* Miratur & merito ſane Ioannes à S. Thoma, auſum ſcribere Molinam *Auguſt. in his controuerſiis ſub caligine poſitum*, quem 20. Summi Pontifices iubent ſequi, vt Magiſtrum totius Eccleſiæ tutiſſimum, & vt ſydus fulgentiſſimum.

Hæc omnia deprompſerat Ioannes à ſancto Thoma, ex,

Molina, quibus intricatum ita putabat, vt negaret se expedire posse. Eius definitionem videntur Recentiores in speciem abijcere, nec reducendam putant communem doctrinam ad peculiares eius sensus, si quos habet, quamquam hoc loco minimè dubitent, *eum ingenii atque eruditionis hominem, ex his cassibus auolaturum facile, nec cespitaturum in planum.* Sed cum Ioann. à S. Thom. tribus Molinæ assertis addiderit argumentum ad hominem à prædestinatione Christi, & Deiparæ; quæ sit exemplar nostræ, facta ex præuiso illorum bonæ voluntatis vsu tanquam ratione & motiuo electionis in tanta n dignitatem præ cæteris electis: mirum est, has omnes obiectiones dissimulatas, aut prætermissas omnino, cùm tamen essent dissoluendæ, & expediendæ, ne ex quibus implicabatur cassibus, auolaret facile, nec cespitaret in planum: neque enim planum iter est quod habet tot prærupta, & præcipita.

His omnibus tacitis, & omissis difficultatibus, Argumentum Ioann. à sancto Thoma contrà Molinam, ad hoc caput reuocatur; an salua fide possit defendi prædestinatio ex præuisis meritis, ad quam scientia media sternat quidem viam, vt conditio sine quâ fieri non possit, non tamen necessariam, cum ea sententia connexionem habeat, nisi vt efficiat possibilem.

Sed dissimulantur Argumenta Ioannis à S. Thoma, non dissoluuntur. Et voluissem aliquid responderi ad exemplum prædestinationis Christi & Deiparæ, quam Molina non solum fieri posse, sed verisimilius factam credit, ex præuiso illorum voluntatis bono vsu, non solum vt conditione, sed etiam vt motiuo electionis præ aliis ad dignitatem Filij, & Matris Dei. Non fuerat etiam dissimulandum simile Argumentum nostri Authoris, ex præuiso illo conditionatè bono vsu aliis electis, gratiam conferri, & prædestinari gloriam ex mensurâ bonorum actuum, conditionatè præuisorum; vnde concludit sibi contradicere Molinam, ac proinde cassibus inuolui, à quibus facile non auolet, dum negat pro qualitate illius scientiæ, seu præsciti boni vsus, dona gratiæ, & prædestinationis conferri.

Non satis fuerat ad appellandam bonam fidem, has quinque difficultates, quibus dixerat Ioannes à S. Thom. valde intricatum Molinam, silentio præterijsse; sed quod

peius est, detorquentur in alienum ab Authore sensum. Neque enim in Antiquorum Patrum sententiis cespitasse ait visum Molinam, in quibus ipse possit lapsus videri, sed quod quæsitum Augustinum de præscientia ante decretum prædestinationis, approbaturum dixerit, cum tamen inducat eodem loci à Prospero interrogatum de eâdem præscientiâ, seu ex mente Antiquorum Patrum, seu Pelagianorum; nec tamen visus sit vllo verbo huiusmodi præscientiam probasse, aut ad prædestinationem adhibuisse. Quare si lapsus sit hâc in re Ioannes à Sancto Thoma, Augustinum erroris sui ducem habet, & comitem.

Neque sincerius est, quod habetur Numero 82 solutione argumentationis, quæ immeritò confusa dicitur. Neque enim ita desipit Ioannes à Sancto Thoma; vt id sentiat, quod illi obijcitur, quasi velit, scientiam mediam necessariam habere connexionem cum prædestinatione ex præuisis meritis; nec possit abstinere Deus à prædestinando homine, cuius aliqua præuiderit futura conditionate merita: quia probè nouit liberrimam Dei voluntatem in largiendis quibuscumque, præsertim gratiæ bonis, nulli naturæ creatæ debitis: sed asserit, quod maximi est momenti in hâc cum Pelagianis de prædestinatione Augustini controuersiâ; scientiam mediam viam aperire ad prædestinationem, cuius initium repetatur à voluntate creatâ, & præcludere ad prædestinationem gratuitam, certam non solùm ordine præscientiæ, sed etiam causalitatis à voluntate diuinâ, vt à prima radice deriuatæ, quam censet ad dogmata fidei pertinere, & alteram Pelagianam esse & erroneam. Non quæro vtrum hæc prædestinatio, quæ scientiam mediam aduocat, & nititur actu voluntatis creatæ præuiso, defendi hodie possit; sed vtrum tanta sit mutatio rerum, & temporum, vt quæ Catholica fuit Augustino prædestinatio, semotâ aut non consultâ scientiâ mediâ, sit hæresis suspecta aut comperta, & de re Catholicâ optime meriti sint, qui prædestinationem conditionatâ meritorum præscientiâ, hoc est scientiâ mediâ posteriorem proposuerint.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Refelluntur obiectiones ad superius Argumentum.

SVMMA Responsionum ad Argumenta nostra, quantum colligere licuit, hæc est: futurum voluntatis creatæ bonum vsum scientiâ mediâ subiectum diuino conspectui, id tantùm conferre, vt possibilis sit certa prædestinatio ad gratiam, aut gloriam, illæsa libertate, ante vel post præuisa merita, vt res se habuerit iuxta diuersas Theologorum opiniones. Sed vt pauca è multis quæ contra hãc solutionem occurrunt attingam; illud imprimis incommodum & absurdum videtur, ad meram possibilitatem prædestinationis à Deo sanciendæ, non esse satis causas possibiles, sed necessario requiri futuras, quæ sint diuersi ordinis à possibilitate: nam communis est lex, suis effectis causas respondere, vt possibilium sint possibiles: sed ab hac lege recedit solutio, quam impugnamus. Deinde cum id quod rei possibilitatem facit, debeat, dum in actum prodit, partes suas obire eodem gradu & ordine, quo possibilem constituit; quæro quo loco sit præuisus voluntatis creatæ vsus, quoad vtrumque possibilitatis, & actualis existentiæ statum: neque enim dubium est, quin eodem genere causalitatis rem ipsam ponat, quo possibilem facit.

Hæc vero consentio duorum statuum explicanda omnino erat: & cum certum sit, bonum vsum voluntatis sub gratiæ generalis adiutorio, habere vim merendi, & impetrandi apud Deum, si assumatur inter causas ad prædestinationem constituendam necessarias, non debere fraudari suâ virtute, ac proinde eodem erit apud Deum loco, quem illius bonitas exigit; atque ita latissima aperitur via ad prædestinationem Massilienſium, ex præuiso bono actu voluntatis, tamquam initio salutis; & præcluditur ad gratuitam, & Augustinianam, aut potius Apostolicam Pauli, repetiram ex vocante, non ex operibus. Et huc spectant quæ ex Prospero, & Augustino retulimus Argumenta, quibus Massilienses vrgent, si præuius sit aliquis bonus præscitus ad prædestinationem, & vocatio-

nem absolutam, & efficacem actus fore meritum ad illam: Ergo scientia media, quæ huiusmodi actus Deo subiicit, prædestinationem gratuitam Augustini euertit, eiusque Argumenta infringit, aut si valida sint, ipsa colliditur.

Præterea demus Aduersariis, quod assumunt, & nulla ratione probant, eos, actus sua bonitate, aut vi meritoriâ fraudari; non est dubium, quin valere velint, vt primam quasi radicem diuinæ præscientiæ, & rationem, quâ concilietur cum libertate creata, ac proinde Deum futura absoluta non tam præscire ex vi suæ prædestinationis, quod vbique prædicat Augustinus, sed ex illo præuiso conditionate: ex eodem enim principio repetenda est certitudo diuinæ prædestinationis, ex quo concordia diuinorum decretorum cum libertate creata; inde enim firmantur diuina decreta: Atqui certum est ex Aduersariis, hanc iniri concordiam vnius scientiæ mediæ beneficio: Ergo inde haurienda est tota certitudo diuinæ prædestinationis, cum decretum absolutum Dei, sit quasi secundum principium, & mediatum, quod totam vim suam mutuat ab altero, cui subordinatur: ac proinde non minus præposterè vrget Augustinus certam futurorum absolutorum præscientiam ex decreto absoluto, scientiâ mediâ, posteriori; quam si quis conclusionem ex duobus principiis subordinatis deductam, referat in secundum, & mediatum, prætermisso primo & immediato.

Confirmatur hæc, & superior ratio. Cum de scientiæ diuinæ, & cuiuscunque rei, principiis agitur, ea sunt assignanda, aliisque præponenda, quæ rei sciendæ, aut faciendæ difficultatem omnino euincunt; eaque superata, cætera prona sunt, & quasi necessario consequuntur; Atqui difficultas in cognoscendo electi cuiusque bono, aut reprobi malo fine, ita ex Aduersariis profligatur scientiâ mediâ, vt nulla superstit vincenda à scientiâ absolutâ, & ita complanat viam, vt nedum Deus, sed homo quamlibet stolidus, possit præscire perinde ac Deus, qualis sit futurus saluandorum, aut damnandorum exitus; quis enim non videat, si compertum sit, quid quisque hominum facturus sit, an consensurus, aut dissensurus, & bono, aut malo; vsu sub ipso gratiæ adiutorio se vita dignum, aut morte facturus, vnum fore absolute damnan-

dum, alterum fore saluandum, vbi accesserit decretum vtrique gratiam communem conferendi, quo præscitus ille bonus, aut malus vsus è conditionato, transeat in absolutum: Ergo si scientia media ad prædestinationem sit adhibenda, inepte ludit Augustinus, dum certitudinem, & rationem electionis repetit à decreto prædestinationis; cum illius ratio desumatur à præuiso gratiæ vsu conditionato, vt latere non possit, quid sit absolute futurum, vbi accesserit decretum absolutum gratiam conferendi.

Atque hinc elucet vis omnium Argument. Ioannis à S. Thoma, quibus probat scientiam mediam tollere à prædestinatione rationem specialis beneficij, & electionis illius meritum, & causam à nobis suppeditari, eandem esse prædestinationis, & reprobationis ex præscientiâ eodem gradu certitudinem. Euidentissimum enim est, vbi scientia media explorauit, quem oblatæ omnibus gratiæ, quisque facturus sit, bonum aut malum vsum, si re ipsa velit Deus huiusmodi gratiam generalem conferre; hoc ipso mutatâ scientiâ conditionatâ in absolutam, perinde prædestinationem ac reprobationem cognosci, nec difficiliorem esse illius, quam istius, nec diuersam cognoscendi, aut decernendi rationem. Vnde apertè consequitur, prædestinationem non esse speciale donum, nec ex electione Dei singulari, quod D. Thomas quæst. 6. de Veritate damnat hæresis, tamquam communi Patrum sententiæ repugnans: quia ex eodem fonte, eodemque progressu, à generali voluntate oritur, apposito bono, aut malo vsu, quo se quisque ab aliis discernat. Si quid enim singulare accedat, proficiscitur à voluntate creatâ, cui deinde adiungitur absolutum decretum dandi omnibus gratiam communem, quâ præscitum conditionate fuerit, electos bene, & male reprobos esse vsuros, cui præscientiæ decretum antè possibile fit actuale, vt impleat absolutè, quod fore certo præuisum erat ex innatâ libertate.

Hinc tandem inuictum euadit Argumentum, de causa prædestinationis ex bono vsu gratiæ communis conditionate, aut absolute præscito, prout intelligitur, hæc gratia communis proficisci à decreto possibili, aut actuali: tum enim perinde se habet Deus, ac Princeps, qui armis instruit militem strenuum, & Ducem peritum

præficit exercitui, quòd speret his armis eoque exercitu victoriam comparaturos.

Quandoquidem disputationis cursus nos deduxit ad hanc comparationem luculentam, quæ mirè has controuersias illustrat, non est omnino prætermittenda, aut obiter attingenda: nec dubito quin Massilienſium vota impleat, ac forte superet, & illorum concordiam cum Recentioribus, & ab Augustino dessensionem demonstret. Nam ex illo exemplo primum colligimus arma militi ad pugnam, & imperium duci in exercitum, quibus bene vsuri præuidentur, aut sperantur, auxilia esse ad victoriam necessaria, quæ verbis Augustini appellanda sint auxilia, sine quibus comparari nequeat victoria, quibus instructi vinci possint: sed tamen si illorum fortitudo, & peritia attendatur, sperari magis possit fœlix belli exitus, quam infaustus timeri. Eiusdem generis esse contendunt Massilienses, quæcunque genera auxiliorum, quibus humana præuenitur voluntas, vt dant tantum posse, non velle, aut vincere, sed hoc habeant à flexu voluntatis, & ab vsu, ad quem admouent gratiam ex innatâ libertate. Si hoc concedas Pelagianis, & si amoueas omne auxilium quo ex se efficax; perpetuam cum Augustino inibunt pacem, de necessitate cuiuscunque gratiæ: dummodo communis sit & vsum habeat à voluntate.

Hoc etiam Pelagianorum causa superior est illo Regis exemplo; quod cum dubij sint bellorum euentus, sperare quidem possit, & probabiliter etiam præscire victoriam ex imperio Ducis in exercitum, & ex armis militi collatis, non tamen certo secuturam: nam si omnino comperta esset, quis dubitat, quin efficacius Regem moueret ad danda militi arma, & conferendum Duci exercitus imperium: si non solum sperata esset, sed etiam certo præuisa victoria, electionis aut liberalitatis Regiæ, quis neget occasionem esse, vel causam? Neque enim de verbis litigandum est, cum de re ipsa constet, Regem maxime moueri peritiâ & fortitudine Ducis, ad illi credendum exercitum, quem scit bene vsurum ad victoriam. Certe nihil aliud contendebant Massilienses, quàm vt præuisus conditionate, vel absolute bonus gratiæ communis vsus, perinde Deum ad eiusdem vel alterius gratiæ, & gloriæ collationem impelleret, sicut sperata victoria ex peritia

Ducis obtinet à Rege, vt summo imperio exercitus præficiatur. Atque hoc nomine poterat placere maxime Massilienſibus Regis exemplum, quod vellent ab innatâ libertate repetendum eſſe bonum vſum collatæ gratiæ, ſicut à peritiâ Ducis recte adminiſtratum exercitus imperium ad reportandam victoriam.

Diſputationem de mente Auguſtini cum Aduerſariis fuſius proſecutus, hac admonitione claudo, non eſſe cenſendam & violentam, neque iniquam Dominicanorum aggreſſionem in Molinam, cum defendi non potuerit ab acerrimo vindice, niſi diſſimulatis obiectionibus quinque Ioannis à S. Thom. nec validius depulſis aliis Argumentationibus quas hactenus pro virili propugnauimus.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vindicatur Scholæ noſtræ Auguſtinus aduerſus Ianſenium.

HACTENVS pro ſalute pugnatum eſt contra Recentiores: ſupereſt aliud minus periculoſum pro gloria certamen cum Ianſenio. Hunc Authorem primâ iſtius partis Diſputatione quaſi bicipitem diximus, & veluti dimidiatum Molinæ, & Diui Thomæ aſſeclam; & illi quoad ſtatum innocentiæ adhærere, omnia illius ordinis, nempe operationes primi hominis ſtantis & ſani, Angelorum gratiam, & prædeſtinationem, velle à Deo ſciri, & regi auxiliis ſufficientibus, nullo efficaci, & ſolâ ſcientiâ mediâ exploratrice, quam in totum excludat à redemptorum hominum ſalute, cui ſola gratia medicinalis, efficax dominetur, vix admiſsâ vllâ ſufficiente: Idque principiis Auguſtini adeo connexum putat, vt cùm dubitare non poſſet D. Thomam ſecus ſentire, & in vtrumque naturæ tum ſanæ, tum corruptæ, regimen inducere eamdem prædeſtinationem ante præuiſa merita gratuitam, & gratiam per ſe efficacem; ipſemet, vel aliqui illius Diſcipuli audeant pronuntiare D. Auguſtini mentem ita incompertam & inexploratam D. Thomæ, vt ſibi perſuadeant ab illo in totum diſſentire, neque illi lectum vnquam niſi in Gratiano, aliiſque Theologis Anti-

quis, ipsi magis familiaribus quàm D. Augustinus & S. PP. Licet nullum legerim qui id scripserit, tamen inualuisse videtur apud ipsos hæc opinio, quam breui refellendam suscipio, vt Angelicum præceptorem vindicem ab hac graui inscitiæ & negligentiæ nota. Nec causam difficilem ago paradoxum per se incredibile refello. Quis enim sibi persuadeat Discipulorum Augustini nobilissimum, & acerrimum, ita in Augustino versatum D. Thomam, eiusque doctrina tinctum, & imbutum, vt ipsemet aliquo loco contractum Augustinum appellet (nempe quod more Dialecticæ, quam manu contractâ adumbrabant Antiqui, disputare soleat, & Augustinum eloquentiæ & Rhetoricæ manu porrectâ significatæ, viribus latè differentem ad Scholæ methodum accommodarit;) nunquam nisi in alienis operibus attigisse, nec ipsum præceptorem adiuisse, vel audiuisse per se in suis libris loquentem?

Si præiudiciis rem expendi, & peragi placeret, innumera suppeterent, eáque grauissima, quæ commentum illud arguant præfractæ audaciæ, & sacrilegæ penè temeritatis. Non adhibebo Dominicanorum Discipulorum suffragia, qui Augustinum detriuerunt, Thomam Brandinum, Thomam Lemos, Petrum Herrera, aliosque plures, qui D. Thomam vnà cum sancto August. mente & voce loquentem inducunt vbique, & interpretantur; sed minus suspecti habebũtur extranei Guillielmus Estius, pari Patrum & Scholasticæ peritiâ celeberrimus, Leonardus Coquætius non minùs affectu, & studio, & Commentationibus in libros de Ciuitate eruditissimis, quàm professione Augustinianus. His duobus addo, nihil inferiorem eruditione & eloquentiâ, licet aliquâ parte suorum librorum Censuris Romanis notatum, sed hâc parte intactum Thomam Anglum. Hi omnes, pluresque alij concordes putant, & sequuntur Diuos Augustinum & Thomam, & eiusdem gratiæ, ac scientiæ salutem, ac prædestinationem Angelorum, beneficio, quo redemptorum libertatem, & gloriam administrare pro comperto habent, & suo testimonio calumniam non lecti à Thoma Augustini longè amoliuntur. Sed si suffragiis doctiorum omni exceptione maioribus fides pertinaciter abrogetur, fidem inuictis Argumentis conficiam.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Ex superioribus euincitur Concordia Diui Augustini & D. Thomæ, de scientia media excluſa à gratia primi hominis, & Angelorum.

HOc commodi habet, quam iniuimus, & hactenùs ſecuti ſumus, methodus, quod poſtrema prioribus, tam arctâ connexione nectat, vt vno intuitu extrema in mediis, hæc in extremis conſpiciantur; nec diuelli queant citrà totius doctrinæ Auguſtinianæ contextus apertam diſſolutionem, & ruinam. Quare ex totâ diſputatione ſic ad rem noſtram licet Argumentari. Gratia primi hominis & Angelorum, atque horum prædeſtinatio conſtituenda eſt ex mente Diui Auguſtini, conſentaneè ad principia, quæ poſuit de ſcientia Dei, vnde totius prouidentiæ & prædeſtinationis hominum, & Angelorum ratio repetenda eſt, & haurienda; Atqui certum eſt & iam pluribus Argumentis euictum, principia Auguſtini omnia, totamque eius doctrinæ ſeriem capitaliter aduerſari ſcientiæ mediæ à Recentioribus inuentæ, & ad opera gratiæ adhibitæ: Ergo Auguſtinus nullo ſtatu agnouit ſcientiam mediam aut eius vſum.

Ianſenius datâ primâ propoſitione videtur negare alteram. Memini me ipſum, neſcio quo loco, legere gloriantem, ſi opus fuerit infinitis Auguſtini teſtimoniis probare ſibi pronum, ſcientiam mediam illius principiis conſentire, & omnino eſſe præficiendam gratiæ naturæ ſtantis, & prædeſtinationi Angelorum: mallem id præſtitiſſet reipſâ, quam fuiſſe pollicitum: ſed fortè noluit hac in re Aduerſariis gratificari, eoſque aut labore leuare, quem ſibi ſuperfluum, illis neceſſarium putabat. Sed ſi eos hoc beneficio demeruiſſet, forſan ſenſiſſet ſibi minus infenſos. Quidquid ſit, difficillimè huius dicti fidem abſoluiſſet, & fortè eâ decausâ deterritus eſt à promiſſo implẽdo. Fateor quidem homini in Auguſtino verſatiſſimo, non defutura loca, & verba ex ipſius libris, quæ aliquam ſcientiæ mediæ & conditionatæ ſpeciem præferrent, qualia non deſunt Molinæ magis defenſoribus, quam Diſcipulis, ad

gratiam Christi medicinalem & redemptorum salutem & prædestinationem in hanc scientiam velut sui originem referendam. Verùm si in principia Sanctissimi Doctoris accuratiùs inquiramus, nulla occurrent, quæ scientiam mediam sensu Molinæ, ad vsum, in quem aduocat, non euertant.

Duo tantum attingam latè superiùs explicata: nihil apud Augustinum compertius, magisque inconcussum, quàm Deum creaturas in suâ essentiâ, vt causâ & medio cognito comprehendere: & res esse futuras, quia ab illo scitæ sunt, non sciri quia futuræ: Atqui hæc duo indubitata doctrinæ Augustinianæ principia conuellunt scientiam mediam: Ergo qnidquid ex illa vt exploratrice, & rectrice fit, in quocunque rerum ordine, ignotum est Augustino &, improbandum. Abstineo à prosequendis fusius his Argumentis, ne actum agam, & Lectori fastidium pariam, nullo fructu eruditionis, eadem pluries iteratâ disputatione; aliâ tamen formâ idem Argumentum instauro. Si Augustino probata fuit scientia media, illiusque vsum excluſit dumtaxat à curatione naturæ corruptæ, & admisit ad prædestinationem Angelorum regendam; velim mihi explicari, cui fundamento astruxerit; an supercomprehensioni causarum cum Molina; an legibus propositionum contradictoriarum de futuro contingenti, ex Suare, & Vasquez; an veritati ipsorum diuinæ menti, ex aliquo alio principio subiectæ, & conspicuæ? Neque enim credibile est, diligentissimum rerum diuinarum tractatorem, hâc scientiâ vsum fuisse, & ignorasse, aut tacuisse quâ ratione scirentur decreto excluso. Quid ad istud responsuri sint Ianseníj defensores, & Diui Thomæ Aduersarij planè non video: quare ne in incertum pugnare, & quasi aërem verberare videar, malo ad ista responsionem exspectare, quàm confingere & impugnare ab eorum mente alienas.

Eiusdem Argumenti vim aliâ formâ perstringo, & responsiones ad illud quæ verisimilius confingi possint, occupo. Series doctrinæ Augustini de gratiâ & prædestinatione hominum, & Angelorum, texi nequit, nisi constituamus cum D. Thoma eiusque Discipulis, scientiam mediam repugnare Augustino, vel statum naturæ puræ cum Iansenío; vnde ait depromendam, & quasi cudendam

clauim auream, quâ gratiæ, & prædestinationis arcana omnia reserentur: Atqui pauciora longè sunt, & obscuriora loca ex Augustino, quibus naturæ puræ quam quibus scientiæ mediæ de futuris conditionatis secluso decreto probetur repugnantia: Ergo ineunda est potius illa via ad mentem D. Augustini indagandam, strata & trita à D. Thoma, & eius Schola cum Estio & Coquætio, quam illa noua inita à Iansenio. Minoris quoad primam partem insinuata est multiplex probatio à duobus principiis apud Augustinum compertis, de rerum scientiâ in naturâ diuinâ vt in causâ, & de consecutione à priori rerum futurarum, quia sciuntur, non secus scitarum quia futuræ sunt.

Iis addo tertium: nunquam ab Augustino insinuatam futurarum rerum scientiam à decreto diuino disiunctam & illi non affectam. Quoad alteram partem Minoris à Iansenio defensam, de repugnantia naturæ puræ: præter ea quæ dicturi sumus, Paragrapho huius Atticuli singulari, hoc præiudicio in antecessum Iansenij vnicum fundamentum impugno. Nisi, inquit, Augustinus probaret naturam puram repugnare, vbique suis contra Pelagianos disputationibus luderet, principium peteret, Thesim pro Argumento subiiceret, poneret pro confesso, & concesso, quod Aduersarij pertinacissimè negabant, quod probandum incumbebat Augustino, nec vnquam probauit. Ne igitur tot vitiis suspicemur libros Augustini laborare, fatendum est omninò, negasse statum naturæ puræ possibilem, idque Argumentis euicisse. Inde vero Iansenius longa deductione, & à satis remoto principio deprompta constituit discrimen gratiæ homini lapso, & homini & Angelo stanti necessariæ, quod illam efficacem esse oportuerit dominari libero arbitrio, istam subiici voluntati, & ab illâ in quam placuerit partem deflecti.

Ad hoc Argumentum, quo continetur causa Iansenij contra D. Thomam, Respondeo sanctum Augustinum, suis aduersus Pelagianos libris, non egisse Philosophum, sed Theologum; eumque non Scholasticum, sed vt vocant, Positiuum, cui turpe sit sine lege loqui, sine Scriptura arguere, nec disputationes reuocasse ad subtilitates Scholæ, ad apices Metaphysicæ; sed ad solida Scripturæ fundamenta. Nec assumpsisse probandam repugnantiam

naturæ

naturæ puræ argumentationibus, neſcio quibus, à conuenientiâ rerum, magis quàm à verbo Dei repetitis : nec peccaſſe contra legem diſputandi Theologiæ poſitiuæ, ſic merito dictæ, quod fundamenta ponat, non commiſcatur, quibuſcum Aduerſariis agat ex ſcripturâ, & traditione : inde vero deprompſit Auguſtinus, quæ in Pelagianos contorſit Argumenta, nempe hominem rectum à Deo inſtitutum, iuſtitiâ & ſanctitate ornatum, ad ſui Authoris, nedum imaginem, ſed etiam ad ſimilitudinem efformatum, Angelos etiam in veritate illius beneficio ſtetiſſe, à quâ ſuo vitio exciderint.

Hoc poſito fundamento, non probando rationibus extra verbum Dei, quia ſolo verbi diuini teſtimonio nititur; cætera, quæ vrget contra Pelagianos deduxit inde, & proſecutus eſt nullo petitionis principij, & Theſis in Argumentum aſſumptæ vitio. Ergo nihil Auguſtinus peccauit contra diſputationis leges, dum Argumenta in Aduerſarios expedit, non ex ſtatus naturæ puræ repugnantiâ à Scripturæ teſtimoniis alienâ : ſed ex inſtitutione hominis, & Angeli in gratiâ conditi, ex traditione comperta; quam dum aſſumit in Aduerſarios, qui illam negabant, intorſit Argumentum ineluctabile non amentorationum Metaphyſicarum, ſed verbo Dei conſtituente naturam hominum & Angelorum cum gratiâ conditam. Licet nihil vetet omnipotentiâ Dei, condi puram, ſapientiæ tamen ex bonitate infinita viſum fuiſſe naturam humanam & Angelicam condendo, vtrique naturæ gratiam largiri, quam ſuo & poſterorum damno, primus homo amiſerit, Chriſti meritis reſtituendam, quam ex Angelis plures ſeruarunt, & promouerunt ad gloriam, & illorum nonnulli abiecere, nunquam reparandam. Ergo ex totâ Auguſtini diſputationum ſerie contra Pelagianos, nihil poteſt colligi, quod interpretationi mentis illius ex D: Thoma receptæ obſit, vel faueat nouæ à Ianſenio inuectæ. Argumentum hoc attingit Thomas Anglus opuſculo cui titulus : *Mens Auguſtini de gratiâ Adami*. Hypoco. Sext. & cum illo Pater Gonetus Diſputatione citata quinta de voluntate Dei, Articulo vltimo ad finem Paragraphi tertij verbis elegantiſſimis & efficaciſſimis, quorum vim, ſeu elegantiam noſtris Argumentationibus expreſſi, quibus illud caput à ſcientiâ mediâ quod ipſi deli-

bant fusius prosecutus sum, alia capita quæ ipsi late extendunt paucis, & nouâ methodo perstricturus.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Ex aliis SS. Thomæ & Augustini principiis demonstratur illorum concordia de gratiâ primi hominis & Angelorum.

CITATI authores (quibus quartum adde in eandem sententiam Ysambertum) & præ omnibus fusissime Pater Gonetus viginti Argumentis concordiam SS. Thomæ & Augustini, quoad subiectam thesim probant, & omnia fere quæ dici possint occuparunt. Ne igitur actum agam, atque ea scribam, quæ apud ipsos extant; collecta ab illis in certa capita digeram, vt quæ in eis desiderari fortè posset methodus à morosioribus adhibeatur. Quidquid in hanc rem dici potest, reuocatur ad tria principia, à Sancto Augustino, à Diuo Thomâ constituta passim vbi de gratiâ agit, & pauciſſimis verbis collecta & perstricta 1. 2. quæst. 109. art. 2. Primum principium, idque Generalissimum repetit ex sub ordinatione causarum secundarum in agendo, à primo mouente & applicante: aliud singulariſſimum desumit ab ægritudine naturæ, peccato primo hominis & originali corruptæ: Tertium inter hæc duo extrema principium statuit, à præstantiâ donorum, & operationum supernaturalium extra captum, & vires cuiuscumque creatæ naturæ etiam integræ positarum.

Ex his tribus principiis, apud vtrumque gratiæ præceptorem receptis, velut ab instructissimo armamentario, depromuntur quæcumque in hanc rem afferri possunt. Ex primo quidem pendent tria à priori, & septem à posteriori, quæ habet Argumenta Pater Gonetus articuli citati Paragrapho secundo, quæ omnia ad hanc formam reuocantur. Si discrimen constitutum à Ianſenio, inter gratiam Angelorum, & primi hominis stantis & lapsi obtineat, ruit subordinatio causarum secundarum à primâ gente vniuersalissima, & vim suam ad omnes modos & formalitates entis exerente, & creaturæ vertibili parti

cipatione immutabilis boni, vt loquitur Auguſt. Ench. cap. 106. adiutorium præbente: hæc à priori deſumuntur tria Argumenta à poſteriori, & inconuenienti. Eodem ſpectant ſeptem quæ illis annectuntur: ſi gratia primi hominis, & Angelorum, eorum arbitrio ſubdita ſit, & ab illa determinanda, ordo naturæ integræ decederet ordini naturæ corruptæ; quia iſti dominaretur gratia, illi ſubderetur, & veluti otioſa expectaret, aquæ motum, vt loquitur Ianſenius, & vltrò concedit libro 3. de gratia Saluatoris cap. 3.

Deinde contrà Ianſenium vrgent quæcumque ipſe in Molinæ gratiam ſufficientem, & à voluntate creatâ ſuſpenſam congerit abſurda, quæ nequeant admitti etiam de Angelo, & homine ſtante, quale eſt illud primum, eo ſtatu innocentiæ vtriuſque naturæ, ſuperfluum ac penè ſtultum fore, à Deo petere donum perſeuerantiæ. *Quid enim ſtultius*, inquit Auguſt. cap. 18. de Naturâ & Gratiâ, *quam petere, vt facias, quod habes in tuâ poteſtate?* Stultè ergo eo ſtatu petiiſſent à Deo homo, & Angelus, gratiam ad vincendas tentationes, & ad perſeuerandum neceſſariam; quandoquidem penès ipſos erat, eorumque ſubdita arbitrio. At ſecus ſentit Diuus Thomas prima parte quæſt. 94. art. 4. ad 5. vbi habet Adamo non fuiſſe collatum auxilium ad reſiſtendum tentationi, quia non habuit recurſum ad Deum pro illo obtinendo: aſſentit Auguſt. libro 14. de Ciuit. cap. 17. *Quis audeat dicere, aut credere, vt neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe?* Ergo non ſtulta, ſed prudens fuiſſet eo ſtatu oratio ad Deum de dono gratiæ & perſeuerantiæ petendo, quod videtur ad præcepta juris naturalis pertinere. Hoc Argumentum egregie vrget & illuſtrat Gelaſij Papæ locus aduerſus Pelagianam hæreſim tomo 2. Concil. pag. 257. *Si in ipſis primis hominibus, dum ſuâ nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando (quod vtique nunquam feciſſe referantur) nec de perceptis gratias referendo, nec vt eadem intemerata durarent, incolumes conſtare nequiuerunt; quantò magis poſt prauaricationis ruinam, in quam malâ ſui confidentiâ Creatorem nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, abſque diuino munere ſuis viribus*

vel ægri ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt?

Huic primo abſurdo ex eodem fundamento ſubordinationis cauſarum ſecundarum appendet ſecundum, nempè Deum, non alia ratione de bonis Angelis in gratiâ ſtantibus, ex perſeuerantiâ actuali, quàm de malis ab eâdem gratiâ peccato delapſis, bene meruiſſe: nec ab illis aliquo iure potuiſſe gratiarum actiones exigi, quas mali non deberent; quia par erat in vtroſque Dei beneficium, & boni à malis ſuo ſe arbitrio, non Dei gratia ſecernerent; quod eſt tertium ex eodem fundamento abſurdum. Collatâ enim pari omnibus gratiâ, ſi quod fuit diſcrimen, non eſt natum à communi dono, ſed à cuiuſque arbitrio.

Superioribus annexum eſt quartum abſurdum, Angelis bonis, collatam à Deo ſolam poſſibilitatem perſeuerandi & bene agendi, à ſe ipſis deprompſiſſe ipſum perſeuerare & bene operari: hoc concedit Ianſenius, quod tamen Pius V. & Greg. XIII. damnarunt cenſurâ huius propoſitionis ex Baio. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.* Ab hoc abſurdo & ſuperioribus, conſequitur apertè quintum, voluntatem creatam Adami, & Angelorum, fore in ſtatu innocentiæ primum liberum, & primum ſe determinans: Conſequentia euidentior eſt, quam vt probatione egeat. Nec minùs aperta eſt ſexti, bonorum Angelorum prædeſtinationem non fore gratuitam ſed ex præuiſione meritorum, quod vltrò concedit Ianſenius libro 9. de gratiâ Chriſti: & præter Diuum Thomam eiuſque diſcipulos, improbat Proſper ſecundo de voc. gentium capite 35. *Deus his, quos eligit ſine meritis, dat vnde ornantur & meritis.*

Ad idem primum generaliſſimum ex ſubordinatione cauſarum, adiuncto altero de præſtantiâ donorum, & operationum gratiæ ſuprà omnem naturæ creatæ conatum, reuocantur 8. Argumenta Paragraphi primi, ſi duo attendantur nempe vis omnipotentiſſima, & vniuerſaliſſima Dei adiuuantis, & creaturæ innata omni ſtatu impotentiâ ad bene agendum ex ſe ipſa. Hinc enim lucem maximam haurit ſecundum Argumentum ex Auguſtino, nempe Sanctum Doctorem diuinorum Decretorum eſſi-

eaciam, & diuinæ scientiæ infallibilitatem referre in omnipotentissimam Dei potestatem, & voluntatem.

Nec dicas illam dominari in homines peccato corruptos; excludi vero ab operationibus hominis, & Angeli stantis: nam Augustinus apertè hanc suæ doctrinæ interpretationem refellit, primum generatim Enchiridij cap. 96. vbi habet *Deum non ob aliud vocari omnipotentem, nisi qui quia quidquid vult potest, nec per voluntatem cuiusquam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus*: Ergo vim suam perinde exerit omnipotentissima voluntas, in hominem & Angelum stantem, ac in hominem lapsum. Idque speciatim de Angelis statuit cap. eiusdem Enchiridij, 102. *Quantalibet sint voluntates Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel malorum, vel quod Deus, vel aliud volentes quam Deus, omnipotentis voluntas Dei semper inuicta est.*

Hoc Argumeutum roboratur tertio. Augustinus lib. 12. de Ciuitate cap. 19. discretionem bonorum Angelorum à malis refert in voluntatem Dei, & illi accommodat in Psalm. 70. & in Psalm. 32. concione secunda illud Apostoli, *quid habet quod non accepisti? non habuerunt*, inquit Augustinus, *aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt: Spiritus enim eius, non pars; sed omnis virtus eorum.* Augustino accinunt Gregorius libro 25. Moral. cap. 8. & Anselmus de casu diaboli cap. 7. qui apud Angelos locum habere volunt dictum Apostoli, quid habes quod non accepisti?

Hoc Argumentum illustratur quarto. Augustinus libro 11. de Genesi ad litteram cap. 10. de Angelis stantibus, & cadentibus ita disserit: *Non posset, inquiunt, etiam ipsorum voluntatem in bonum conuertere, quia omnipotens est? posset plane: cur ergo non fecit? Quia nolnit: cur noluerit? Penes ipsum est.* Quod falso diceret Augustinus, si vsus gratiæ collatæ penderet à voluntate Angeli, & hominis stantis, vt à primâ causâ. Inde enim repetenda esset solutio quæstionis propositæ, non referenda in iudicia Dei impenetrabilia.

Eodem spectat quintum Argumentum ex Augustino 12. de Ciuitate cap. 9. vbi expressis verbis habet, *bonos Angelos stantes, aliis malâ voluntate cadentibus, amplius ad-*

iutos, ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent, peruenisse. Nec luculentissimum hoc Augustini testimonium eleuat, responsio Iansenij, interpretantis illud maius auxilium collatum bonis, negatum malis, esse ipsam beatitudinem: quia Augustinus ait, illo auxilio magis adiutos ad beatitudinem peruenisse: Ergo præuium erat ad beatitudinem, non ipsa beatitudo, vnde meritò Estius ait, eâ interpretatione sensum Augustini reddi ineptum.

Septimum Argumentum vix differt à secundo: illud tamen confirmat, & illustrat Augustinus, cum vim illam vniuersalissimæ & omnipotentissimæ voluntatis diuinæ, variis locis, & expressiùs cap. 20. de gratia & libero arbitrio, vult pertinere ad omne genus operationum, *dum* ait, *verum etiam illas quæ conseruant sæculi creaturam*, ita esse in Dei potestate, vt eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinare. Augustino accinit Prosper Sent. 58. *dum* ait, *diuina voluntas est prima & suprema causa omnium corporalium spiritualiumque motionum.*

Octauum Argumentum noua est istius confirmatio, authoritate & testimonio Diui Thomæ & Diui Fulgentij libro secundo ad Trasimundum, ità Augustinum interpretantium.

Sextum ordine Argumentum lucem addit superioribus nouam, à conditione naturæ, & voluntatis creatæ. Nam vt inquit, Thomas Anglus Hypocolo quinto, liberum arbitrium etiam in naturâ integrâ, si condistinguatur contrà adiutorium Dei, est eiusdem rationis, cuius est in naturâ lapsâ, & de illâ asserit Augustinus sic sejuncto à gratiæ donis, de correptione gratia cap. 11. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi adiuuetur ab omnipotente bono.* Et expressiùs de correp. & grat. cap. 11. *Si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent; adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Quod sequitur clarissimum est, Tract. de Cantic. nouo cap. 8. *Quid valeret liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est, ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi*

adiuuetur à Deo; Rursus Enchirid. cap. 106. *Homo in paradiso, ad se occidendum, relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem, vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adiuuaret.* Tandem de Nat. & Grat. capite 26. *Sicut oculus hominis plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissime iustificatus, nisi æternâ luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, recte non potest viuere*; Et consequenter ad hæc cap. 48. *Si de integra, & sana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus, neque sic rectè diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamuis peccare nostrum esset: nam & ibi esset adiutorium Dei, & tanquam lumen oculis sanis, quo adiuti videant, se præbere volentibus.*

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Ex superioribus refelluntur præcipuæ Iansenij obiectiones.

HÆc quæ ex Augustino retulimus nihil moratus Iansenius, non dubitauit scribere libro 8. de gratia Christi capite secundo, totum fundamentum gratiæ medicinalis Christi subuerti, & Scripturam subneruari, dum gratiæ necessitas non ex vulnere voluntatis, sed naturali eius indifferentia, & omnium causarum subordinatione, sub actione suspenditur. Inde ausus est scribere, quoties Augustinus inuestigat causam necessitatis gratiæ efficacis, non aliam assignare, quam ægritudinem naturæ & vulnus læsæ voluntatis: nusquam verò recurrere ad indifferentiam liberi arbitrij, vel ad generalem dependentiam causarum secundarum à prima. Prætereà fundamentum omnium contrà Pelagianos disputationum posuisse cap. 11. & 12. de Correct. & grat. distinctionem duplicis *auxilij sine quo*, seu sufficientis, & possibilitatis, *& auxilij quo*, siue efficacis; quorum primum dumtaxat concessum fuerit Angelis, & primo homini stanti; secundum ex Christi meritis conferri in illo electis, & prædestinatis. Locum fusè retulimus, & explicuimus superius, vnde nihil opus est hîc repetere: ideo eodem loci ait Augusti-

nus, Angelos malos per liberum arbitrium cecidisse, & per illud stetisse bonos. Hæc summa est obiectionum Iansenij, ad quas accuratè respondent P. Gonetus loco citato, & Æstius in primum distinctio. 41. Paragraph. 14. & fusius Thomas Angelus tota dissertatione citata, ex quibus meliora seligemus.

Ad primam obiectionem patet ex dictis, omnino falsum esse, quod assumit Aduersarius, & immerito conqueri, nisi in illud vnicum discrimen auxilij *sine quo*, & auxilij *quo* referatur tota controuersia de gratia medicinali, & statu innocentiæ, subneruari Scripturam, & fundamenta gratiæ medicinalis subuerti. Multò iustius illi reponit Thomas Anglus Hypocolo 5. & 6. *Palam esse qui ita docent laua manu dispergere lapides muri Augustiniani, quem dextra componunt.* Et subijcit illis cogitanda dogmata Aquilini Doctoris à nobis primo Argumento insinuata: *Deum non videre nisi opera sua: res esse quia Deus cognoscit, non secus.*

Statuamus Adamum tentatione superiorem euasisse; vidisset ne victoriam Deus, quia futura erat; vel fuisset, quia Deus videndo eam fecisset? Si hoc dicis, clarissime gratiam voluntatis dominatricem laudas: si illud, quis locus regulæ æternæ supereſt, cum post effatum nihil Deum videre nisi opera sua, subiungendum sit, exceptâ determinatione Adami; quis non videt, si vnum excipitur, omnia similiter exceptioni patere, quæ à libertate pendent, siue hominum, siue Angelorum, hoc est, exceptâ creatione, quâ aguntur, quæ geruntur omnia?

Nec minus acriter vrget illos relatis ad finem superioris Paragraphi locis, & monet quomodo sese Augustini Discipulos prædicent, qui post adeo sancta & professa Magistri sui dictata, liberi arbitrij nudi, seu condistincti contrà adiutorium, determinationes in statum innocentiæ introducere moliuntur? Meminerint tantummodo quæstionem non agitari de libertate adiutâ, sed de naturalibus ipsius viribus, vt adiutorio præsuppositis, & impossibile est, vt eam absurditatem Magistro suo appingant; quam luculentissimè primis dissertationibus verbis Lectorum conspectui subijcit; *Moderni*, inquit, *libertati humanæ Deo sese comparantes laudatores*, ita auxilia

diuina homini necessaria esse ad bene operandum contendunt; vt ipsa determinatio, quæ contradictionis, biuio imposita, in speciem, quam habitura est, deflectat, purè & liberi arbitrij vi, & ratione pendeat; hoc est à naturâ præcisissimè & formalissimè. Ego, in hac æquatione, & quasi coniugatione voluntatis cum Deo, vel etiam prælatione (non dubitant enim exprimere Deum voluntatis determinationem expectare;) vim ipsam, & virus elagianismi contineri scripsi. *Et cum aliqui gratiæ laudatores, hanc ipsam libertatis elationem in Adamo tuerentur, & authorem Augustinum contenderent; non reueritus sum faciem hominum; sed audenter possidens quem insteram gradum, pronunciaui, scripsi, nomine signatum vulgaui, si ipse gratiæ nutritius Pater Augustinus hoc assereret, non cessurum me, sed sub Michaëlis clypeo, & labaro (quis sicut Deus?) Etiam hunc magnum Ecclesiæ pugilem, cum Origene & Pelagio Anathematisaturum.*

Visus est quibusdam his verbis non satis detulisse receptæ à sæculis tanti viri in quæstione de gratia auctoritati, & certam ac indubitatam ipsius sententiam, censurâ percussisse. Verum à primâ accusatione merito putat se absolutum, reuerentiâ quam vbique erga tantum virum profitetur; & quod talem esse posse ipsius mentem inter ἀδύνατα retulerit; à posteriori autem criminatione se eximit, suscepta lucubratione, quâ demonstrat, sententiam, quæ naturæ in Adamo tantum tribuit, Sancto Doctori ex diametro repugnare, atque his satis putat si superiora adiungas, solutam esse primam obiectionem.

Paulo difficilior est altera ex lib. de Correct. & Grat. sed primùm illam præiudiciis eleuauimus; incredibile esse quod assumit Iansenius, eo discrimine auxilij *sine quo*, concesso primo homini, & in totum negato auxilio *quo*, Augustinum posuisse fundamentum controuersiarum omnium cum Pelagianis: nam cùm eum librum scripserit inter postremos occasione erroris Pelagianorum, præposterè omninò de gratiâ disputasset Augustinus, si distulisset post annum fere vigesimum ab inchoata controuersia hoc fundamentem ponere, & aliis qui istum præcessere libris ædificium pensile molitus fuisset, nulli fundamento astructum.

Huic primo præiudicio aliud addo ex Estio, qui prudentissimè monet, ea quæ de adiutorio primi hominis, & Angelorum obscurius, & vt videtur, extrà Scripturæ authoritatem, ab Augustino disputata sunt, ad hoc, vt ex eâ comparatione gratia nostræ per Christum reparationis magis emineret; non debere præiudicare doctrinæ quæ apud alios Patres, ipsumque Sanctum Thomam in huiusmodi rebus exactissimũ Doctorem expressior haberetur; maximè propter rationes in eam partem grauissimas, & vt ipsi videtur, insolubiles, & clarè in Scriptura fundatas.

Atque Prosperum & Gregorium, qui videntur sententiæ Iansenij fauere, & discrimen ab illo inductum probare; interpretandos dicit, eodem sensu, quo statim Augustinum explicabimus; cuius fere verbis locutum Anselmum etiam trahit ad eandem interpretationem, & cum videatur repugnare enodationi huius intricatissimæ difficultatis, similitudine quâdam, dantis Dei & accipere recusantis hominis, & Angeli, adhibitâ, popularem magis esse, quàm exactam, & solidam affirmat, ex quodam scripto Iodoci Tiletani ad Ruardum: quia per hoc non soluitur quæstionis nodus cur ipsum accipere fuerit vni datum, non alij. Datum enim fuisse conuincit Apostoli sententia, nam si dictum est, quod non accepisti, quasi diceret, quod non datum est tibi, quomodo Ioannis 3. loquitur Baptista, non potest *homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Videtur autem Anselmus dissimulasse illud eiusdem Apostoli dicentis eodem loco: *quis te discernit?* Huic enim obiectioni responsio ab eo data, minime quadrasset.

Respondet etiam eodem loci Estius; cuidam obiectioni ex Ruperto, vnde tertium depromit præiudicium pro causâ, quam vrgemus. Rupertus enim libro 13. in Math. propositâ hâc quæstione, an penès Deum fuerit ne Angelus, & homo caderent, videtur id negare: quoniam, inquit, Deus, sicut audit, iudicat, ac proinde non potuit se communicare creaturæ, quæ causa est velle ipsam sufficere sibi: quasi sentiat Deum hoc non potuisse impedire, & subinde Augustinum reprehendit quodam loco dicentem (id est libro 14. de Ciuit. cap. 27.) *Quis audeat credere vel dicere, in Dei potestate non fuisse, vt neque Angelus, neque homo caderet?* Licet iudicet Æstius author

ritatem Ruperti hâc in re, non esse magni ponderis: duo tamen obseruat non omittenda, Augustini reprehensione, Rupertum agnouisse, se ab Augustino de prædestinatione hominis, & Angeli integri dissentire, & ideo addit, quasi illum facti pœniteret, & veritate esset conuictus libro primo de victoria verbi Dei cap. 27. hanc sententiam retractasse, & docuisse bonos Angelos, ne cum Diabolo caderent, fuisse præuentos, & retentos per ipsum Verbum, per quod fuerant conditi. Et capite vltimo addit, eos gratiam per misericordiam Dei in se ipsos agnoscere, quo sensu, ne & ipsi corruerent, præuentos fuisse non ignorant. Eiusdem quippe conditionis cum essent, suam in perditione aliorum salutem reseruatam, statumque retentum, non leuiter appendere potuerunt, aut possunt. Quibus verbis bene notandis, inquit Æstius, manifestè significat Rupertus, eam discretionem, quâ alij præ aliis steterunt, fuisse peculiaris gratiæ Dei præuenientis, & retinentis eos, ne cum aliis caderent.

His præiudiciis positis, ad rem accedamus. P. Gonetus videtur facile se ab illo loco intricato expedire, hâc primâ responsione, Augustinum non agere de quacumque gratia status innocentiæ, sed de eâ tantùm, quæ Angelis, & primo homini in peccatum lapsis, concessa fuerat; quam certum est fuisse auxilium *sine quo* sufficiens ad perseuerandum, non efficax; quandoquidem in veritate non steterunt; & hoc etiam videntur verba Augustini innuere, quia maximè vrget donum perseuerantiæ.

Si verò instes: Augustinum addere; malis Angelis per liberum arbitrium cadentibus, bonos per liberum arbitrium stetisse, & potuisse Adamum in iustitiâ si voluisset permanere, quod vt vellet perseuerare, Deus in eius reliquit arbitrio: ad hoc respondet duo, primum hoc à Sancto Augustino assertum, sine præiudicio diuini decreti, præparantis auxilium efficax ad credendum, vt ipsemet Augustinus capite 9. de Prædestinatione Sanctorum interpretatur simile quid à se scriptum de sex quæstionibus Paganorum. Et cum ea prima responsio totam difficultatem non videatur profligare, multisque pateat instantiis; Respondet secundo mentem Augustini eo discrimine auxiliorum, nolle in totum quæ astruxit alibi principia euertere: sed tantum explicare diuersam fuisse

gratiam homini ſtanti, & infirmo, ad bene operandum, & perſeuerandum neceſſariam: nam ſicut aſcenſuro homini ſano ad faſtigium domus, ſcalâ tantum opus eſt, ægro præter ſcalam remedio quo curetur; ita etiam de Angelo & homine ſano, & peccato ægro, ſtatuit Auguſtinus pluribus hunc præ illo egere ad ſalutem. Solutio admittenda quidem, ſed accuratius explicanda, quod Paragrapho ſequenti præſtare enitemur.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Operoſius inquiritur mens D. Auguſtini.

TOTA hæc diſceptatio de mente Auguſtini his tribus continetur capitibus; primo quid nomine auxilij *ſine quo* intellexerit, an habituale aliquid ad actum primum pertinens, an operationem & actum ſecundum: deinde in quo poſuerit vtriuſque auxilij diſcrimen: tertio an præter primum genus auxilij conceſſum omnibus Angelis & homini, aliud admiſerit auxilium *quo*, bonis Angelis collatum, negatum malis Angelis & homini cadentibus. Poſtrema hæc difficultas dirimenda eſt ex legitimâ priorum interpretatione, à quibus inchoanda eſt noſtra inquiſitio.

Quoad primum caput, duobus conueniunt Auguſtiniani Theologi, auxilium *ſine quo* eſſe adiutorium gratiæ, diſtinctum à naturâ, ſeu à vi naturali voluntatis liberæ, & eſſe quid præuium determinationi voluntatis, non concurſum quendam ſimultaneum. Diſſenſio eſt, an ſit habituale principium, an actualis motio, & operatio. Hoc ſecundum aſſerit Ianſenius; primum alij deffendunt: conciliari fortè poſſent, ſi velimus illud auxilium vtrumque complecti, gratiam habitualem & quoſdam actus, quos diximus etiam ex Semipelagianis oriri, quaſi per reſultantiam à gratiâ regeneratis collatâ. Quidquid tandem ſit, magis inclinamus in eorum ſententiam, qui adiutorium *ſine quo* ex mente Auguſtini magis ponunt in gratiâ habituali, vt partem ſuperiorem ſubijcit Deo, appetitum rationi, & præter ſanctitatem animæ, placorem inducit in partem inferiorem.

Hoc probari potest triplici genere Argumentorum. Primum ab ipso nomine repetitur, nam τὸ *sine quo non*, magis sonat, non operationem, seu abcessum operationis, quam operationem positam: Ergo accensendum est potiùs principio permanenti operationum, quàm motioni, & actui secundo. Secundum Argumentum instrui potest ad hominem, variis huius auxilij proprietatibus, quas conuenire gratiæ sanctificanti, & iustitiæ originali, ex Augustino vltrò agnoscunt Aduersarij. Certum enim est huiusmodi auxilium *sine quo*, iunctum statui innocentiæ, esse adiutorium additum bonæ voluntati, in quâ creatus est Adam: ex illo Adamum habuisse præstantiam illam libertatis, quâ priuauit Posteros; esse potestatem quandam benefaciendi, quæ coniuncta cum naturalis arbitrij viribus, aut impotentiâ, conficiat rationem bene & male agendi; concedunt etiam esse donum supernaturale à Pelagianis reiectum: Atqui certum est has omnes auxilij *sine quo* proprietates, competere gratiæ sanctificanti, vt constituit iustitiam originalem: nihil Ergo differunt, quandoquidem vtrique eædem insunt proprietates singularissimæ.

Atque hinc soluitur præcipuum Iansenij Argumentum. Augustinus, inquit, distinctionem gratiæ hominis stantis, & lapsi, statuit ad reuincendos Pelagianos, cum quibus nulla illi lis erat de gratiâ habituali; sed tantùm de auxiliis actualibus, ad quæ proinde pertinet hæc distinctio. Sed duobus peccat Argumentum: primo non attenditur auxilium hoc *sine quo* non præter gratiam habitualem, continere tranquillitatem appetitus, quam Pelagiani nihil differre contendebant, ab eâ, quâ frui possumus mortali corpore grauati. Deinde licet Pelagiani admitterent gratiam sanctificantem regeneratis Baptismo conferri, eam tamen negabant concessam primo homini; contrà quos agit Augustinus duplici genere Argumentorum: primò ex Scripturâ, quæ tradit hominem creatum *cum iustitia & sanctitate*: deinde ex repugnantiâ instituti, primum à Deo hominis in naturâ purâ. Quam repugnantiam ita interpretor ab Augustino vrgeri, non quasi id neget omnipotentiâ Dei fieri posse; sed id minùs conuenire illius sapientiæ & iustitiæ; maximè si attendamus, quæ de primâ institutione hominis Scrip-

tura nos docet. Atque ita eleuantur Argumenta prope infinita, quæ congerit Ianſenius, vt perſuadeat iuxtà Auguſtini principia, in totum repugnare naturæ puræ ſtatum: & re verâ ſi eo rigore interpretaremur Auguſtinum, non poſſet negari, quin tota illâ diſputatione Scripturæ Teſtimoniis deſtitueretur.

Hinc etiam ſolui poteſt aliud Argumentum, Auguſtinus tradit Deum hoc genere adiutorij Adamum rexiſſe, & correxiſſe, id vero fieri non potuit habituali gratiâ: Ergo huiuſmodi auxilium actuali gratiâ conſtat. Facilis eſt reſponſio admiſſâ conciliatione opinionum pugnantium inſinuatâ, gratiam habitualem conficere illud genus auxilij, quatenus infert neceſſariò, & quaſi per reſultantiam actus quoſdam: & ſi minùs hæc reſponſio probetur, negari poteſt Minor Arrgumenti: certum enim eſt habibitibus veluti quibuſdam inſtrumentis, & actuum principiis nos poſſe à Deo regi.

Et ſi inſtes: ſic explicato Dei regimine, vix quidquam ſingulare Deum conferre bonis, quod malis neget; quia vtrobique conſeruat principium agendi, ſeu habitum boni & mali operis: latum eſt inter hæc duo diſcrimen, cum enim Deus non ſit cauſa peccati, quia vt mox dicemus, cum nihil ſit, nequit fieri actione Dei, nec ad hoc Deus confert vt habitus peccati proficiat in ipſum peccandi actum, vel in defectus ex eo conſecutos.

Tertium Argumentum, quo probatur auxilium *ſine quo non*, primo homini collatum, non cõſtare principio à gratiâ habituali diſtincto, petitur ex ipſis Diui Auguſtini, & Diſcipulorum eius principiis. Nam ſi ab illo quæras, quandonam receperit Adamus hanc poteſtatem non peccandi, ſiue adiutorium *ſine quo non*, reſpondet lib. 2. oper. imperfect. contrà Iulianum fol. 216. *Quis neſciat eum ſaluum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iuſtè viuendum, poteſtate libera conſtitutum.* Fulgentius de Incarnatione cap. 18. *Poſſe credere, in conditione primi hominis eſt datum.* Dona vero creationis in habitu, non in motu conſiſtunt.

Si iterum quæras, vnde Adamus poteſtatem non peccandi, eius vero poſteri neceſſitatem peccandi habeant. Reſpondet Auguſt. lib. de Naturâ & Gratiâ cap. 43. *Quia natura in primo homine ſana, iam medico indiget, quia*

sana non est. Prosper lib. 3. de Vitâ contemplativâ cap. 2. *Illum iuuare adhuc poterat sana natura : nos iam impedit vitiata.* Sicut ergo infirmitas & languor est quid permanens, eiusdem ordinis erat in primo homine sanitas, siue auxilium *sine quo non*, vnde existebat. Hoc apertius explicat Augustinus de Correptione & Gratiâ cap. 12. *Fortissime dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante, inuictissimè quod bonum est vellent.*

Idem Argumentum confirmatur; adiutorium, de quo agimus, illud est, quod vocat Augustinus possibilitatis, seu quod dat posse, aut quo possit homo si velit: Atqui hæ phrases Augustinianæ actum primum, seu principium agendi significant, & inclinationem, seu determinationem ad agendum, non ipsam operationem: Ergo huiusmodi adiutorium in habitu positum est, non in operatione.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Expenditur locus singularis D. August.

EO vero liberum arbitrium in naturâ integrâ egere, suprà probatum est ex Augustino, & iam allatis testimoniis. Aliud addam celeberrimum, & iuxta difficillimum, cum ait Augustinus *Adamum voluntate, vel libero arbitrio in veritate stetisse:* intelligendum diximus, non de voluntate distincta ab adiutorio, sed illi coniunctâ, & quo integra & perfecta existebat. Et ideo de Correctione & Gratiâ dicit cap. 11. & 12. ait *quia sine adiutorio hoc, non poterat in bonâ voluntate manere, si vellet.* Quod fusiùs explicat Prosper lib. 3. de Vitâ contemplativâ cap. 2. *Adamum nihil aliud fuit non peccare, quàm non velle. Nobis autem irreprehensibiliter velle, non sufficit, nisi ipsum velle nostrum, quod languidâ possibilitate deficit, diuina virtus adiuuerit: illum ad non peccandum iuuare poterat adhuc sana natura, nos iam impedit vitiata: illum peccare fecit sola peccandi voluntas; nos etiam cogit plerumque peccati iam facta necessitas.* Quibus Prosperi verbis elucet naturæ lapsæ ab integrâ di-

scrimen; quatenus lapsa pondere quodam concupiscentiæ, & tentationis in peccatum propendet, nec potest se ad bonum erigere, quare voluntate stare primo homini, erat sine difficultate operari bonum: sicut modo voluntate cadere, est premi & vrgeri in peccatum concupiscentiæ, & tentationis pondere. Hoc vero discrimen petebatur ab adiutorio *sine quo*, seu à iustitiâ originali, quæ ad operandum submouebat difficultates.

Sed dices: si gratia naturæ lapsæ sit maior gratiâ naturæ integræ, cur non æque dicitur lapsus, ac integer voluntate, non gratiâ bonum facere. Respondetur τὸ *voluntate* in eâ Augustini sententiâ includere robur intrinsecum ad confirmandam debilitatem naturæ, quæ inerat Adamo, & in eius posteris desideratur: quare Adam operabatur rectum consentanee ad naturam sequacem, non reluctantem, sicut apud nos.

Hâc interpretatione phrasis Augustini, multa alia testimonia enodantur: sed obscurissimum est illud quo asserit, si homo & Angelus creati fuissent sine adiutorio illo, casuros sine culpâ, quia caruissent adiutorio *sine quo* manere non possent; vnde videtur sequi naturæ corruptæ, si careat illo adiutorio *sine quo non*, si quid mali admittat, non esse magis imputandum ad peccatum, quàm primo homini, absque suâ culpâ casuro, si illo caruisset: & si verum sit, nec lapso, nec integro huiusmodi auxilio spoliatis, non imputandum peccatum, videtur in Deum refundi debere.

Ad hanc insuperabilem difficultatem communis solutio est, imputari homini lapso peccatum etiam ex necessitate; quia voluntarium fuit à causâ, siue à peccato primi hominis liberi. Thomas Anglus hanc refellit responsionem, & nouam tentat, ad quam sibi viam munit quibusquam obseruationibus, quarum prima est Augustinum loco citato magis proprietatem vocum, quam rerum attendere, idque exemplis facilius est explicare quam oratione. Vndecumque cæcitas adueniat, siue à natiuitate, siue à casu, idem semper est mali, sed dolenda magis perdenti visum, quam illi, qui semper visu caruit: sic natura humana sine huiusmodi adiutorio creata, minus miseriæ eo statu habuisset, quàm in eum delapsa amisso adiutorio, quod inde retrahebat, & primo casu non

videretur

videretur exprobrabilis ſtatus, quia non habuiſſet creata nuda poteſtatem vitandi malum, quod incurrit; equidem priuata peccata, vt continuata peccato Adami, induunt ſpecialem deformitatem, eiuſdemque indolis ſunt cum peccato Adami. Sicut enim Talpa dicitur cœcus, non quod viſu careat quoad Talpæ ſpeciem, ſed quia viſio eſt attributum rationis genericæ animalis, quâ Talpa continetur: ita peccatum Petri habet ſpecialem deformitatem, hoc nomine, quod Petrus ſit vnus ex poſteris Adæ, in quo perfectam habuit libertatem. Atque hæc circumſtantia moleſtiorem facit defectum, quam ſi Petro ineſſet, ſepoſitâ origine ab Adamo, & aliunde petita.

Ex iis obſeruationibus infert rationem culpæ ab Auguſtino attentam, differre à ratione culpæ à Philoſophis conſtitutâ, & omnino Chriſtianam eſſe. Culpa enim generatim proprie ſignificat defectum naturæ in agendo, & dici ſolet malum actionis. Actio autem cùm ab eo, quod actu eſt, prodeat, culpa erit defectus à ratione principij actu conſtituti. Si vero naturam in Adamo & in nobis inſtitutam comparemus, certum eſt naturam Adæ, noſtræ collatam, perinde ſe habere, ſicut virum ad embrionem; quia natura Adæ beneficio creationis plura habebat, quam toto vitæ decurſu improbo labore aſſequi poſſimus. Defectus itaque in agendo, quem culpam, vel peccatum nominamus, ſi referatur ad naturam noſtram, erit defectus à principio, quod in nobis eſt in potentiâ, ſicut vir in embrione, ſicut cum infans incedendo offendit, vel cadit, deficit ab actione, cuius principium vir actu, ipſe in potentiâ habet. Itaque cum culpa ſonet defectum in actione, ſeu à principio actuali, & actu exiſtente; manifeſtum eſt, rationem culpæ Adæ, collatam noſtræ, aliam eſſe, magiſque ſibi rationem culpæ vindicare, vt noſtra collata alteri videatur analogicè culpa eſſe. Ex quo fit quæſtionem ab Auguſtino agitatam, ſenſu diuerſam eſſe à Modernis, dùm illum incuſant, quaſi rationem culpæ tollat, ſublatâ integritate naturæ in Adamo: nec eius mentem videntur aſſequuti, dum putant illum rationem culpæ tollere, quam ipſi aſtruunt, eâ hypotheſi, quâ Adamus iuſtitiâ originali caruiſſet.

Huic difficultati annectitur alia perinde grauis, quâ non minùs quàm ſuperiori Moderni videntur à mente Augu-

stini aberrare, dum statuunt nisi Adamus peccasset pet puram voluntatis suæ flexionem; Deum peccati Adæ, & nostrorum necessariò causam futurum. Nostrorum quidem, quia incumbit nobis necessitas peccandi, ex lapsu Adæ, cum quâ, peccati ratio non aliter nobis adhærer, nisi quia culpabilis est, ex contagio peccari primi parentis, qui sine necessitate peccauit. Vnde nostra peccata putant eo tantum esse libera, quod consequantur ad Adæ peccatum primo liberum, quatenus non potuit à Deo præueniri, nisi auxilio indifferenti, & subdito voluntati.

Sed hæc opinio Iansenij, multis à vero longe recedit. Primò falsò putat ineuitabilem esse hanc Consequentiam: si necessitas sit ad peccandum, Deum fore authorem peccati: siue enim peccatum componi possit cum necessitate, siue illi repugnet, nulla est Consequentia, Deum fore eius peccati authorem; nihil enim certius apud Augustinum, quàm peccatum nihil seu non ens, & non naturam esse, ac proinde Dei concursu fieri repugnare: & cum aliunde non sit necesse peccatum entibus accenseri, si necessario ab homine prodeat; hinc euanescit Consequentia Deum fore authorem peccati humani, quantacunque insit homini ad peccandum necessitas: verius ex necessitate inferri posset, nullum fore peccatum, non vero imputari Deo.

Deinde non effugiunt quod enituntur euadere impium & absurdum, nam si Deus esset nobis author peccandi hâc necessitate, non abstergeretur illa noxa ex libero peccato Adæ: quod enim Deus author peccati sit, vel non sit censendus, ex regulis & principiis rerum physicarum, non ex moralibus, aut legalibus regulis metiendum est: & si aliqua necessitas Physica vrgeat Cainum ad peccandum, cùm hæc ex peccato Adæ inferatur; libertas Adami, quæ dumtaxat moraliter contingit Cainum, non est idonea eximendo Caino à necessitate Physicâ peccandi, nec à Deo abstergendæ huic maculæ ex Physicâ necessitate consecutæ.

Nec valet, si obiicias Adamum hoc commeruisse, vt in eam necessitatem Cainus induceretur: hoc enim perinde est, ac si dicas meruisse vt Deus Cainum impingeret in peccatum, nec propterea iniustum fore. Sed falsum omnino est, Caini peccatum vlla ratione à Deo prodire, vel in illum posse referri vt authorem & causam:

frustra ergo ad eam impietatem auertendam, omnis libertatis creatæ vsus repetitur, vt à primâ radice, à voluntate Adæ præuenta auxilio Molinæ indifferenti.

Præter hæc vitia laborat, opinio Iansenij, alio nihilo minus periculoso. Nam si Adamo ad peccandum necessaria fuit libertas illa formalis, omnis gratiæ dominatrix; eâdem opus est posteris: aliàs eodem gradu peccaturis legaliter, non moraliter, vti legalem & imputatam habent libertatem, id est, sicut censentur habere libertatem, qua carent, ita illis imputabitur reatus, quem non meruerunt: quæ omnia aliena sunt à Deo, & ab ea lege, qua sanxit, *vt anima, quæ peccauerit, ipsa pereat*, quomodo autem libertas non desit creaturæ, vltima huius partis disputatione explicabimus.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Duplex difficultas resoluitur.

HACTENVS de primo capite: breuiores erimus de secundo & postremo, quæ iisdem argumentis probantur. Certum ergo statuimus ex mente Augustini, præter auxilium, *sine quo non*, seu gratiam habitualem, aliud datum esse actuale, seu auxilium *quo*, idque etiam tribus ex Augustino testimoniis euincitur. Primo genere testimoniorum constat dari aliquem actum gratiæ, & eùm elici nequeat solo auxilio possibilitatis, seu habituali, communi bonis & malis, dandum est aliud actuale, quo dicit Augustinus, Deum rexisse hominem, & Angelos: idque distinctius explicat ad finem Psalm. 44. *Regit nos, quia Rex est, ne cadamus: regendo autem non frangit nos; nam quos non regit, frangit.*

Hæc & alia loca Augustini detorqueri possent ad gratiam præuiam, subditam libero arbitrio, quibus exceptionibus non patet locus citatus ex duodecimo de Ciuitate cap. 9. vbi quærit Augustinus, vnde nam sancti Angeli, præ Dæmonibus, acceperunt præscientiam se non casuros, cum aliquando vtrique de hac re incerti fuerint? An ex diuerso creationis, & iustificationis beneficio; an ex merito? Et concludit non euasisse certos suæ miseriæ, aut

felicitatis, ex differentiâ gratiæ, in qua conditi sunt; sed quæ postmodum data est ad merendam gloriam, quæ negata est malis: & inde dicuntur malis cadentibus, *magis adiuti boni*, eodem instanti, quo mali demerebantur damnationem: nec hunc locum eleuat, quod dicit vndecimo de Ciuitate, *post malorum ruinam*, quasi hoc discrimen acciderit post malorum pœnam & bonorum præmium; illud enim significat tantum præmium bonorum successisse illorum merito, *ad quod fuerunt magis adiuti*, collato nempe auxilio *quo*, efficaci, quod malis negatum fuit: Ergo Augustinus agnoscit auxilium quo distinctum ab auxilio, *sine quo non*, necessarium ad meritum collatum bonis, malis Angelis negatum.

Ex totâ hâc disputatione, præter plura, quæ elici inde possunt, constare puto D. Thomam principia doctrinæ Augustini, eiusque mentem verius assecutum Iansenio, ac proinde nimis anxiè religiosos esse, & vano timore percelli, eos maxime, qui cum D. Thomæ se discipulos iactent, Pontificiis constitutionibus sensum Iansenij ex Augustino damnantibus, acquiescere nolunt, nec subiici; quasi calumnia sit aperta, suspicari Iansenium aberrasse à legitima S. Augustini interpretatione: vt cætera taceam, quæ hoc obsequium iure exigunt, non video, quâ ratione hanc contumaciam excusent, qui D. Thoma magistro gloriantur, nisi obtendant Iansenium Angelico Doctore felicius D. Augustinum fuisse interpretatum.

SECTIO TERTIA.

Argumenta à Posteriori, quibus Duæ Scholæ Thomistarum, & Recentiorum suam muniunt de scientiâ mediâ opinionem.

DISPVTATIONEM tripartitam instituimus: nam quidquid de hâc controuersiâ grauissimâ hactenus scriptum est, commode diuiditur in tres Argumentorum classes; primam à priori, alteram ab authoritate, & testimoniis, tertiam à posteriori, & ab effectis. Duas pro ingenij tenuitate partes absolui: supereſt postrema om-

nium intricatissima, quam si vellem pro rei amplitudine prosequi, congerenda huc esset tota Theologia; quia vix quicquam habet, quod eò referri non possit. Sed constituendæ sunt disputationi metæ, ne abeat in infinitum. Propositum implebo, si respondeam iis, quæ adhuc insoluta supersunt, ex disputationibus amplissimis, aduersus scholam nostram institutis. Ea vero non admodum multa sunt; quia fere omnia decurri quæ nos attingunt, præter 4. Disp. caput postremum, quo Caluinismus nobis impingitur. Quamuis responsio ad hanc accusationem fere occupata sit primâ nostrâ Disputatione ad duos Theophili Raynaudi libros, qui idem nobis consortium cum hæreticis obiicit, & iisdem probat Argumentis, quæ iam expediuimus.

Quamuis hi duo Authores sensu conueniant, & Thesi; multum tamen methodo disputandi, eruditione, & animo etiam in nos differre, credo me iam obseruasse: meique iudicij ipsius capitis postremi exordio luculentum exstat exemplum, cum Author accuratè à se amolitur obiecti nobis Caluinismi consilium, & suspicionem. Forte morosiores aliqui crederent illâ defensione sibi fucum fieri, & ista magis in speciem, quam ex animo scribi, quod eiurata verbis accusatio, totis viribus, & omni genere Argumentorum vrgeatur, & totius capitis series non admodum consentiat exordio. Ego ita sum comparatus, vt malim oculis meis omnem fidem abrogare, quam suspicari viros, quei à se discordes, aliud sentire, aliud loqui. Quidquid sit secretiorum cogitationum, remisso ad Deum inspectorem cordium iudicio, id vnum mihi permitto, vt nihil de aliis suspicatus mali, consulam mihi, & quam propugno causæ, ne mei candoris me pœniteat, & fraudi sit aliis fidem habuisse. Atque ita ex præscripto Euangeli, *ero consentiens cum Aduersario*, vt ille protestatus, se nolle Caluinismum obiicere, nihil omittit eorum, quæ accusationem grauissimam verisimilem faciant; sic ego nihil hostile de Aduersario suspicatus, illius conatus depellere enitar, quasi à manu beneuolâ excidium impenderet.

ARTICVLVS PRIMVS.

Refellitur Calumnia & ſuſpicio Caluiniſmi ab auctoritate.

TRIBVS omnino Argumentis hæc accuſatio munitur: primum ipſius Caluiniſtarum verbis; deinde Catholicorum teſtimoniis; poſtremo comparatione doctrinæ Caluiniſticæ cum noſtra. Paucis ſingula refellam.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Reſponſio ad teſtimonia Caluiniſtarum generatim.

BREVIS, & facilis ad iſtud Argumentum reſponſio in promptu eſt, hæreticis cum à ſeſtare Catholicorum aliquot gloriantur, fidem nullam haberi oportere: non certè magis, quàm illorum Magiſtro mendaciorum patri, cui ne in æternum credamus monet Sapiens, etiam ſalutaria in ſpeciem ſuggerenti.

Huic primæ reſponſioni, quâ generatim ſingulorum Caluiniſtarum teſtimonia refelluntur; addam duo ſummè obſeruanda; primum idem in Aduerſarios totum retorqueri, à conſenſu Ariminenſium. Nemo neſcit, factionem Caluiniſtarum diu in Eccleſiam concordem, ſchiſmate diuiſam, exordio huius ſæculi apud Holandos, orto, in duas Gommariſtarum, & Ariminenſium ſectas; atque huic diſcordiæ ſedandæ habitum Conciliabulum Dordrethanum, à quo vtriuſque partium damnata fides, nouáque à Caluini, & Bezæ aliena mente cuſa eſt, & ſancita præter morem Catholicæ Eccleſiæ perpetuum; quam cum ſanæ doctrinæ hæreditario iure tenacem, & Magiſtram Chriſtus inſtituerit, inauditum eſt, Oecumenica Concilia ad dirimendas controuerſias congregata, damnaſſe hinc & inde contendentium opiniones, & nouam ſanciuiſſe fidei doctrinam: quia nullam Eccleſia probat, niſi continuâ ſerie traditionis receptam, cui defuturos nunquam vindices Chriſtus promiſit aduerſus Prophanas

nouitates. Sed cum Hæreticorum Synagogæ, hoc maxime differant ab Eccleſiâ Catholicâ, quod hæc antiquam teneat & ſeruet, illæ nouam quotidie fidem confingant; hinc factum portento ſimile contigit, vt Dordrethana Synodus in Gommariſtas, perinde ac Ariminenſes anathema tulerit, & nouam fidem inuexerit ignotam contendentibus, ſuiſque decretis confirmarit.

Sed vtcumque ſit, certum eſt Caluiniſtarum Sectam in tres Gommariſtarum, Ariminenſium, & Dordrethani Conciliabuli diuiſam Sectas, primam & poſtremam ad cauſæ ſuæ præſidium Thomiſtas, Ariminenſium alteram ſcientiæ mediæ Patronos aduocare. Quos vero ex his Caluiniſmi aſſertoribus, putat Aduerſarius ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu longiùs abeſſe? Non dubito quin Gommoriſtas cum Dordrethanis damnandos in Ariminenſium gratiam pronunciet. Sed quis non videat, iudicium iſtud non carere graui, & iuſtâ, gratiæ & odij ſuſpicione, quod Gommariſtæ cum Dordrethanis in Thomiſtas proniores, ad decreta confugiant; Ariminenſes decretis infenſi vno ſcientiæ mediæ præſidio ſe tutentur?

Quid ad iſta dicent Catholici à partium ſtudio remotiores? Eodem loco reponent Ariminenſes cum Gommariſtis; & inde, vel nihil mali Thomiſtis creari ex Dordrethanorum in illos inclinatione, vel par periculum & damnum aſciſci dicent Recentioribus, ex Ariminenſium in illos ſtudio, & affectu. Quare vel deſerenda eſt hæc in Thomiſtas accuſatio, ex Gommariſtarum conſenſu ficto aut vero; vel ſubeunda eſt ſimilis ex Ariminenſium in illos conſentione.

Nodum iſtum exolui velim ſaluâ æquitate, neque ex præiudiciis propriæ ſententiæ; Ariminenſes Catholicos pronunciari; quia ſibi concordes ſunt, nec damnari Gommariſtas quaſi hæreticos, quod ad Thomiſtarum videantur partes accedere. Si contendas ita pronuntiandum, quod Tuuiſius, Molineus, Ameſius ex Thomiſtis arripiant Argumenta in Aduerſarios; ego huic iudicio intercedam, aut diuerſum feram, quod Iacobus Ariminius, & illius aſſeclæ Perchinſius, Arnoldus, Voſſius, Groſſius, Molinam laudent, Pennotum diu noctuque legant, Suarem ſibi in Magiſtrum & Patronum aſciſcant, quod ſcientia media ſit illis loco clypei & teli, quâ Aduerſarios de-

pellant & laceſſant. Si dicas Ariminenſes non lõge eſſe à regno Dei, & inde putes tua ſenſa commendari, quòd minùs ab illis factio Ariminenſis abhorreat: idem de Gommariſtarum in Thomiſtas propenſione præiudicium pro noſtrâ ſententiâ arripiam.

Igitur hîc æquo Marte æternum certabimus, niſi aliunde probes Ariminenſes, Caluiniſtas æquitate cauſæ Aduerſariis eſſe ſuperiores. Sed hoc non euinces niſi adiungas, vos longius quam Thomiſtas ab errore abeſſe, quod vnum noſtræ controuerſiæ caput eſt, hactenus non probatum, neque illâ conſenſione hæreticorum vnquam euincendum. Nonne præſtaret hîc votum pacis præferre, quam æternæ diſcordiæ ſemina ſerere, & fouere? Per me non ſtabit, quin perpetuam pacem ineamus in commune Eccleſiæ Catholicæ bonum, cum aliquâ noſtræ cauſæ noxâ, compenſandâ vtilitate religionis. Ego ſane nihil dubito polliceri, meo, omniumque Thomiſtarum nomine, Ariminenſes pro Catholicis nos habituros, ſi aliis erroribus abdicatis ad Eccleſiam redeant, quamvis ad partes Molinæ de gratiâ, prædeſtinatione, & libero arbitrio accedant. Sed à vobis exigo ſimile ſtudium pacis, nec vobis hæretici ſint Ameſius, Molineus, quamdiu de gratiâ, prædeſtinatione & libero arbitrio cum D. Thoma, Aluareſio, aliiſque Thomiſtis idem loqui & ſentire viſi fuerint; neque hoc nomine, ſi cæteros errores eiurent, ab Eccleſiâ excluſos velitis. Has vtrinque conditiones pacis acceptas habeamus, nec nimio præiudicatarum opinionum amore incendium, quo à multis annis flagrat Eccleſia Catholica moremur extinguere, vel augeamus. Per me non ſtabit, quin à mutuis accuſationibus, in Religionis Catholicæ perniciem, & Hæreticorum ſcandalum abſtineamus; nec Ariminenſes nos depellemus, quod ſcientiâ mediâ putent iter ſibi munire ad auitam Eccleſiæ fidem, dummodo vos eodem animo excipiatis Gommariſtas, & Dordrecthanos, ſi à ſuis erroribus patiantur decretis Scholæ Thomiſticæ, ſe ad fidem Catholicam trahi.

Licet iis conditionibus & præiudiciis credam ſoluta & contrita, quæ variis locis, ex Caluiniſtarum conſortio intorquentur in nos Argumenta; non tamen deſinam ſingula decurrere, iis reſponſurus, quæ aliquam Caluiniſmi in nos deriuare inuidiam poſſint.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Responsio ad primam Classem Argumentorum.

E' Quatuor Disputationibus, tertiam in Salmanticenses, & quartam in Ioannem à Sancto Thoma refellendas suscepi: primam, in Tuuisium, & alteram in Anonymum nihil moror. Paucis tamen amoliar præiudicium causæ, quod ex Tuuisij consortio asciscitur Disputationis primæ cap. 1. magno verborum delectu. Hæretici petulantiam validè & iustè castigatam, conuitia, quæ in Catholicos spargit frequentissima & atrocia, in illius caput intorta probo. Gratulor Aduersariis non deesse eloquentiam, quæ hæreticos exagitet, vt si quam voluptatem maledicendo perceperunt, eam male audiendo amittant; neque enim minus acribus verborum aculeis Tuuisius pungitur, quàm ipse Catholicos lacessiuerit: sed hæc nihil ad nos: Hæretici maledicentiam damnamus.

Ex toto capite vnum, quod ad rem facit, attingo; non magis reputare nos læsos aliquo huius hæretici ad nostra principia assensu, quam Aduersarios; quod cum illis & nobiscum de Trinitatis, & Incarnationis Mysterio conueniat. Quis enim nesciat hæreticos sic dici, quod Euangelium non eiurent in totum, sed seruatis pluribus Articulis alios abijciant, eâdem authoritate, & reuelatione diuinâ confirmatos? Certè si assensus hæreticorum fraudi nobis futurus sit; Sonciniani inde erroris eâdem similitudine veri coarguent nos, quod Trinitatis & Incarnationis fidem communem habeamus cum Lutheranis, & Caluinistis, quos Hæreticos habemus. Et ne quis causetur latius hanc defensionem patere, longiusque à nostrâ controuersiâ abesse; strictius respondebo in re subiectâ Tuuisium toto suo libro, vix meminisse Caluini; vnde iustam habeo conquerendi causam, quod illi affingantur verba singulari charactere exarata, quasi propria ipsius quæ apud illum non extant: *Caluini sententiam ruere, si doctrina de scientia media sarta tecta conseruetur.* Sed, inquies, loquitur Caluini Discipulus. Esto; sed hic non tam Caluini, quam Scoti discipulum se

profitetur. Nam aliquo sui libri loco scribit, Scoti subtilitatem sibi summe placuisse, & hâc de scientiâ Dei tractatione Diuo Thomæ anteponere, eumque sequi velut ducem, & Magistrum: vt si quæ ex Tuuisij consortio noxa timeatur, in Scotum, eiusque Discipulos cassura magis sit, quàm in Thomistas.

Prætereà id in antecessum obseruo Tuuisium, Amesium, aliosque Caluinistas fusè citatos Disp. quartæ cap. vltimo, Parag. primo, Scoto, aliisque Theologis Catholicis adhærere; omnisso ac pene derelicto Caluino, & libertatis nostræ concordiam cum auxilio gratiæ, cum scientiâ diuinâ, & decretis æternis repetere ab omnipotentissimâ virtute, quâ Deus res facit, eo, quo placet, modo, liberè, necessariò, aut contingenter. Monstrent Aduersarij Caluinum hanc ad tutandam libertatem viam tentasse, calcatam Augustino, Thomæ, Scoto, aliisque Catholicis: & tum concedam quod obtenditur, nullo probatur Argumento, hos Caluini Discipulos à Magistro non esse segreges; nec subinde ab Ecclesiæ filiis veris, esse Hæreticis accensendos, dum ita sentiunt & loquuntur; nisi ab iis, apud quos præiudicatarum opinionum amor inualescit aduersus antiquæ traditionis, & tranquillitatis Ecclesiæ Catholicæ studium.

De Caluinismo genuino multa dicta sunt à nobis Disp. prima, eiusque breuem synopsim dedimus: plura hic addemus, soluendis obiectionibus necessaria, & opportuna, & illius originem altius repetemus, varioque gradus hic Lector Christiane oculis subijciemus.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Caluinismi Anatomia seu Synopsis.

A Luthero ortum esse nemo ignorat, nisi rudis rerum superiori sæculo gestarum. Lutheranismi verò duplex, & Caluinismi quadruplex, aut, si velis, quintuplex omnino status distingui debet. Lutherus primo sui furoris æstu abreptus in Vuiclephum, in Priscillianos, & Manichæos concessit, & liberum arbitrium ex prædestinatione æternâ, omnino sustulit, inductâ Stoïcorum

necessitate. Hinc prodiit eo Authore liber cum monstroso Titulo *de seruo arbitrio*, cui præter alios respondit Erasmus, verus Lutheranismi parens: sed ægerrime tulit, quos in dæmone genuerat filios, eo vesaniæ progressos, vt hominem ad bestiarum infimam sortem detrusissent, eosque libello de libero arbitrio castigauit. Licet Lutherus primum contrà paternam castigationem contumax, errorem suum responsione ad Erasmum tutatus sit; postea tamen eum suæ insaniæ puduit, & pœnituit; non eruditione quidem & eloquentiâ Erasmi, sed incredibili Germanorum corruptelâ; qui relicta fide auita, ad Lutherum desciuerant. Rati enim, quod noui Euangelij Buccinatores inclamant verum esse, hominem à Deo institutum, aut certe peccato corruptum, non iam liberi, sed serui esse arbitrij, & libertatem humanam esse sine re Titulum, in omne scelerum genus sese præcipites dedere, & ita proiecti viuebant, vt opus fuerit Lutherum Germaniæ visitationem suscipere, Palynodiam canere, & quod homini abstulerat, liberum arbitrium restituere.

Hinc secundus extitit Lutheranismi status correcti, & emendati: & ideo Bellarminus agnoscit nullum cum Lutheranis de humanâ libertate disputandi locum superesse; quod omnium parens Lutherus, eiusque fidus Discipulus Melancthon, quam commentariis in Epistolas Pauli docuerat impietatem de seruo arbitrio, & de peccatis in Deum referendis, retractauerint, restituto homini libero arbitrio. Hic progressus fuit Lutheranismi libero arbitrio primum infensi, deinde vindicis, contra Caluini impietatem, cui placuit magis error quam retractatio Lutheri.

Neque vnus fuit Caluinismi status: quadruplex enim, aut si malis, quintuplex distinguendus erit: nam quoad statum innocentiæ, nihil de libertate cum decretis diuinis, & gratiâ efficaci stante docuit à mente Augustini, & à fide Catholicâ alienum: sed inde veluti rupes è monte delapsa, in infinitos se se errores præcipitē dedit; quorum primo gradu, & statu prædestinationis, & gratiæ, & fidei iustificantis vi, ad salutis opera sublatum est liberum arbitrium. Hunc errorem omnium deterrimum deffendit Beza, Caluini primo-genitus, & in pestilentiæ Cathedrâ Genuensi successor, colloquio Montpelgartensi, Gom-

mariſtæ in Hollandia illi mordicus adhæſerunt.

Hinc natæ ſunt acerrimæ Gommariſtarum cum Armînianis concertationes, quibus parata eſt via ad ſecundum Caluiniſmi ſtatum, Dordrecthano Conciliabulo conſtitutum: eoque prædeſtinationis Caluini primus rigor, variis remediis, & correctionibus mitigatus eſt: hoc maxime capite, quod arcanum prædeſtinationis & reprobationis, non ad naturæ integræ, vt interpretabatur Caluinum Beza, illius mentis certo conſcius; ſed à corrupta & originali peccato vitiata repetentes: deinde ipſummet Caluinum de libertate emendarunt, eius opinionem, de hominis ſtantis libertate, nihil efficacia decretorum, & auxiliorum læſa, ad ſtatum naturæ corruptæ voluerunt pertinere. Sed id mali ſui parentis emendatoribus contigit; quod abdicato de libertate errore, alios qui inde appendebant, de certâ prædeſtinatione, de perſeuerantiæ dono, & gratiæ, & fidei iuſtificantis incorrupto, omnium peccatorum ſordium patiente, nec minus meriti omnium bonorum operum impatiente, tanquam certa fidei dogmata, ſuis decretis ſanciuerunt: atque ita Caluinum, & Gommariſtas, hinc ſeruatâ libertate, inde Arminianos ſancito dono certo & incorrupto fidei electorum depulerunt, & damnarunt, & Caluiniſmum nutantem, & à fundamentis conuulſum fulcire conati ſunt.

Tertio ſtatu Arminianorum in Bezam, & Gommariſtas, & ſubinde in Caluinum pertinacia in purum putumque Pelagianiſmum Caluiniſmus mutatus eſt: quarto vero gradu Sonciniani Caluiniſtarum filij, Hæreticorum peſſimi, & deterrimi, ſublatâ fide Trinitatis, Incarnationis Chriſti, meritorum & gratiæ efficacis, Caluiniſmi ruinis purum Paganiſmum aſtruxerunt.

En Chriſtiane Lector paucis perſtrictam, ſuiſque coloribus depictam, omnium ſuperioris, & noſtri ſæculi errorum tabellam. Pluribus has Caluiniſmi & Lutheraniſmi mutationes probarem, niſi noſtræ genealogiæ ſeries notiſſima eſſet iis omnibus, qui à primo limine noſtri ſæculi conrrouerſias ſalutarunt.

Hinc valide depelluntur omnes ſummâ arte in Thomiſtas inſtructæ, de libero arbitrio cum Lutheranis & Caluiniſtis ſublato, calumniæ: falſum enim in primis eſt, & ex ignorantia hiſtoriæ de Hæreſibus ſcriptum, à ſolis

Arminianis mutatam Caluini & Bezæ de diuina prædestinatione, & gratiâ efficaci doctrinam. Quam enim Caluinus in statu innocentiæ liberi arbitrij cum diuinâ scientiâ, & prouidentiâ iniuerat, & à statu naturæ corruptæ sustulerat concordiam, Dordrecthani Patres Conscripti, & illorum vindices, Molinæus, Amesius & Tvuisius vtroque statu obstinere volunt, non beneficio scientiæ mediæ, quod contendebant Arminiani, & inde in Pelagianismum delapsi sunt; sed efficaciâ omnipotentiæ diuinæ cum Scoto, aliisque Theologis Catholicis; imo cum ipsomet Caluino, magis Catholicè de naturæ integræ, quam de corruptæ statu sentiente.

Quid ergo prohibet, quin Catholici in totum euaserint? Nempe, quia hoc Caluini errore de libero arbitrio correcto, quos inde deducebat de fide iustificante incorrupta, mordicus seruarunt. Hinc illis hæreseos lepra adhæsit, & falsa doctrina veræ intermixta: nam vt inquit, Augustino lib. 3. quæst. Euangelicarum cap. 40. *Vera falsis inordinatè permixta in vnâ disputatione, vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram, tanquam veris, falsisque colorum fucis humana corpora variantem atque maculantem.* Quid vitij seu lepræ Thomistis potuit adhæresscere, ex contagio Caluinistarum, eâ tantum parte, qua D. Augustinum, qua D. Thomam, qua ipsummet Caluinum de libertate status innocentiæ Catholicè sentientem, secuti sunt; aliis omnibus, in quos delapsi sunt, erroribus damnatis?

Ista vero ita se habere, neque gratis à me confingi, demonstro ex Bellarmini controuersiarum tota serie, veluti à loco argumentoso, quibuslibet testimoniis expressis, ad rem conficiendam efficaciori. Bellarminus, nedum Catholicorum diligens, & accuratus collector, vt malignè vocabat Antonius de Dominis, obscurandæ clarissimi viri gloriæ, sed egregius Author, nullam de prædestinatione cum Hæreticis controuersiam instituit: obiter tantum contra Bezam ex colloquio Montpelgartensi refellit, quod bonorum à reprobis factam electionem malit, ex natura peccato originali corrupta; & Bellarmini sententiam Dordrecthani Caluinistæ, improbato Beza, & Caluino, sanciuere: duo tantum ex Caluinisticâ prædestina-

tione infectatus est corollaria : prædestinationis, & donorum ex illa consequentium vi sublatam libertatem ad opera pietatis, & consecutam inde certitudinem iustitiæ præsentis, futuræ perseuerantiæ, & prædestinationis æternæ, & irrita inde fieri quæcunque ad salutem præparata media; baptismum paruulis inutilem, adultis bona opera, eorumque merita nihil conferre ad vitam æternam comparandam. Quid ad ista Dordrecthani, quid Molinæus & Amesius? Quoad primum de libertate, Augustinum, aliosque Catholicos secuti, à Caluino, vel saltem ab eius interprete Beza desciuerunt: atque hac parte Arminianis magis, quàm Gommaristis accesserunt; quoad cætera Caluino mordicùs adhæserunt.

Hinc facile est tenebras à luce secernere; quid boni & veri, quid falsi habeant relati Scriptores potest internosci, nec credo Aduersarios nostros adeo suarum opinionum domesticarum tenaces, causæ Catholicæ negligentes, quin habituri sint pro Catholicis Molinæum, Tvvisium, si correcto errore Caluini de sublata libertate vi prædestinationis, alios inde consecutos bono animo eiurarent: Atqui Caluinistæ Moderni cum Thomistis conueniunt tantum primo capite, aliis vero, perinde ac à Catholicorum cæteris in totum dissentiunt: ergo gratulandum nobis esset, quòd Heterodoxis viam muniamus, ad reditum in Ecclesiæ gregem & sinum.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Expenduntur sigillatim alia testimonia Hæreticorum.

IIs ita constitutis, adeo apertè & validè conuelluntur Argumenta ex testimoniis hæreticorum, vt superfluum videatur singulis respondere. Omnium vis, qua concluditur Paragraphus, hoc dilemmate continetur. Vel Amesius, Molinæus, &c. nesciuerunt quid senserit Caluinus, & quid sentiant Thomistæ, vel gratuito mentiuntur. Nihil horum: probe sciunt Caluinum multò cautiùs de libertate egisse, quoad naturæ sanæ, quam corruptæ statum; quoad primum conuenire cum Catholicis, & Thomistis: quoad alterum ab illis dissentire & errasse. Probant

Caluini opinionem de libertate naturæ ſtantis, improbant de ſeruitute, & neceſſitati naturæ corruptæ: Ergo quoad illud caput, nihil impedit quin Catholici ſint, & Auguſtiniani. Quid ergo inde noxæ importari poteſt Scholæ noſtræ ex eorum conſenſu in doctrinam noſtram? His munimentis præſtructis leui brachio depellemus calumnias Caluiniſmi in nos intentatas ex tribus capitibus.

Primum petitur ab hæreticorum teſtimoniis: Molinæus, inquiunt, in Anatome Arminianiſmi inſectatur Arminium, & Pontificios tanquam Caluino repugnantes, qui, vt ait, *Pelagianiſmum ità interpolarunt ſicut Arminiani Papiſmum*: Et cap. 37. num. 12. *Ait Arminianos de Ieſuitarum lacunis hauſiſſe, neſcio quas voces, reſiſtibilitatis, & irreſiſtibilitatis, quibus ingenia implicant*: Ergo hæreticis doctrina Recentiorum de ſcientiâ mediâ exploratrice futurorum, eſt Papiſmus, ſeu doctrina Orthodoxa: quamcumque aliam ſuam putant, ac proinde concordes ſunt Thomiſtis.

Hæc argumentatio nihil contra nos valet niſi ex falsâ interpretatione Hæreticorum, quibus res noſtræ parum compertæ ſunt. Non dicam Molinæum, quæ ex illo referuntur, non habere, quaſi hoc nomine inſectetur Pontificios, quod Caluino repugnent, quem ipſemet cum Dordrecthanis correxit, aut eius opinionem reuocauit ad Auguſtini gratiam per ſe efficacem: quod ſane illis magis laudi, quàm vitio vertendum eſt.

Reſpondeo ſecundò: totam Molinæi inſectationem aduerſus Catholicos Pontificios ortam eſſe ex ignorantia, aut falsâ interpretatione doctrinæ Catholicæ, quaſi cenſeamus omnes, non poſſe ſtare libertatem niſi depulsâ gratiâ efficaci Auguſtiniana, & loco illius aduocata ſcientiâ mediâ, quam ille doctrinam aperto mendacio Papiſmum vocat. Quid vero inde inferri poteſt, niſi falſo imputatus Thomiſtis Caluiniſmus? Abſit adeo graue dedecus ab Eccleſiâ Catholicâ, vt libertas ſeclusâ gratiâ efficaci Auguſtiniana, ſit communis ſenſus Catholicorum. Inde enim Hæretici iuſtam haberent cauſam diſceſſionis ab Eccleſia, & hoc ſaltem nomine, optime de omnibus meruiſſe cenſendi ſunt Thomiſtæ; quod iter hæreticis muniant regreſſus in Eccleſiam, depulſo timore Pelagianiſmi, quo vno deterreri poſſunt Hæretici, ne conſilia ſua in

meliùs referrent, & ad Ecclesiam rediret, quam sibi non possent persuadere Catholicam esse, si gratiam Augustinianam, id est, per se efficacem, seruandæ libertatis causa reiiceret, quasi cum illâ stare non posset.

Eadem est Responsio ad Amesium, qui vt refert Petrus à S. Iosepho Disp. 2. Sect. 7. de suaui concordia, miratur Bellarminum tribuere Caluino, & Zuinglio, quod putat ipse Thomistarum esse. Merito miraretur Bellarminum, si quamcumque viam ad rectam de gratiâ & libero arbitrio fidem periculosam diceret, nisi duce scientia mediâ ineundam; quia alia supereſt ab Augustino trita, & calcata: nec censendus est Hæreticus qui tanti Doctoris vestigia presserit, quod à D. Thoma eiusque Discipulis Sectione superiori factum demonstrauimus.

Nec verum est, quod ibidem aduertendum Lectori subjicitur; Hæreticos eo nomine Hæreticos esse, quòd negent libertatem gratiæ determinatricem beneficio scientiæ mediæ; sed quod in totum auferant, vt Lutherus exordio suæ hæresis, & Caluinus perpetuo: vel si admittant, vt vtriusque Heresiarchæ Discipuli, ab ipsa gratia efficaci manantem; hæretici sunt, vt illi fundamento astruunt varios errores de certa iustitia præsenti, perseuerantia futura, de fide iustificante. Quare licet principiis nobiscum conueniant, longissimè abiunt consecutionibus.

Atque hinc soluitur idem Argumentum aliâ formâ subjectum, cuius tamen eadem vis est, Caluinus & Caluinistæ dissentiunt à Tridentino, quoad libertatem. Respondeo non eâdem ratione differre: Caluinus quidem in totum dissensit à Tridentino decreto, ex vero illius sensu; quia, negat regeneratis veram libertatem, quam homini stanti concedebat. Amesius verò dissentit falsâ decreti interpretatione: quia putat eo statu, libertatem ex gratiâ à voluntate determinandâ, seclusâ gratiâ efficaci Augustinianâ. Nos Amesij interpretationem damnamus, sensum illius Catholicum patimur esse, emendato Caluino.

Si Christi Charitas vrgeret nos, nec obstreperet amor præiudicatarum opinionum; gaudendum esset quod Amesius non sit longe à regno Dei, cum statui naturæ corruptæ restituit libertatem, quoad actus tum bonos, tum malos, concessam à Caluino statui innocentiæ, & à Thomistis

ſtis vtrique ſtatui aſſertam, nec mirum eſt hâc parte Caluinum & Bezam à Diſcipulis emendatos, cum Lutherus & Melanchon eumdem errorem ipſimet retractauerint: & ſanè lætandum eſt, quod hæretici aliquam præbeant reſipiſcentiæ ſpem, pluſque boni poteſt illis accedere ex conſortio noſtro, quàm inde mali nobis timendum ſit; cum eâ tantum parte conueniant, quâ ſequimur Auguſtinum.

Ameſio adiungitur Tuuiſius: & quia Præfatione Caluinum laudauit tanquam *Dei Sanctum*; inde deducitur Caluinum in totum ſequi. Hæc obiectio nullam vim, ſicut nec ſuperiores, habet; niſi diſſimulata emendatione Caluini, quoad libertatem à Dordrecthano Conciliabulo, aliiſque Caluiniſtis huius Conciliabuli vindicibus, quos inter, præcipuus eſt Tuuiſius; vt id tantùm ad eorum ſalutem videatur optandum, ſtudium corrigendi, aut abjiciendi Caluini, quoad alios errores, quod iam præſtiterunt de libertate, quam ſtanti homini dederat, lapſo conceſſa.

Tuuiſio breuius excepto, adiungitur Theophilus Brachetus, vulgò Mileterij nomine notior, multiſque de cauſis mihi colendus, quem malim ſequi pœnitentem, quam errantem, & paſſim ceſpitantem, dum adhuc Eccleſiæ Catholicæ candidatus, totus eſt in quærenda concordiæ ratione ex voto pacis. Iam vero compertum mihi eſt, illum gratiæ efficacis Auguſtinianæ, ſecluſa ſcientia media, acerrimum vindicem agere. Nec in eâ caligine poſitum latere potuit Auguſtini mens, ſed verbis ex ipſo relatis aperte indicat hâc in parte: *Sedis Romanæ Sententiam priſcam nec dum immutatam B. Auguſtini definitiones amplexam, ſingularis gratiæ defenſionem videri retinere.* Cætera quæ his admiſcentur, caligine inuolutus ſcripſit; quale eſt illud, *contendere pleroſque omnes Catholicorum communem paremque gratiam cum iis communicari, apud quos diſpar interdum ſequitur effectus*: condonandum id hoſpiti apud Catholicos, nec ſatis rerum noſtrarum callenti, *dum*, ait, *pleroſque omnes Catholicos communem gratiam ab Auguſtiniana diuerſam defendere*; nec dum enim nouerat præter Dominicanos, omnes Patres excalceatos Carmelitas, & à Mercede Redemptorum, Academias Louanienſem, Duacenſem, ex Clericis Re-

gularibus Oratorij, Barnabitas, alioſque plures totos Auguſtinianos eſſe, & gratiæ per ſe efficacis aſſertores. Illud magis videtur ex caligine profectum, quod Concilij Tridentini emendationem tentet, quaſi eius decretum cum gratia Auguſtiniana non admodum conſentiat.

Atque his omnibus, eleuata, & ad noſtram cauſam apertè deducta ſunt teſtimonia ex Hæreticis, quibus non erat ignotus ſenſus Caluini, nec noſter, ſed Caluinum emendarunt correctione ſuauiſſima, quâ videtur à ſe ipſo poſt mortem emendatus, vti Lutherus à ſe ipſo ſuperſtite: quam enim conceſſerat ſtanti homini libertatem, nihil læſam anteceſſione aut efficacia decretorũ & conſiliorum Diuinorum, quæ ille ſtatus exigebat ex ratione communi prouidentiæ, & cauſarum ſecundarum cum primâ cognatione, paſſi non ſunt negari homini lapſo, & Diuinâ gratiâ adiuto. Quâ re Thomiſtæ ſunt & Auguſtiniani, perinde ac Catholici, non Thomiſtæ hæretici euaſerunt. Vtinam quo ad cætera ſaperent: ſed neſcio an aliqui tam moroſi ſint, vt malint in errore pertinaces, quam hâc lege ad Eccleſiam, & ad bonam mentem redire.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Reſponſio ad 8. Teſtimonia ex Catholicis.

SED contrà noſtrum ſenſum, videntur Catholicorum nonnulli incurrere: ex Antiquioribus Vualdenſis, ex ſuperiori ſæculo, Sotus noſter, ex iſto Cardinales Bellarminus, Baronius, Epiſcopus Bellicenſis, ex Dominicanis Campanella, ex Thomiſtis Gonzales, & Ioannes Vincentius: Hi omnes vno ore pronuntiant nihil omnino Catholicis eſſe poſſe cum Caluiniſtis commune, & qui iſtos pro Orthodoxis habent quoad libertatem, de decretis diuinis ſecluſa ſcientia media, Caluiniſtis eſſe accenſendos: nec ſpem vllam eſſe curationis malorum niſi abdicata decretorum efficacia, & eorum loco ſuffecta, & aduocata ſcientia media exploratrice: hæc ſumma eſt argumentationum Parag. 1.

Ad iſta primùm vniuerſim Reſpondeo diminutam eſſe inductionem exemplorum, aut teſtium, ad rem confi-

ciendam, ſtantibus contrà Catholicorum pluribus: & omnium nomine Lorcam audiamus, licet aliàs Scholæ noſtræ infenſum, abdicatis præiudiciis ſatis æquum. Quam libet contendant multi ab efficacia Diuinorum decretorum male repeti libertatem, quoad bonos, maloſque actus; ad minus eam ſententiam probabilem euadere ſuffragiis, tot virorum doctiſſimorum, & rationum momentis fultam, & Aduerſariorum regulis probabilitatem authenticam ex vnius aut alterius Doctoris ſuffragio, & rationalem ex argumentis veriſimilibus aſciſcentium.

Reſpondeo ſecundo; primum ex his Scriptoribus, & fere omnes, non bonâ fide, & præter illorum mentem, atque extrà ſubiectam theſim referri. Nodus enim difficultatis in eo poſitus eſt, an voluntatis libertas ſtare poſſit cum decreto & auxilio per ſe efficaci; nec ſalua eſſe queat; niſi ex gratiâ à voluntate ſuſpensâ ſcientiâ mediâ directrice. Id vnum Vuiclefus contendebat, omnia ex decretis Diuinis neceſſario agi, in quem ſcripſit Vualdenſis coætaneus illi, & ex Angliâ conterraneus, magnum ſuæ Patriæ & Familiæ Carmelitanæ ornamentum. Nec Thomas Brauardinus, eiuſdem nationis, & ætatis, à Vualdenſi diſſentit, quem hæreſis accuſatum non lego niſi ab Aduerſariis, Argumento leuiori, quàm vt tanto viro pro cauſâ Dei contrà Pelagium validiſſimè pugnanti, adeo atrox malum creari poſſit, quod ab Amefio, & Tuuiſio, de hâc Caluiniſmi parte abdicatâ cum laude, ad ſui ſenſus patrocinium aduocetur. Nam ſi hoc tantum nomine Ameſius & Tuuiſius ab Eccleſiâ Catholicâ ſegreges ſint, quod ſtare putent libertatem efficacia Omnipotentiæ Dei, quæ plura efficiat, quàm cogitatione poſſimus aſſequi; Næ illi à doctrina Eccleſiæ cenſendi eſſent minimè aberrare, neque à conſortio piorum excludi conueniret; ſi bona fide, abdicatis aliis erroribus, ab hac Auguſtini mente ſe abripi non paterentur. Neque adeo durè cum illis agendum eſſet, vt in Catholicorum ſocietatem niſi eiurata illa opinione non admitterentur. Cæterum Vualdenſi (& idem eſt de Soto iudicium) id vnum contendit, & à Vuiclefo, aliiſque aut hæreticis, aut Theologis poteſt exigere, quod Caluinus admiſit de ſtatu innocentiæ, & de naturâ corruptâ inconſequenter ad ſua principia, & hæreticè negauit, libertatem cum decre-

tis, & auxiliis Diuinis conciliari posse, vel ea abdicanda, si nequeant nisi noxia libertati ea intelligere & tutari; eosque, ait meritò Vualdensis, qui secus sentiunt, periculosè Philosophari.

Hoc idem præ se ferunt verba ex Soto relata libro de Naturâ & Gratiâ cap. 15. *Inter Catholicos se audiuisse dogma*, hoc nempe Vuiclefi *asserentes, Deum quadam nos vi ac necessitate ad se pertrahere; ita vt in nostra conuersione merè nos habeamus passiuè, & receptiuè, de quâ idcirco Sacrosancta Synodus Sessione sextâ.* His verbis adhibetur interpretatio Vuiclefi, & Theologorum, quos meritò carpit Vualdensis. Nec quod eodem capite addit Soto, negamus; *è duobus, quos Deus paratissimus est aque conuertere; præsentissimáque misericordia aspirat, reddendam causam proximam, cur hunc trahat, illum non trahat; quod alter præbeat assensum, & cooperetur, alter minimè.* Consulto Sotus causam proximam assignat huius discriminis, non primam radicem: absit enim à Theologo Augustiniano, & Thomista, vt in voluntatem creatam referat, id de quo Paulus quærit, *quis te discernit?* Et ipsemet Sotus arcanum illud explicat, distinctione sensus compositi, id est, iungentis assensum cum dissensu, quod repugnat, & sensus diuisi, cum consensu potentiam seruantis ad dissensum. Nec verum est, quod obijcitur ex Soto, illum loqui de concursu Dei simultaneo, qui nihil differat ab actione causæ secundæ, non de præuio, quia hanc suppositionem, seu necessitatem consequentiæ repetit à libera in nobis mutatione, qualis non est, inquiunt, præuia, sed simultanea. Respondeo enim, mutationem ex præuio concursu subiectiue, seu vt in potentiâ recipitur, necessariam, actiuè quoad terminum liberam esse; quia confertur ad liberè agendum.

Sotum sequuntur Cardinales duo celeberrimi Bellarminus, & Perronius, qui Thomistas quoad hoc caput de libertate, cum Caluinistis concordes, scripto, aut voce, referuntur esse testati. Omitto, illos scripsisse, aut loquutos ante Dordrecthanum Conciliabulum, quo correctus est Caluinismus. Quod ad Bellarminum attinet, tria breui respondeo; primum, ex iuris formulis ab hoc iudicio illi abstinendum, aut semouendum, quod illius sit instituti, à quo Molinæ causa suscepta sit, communibus suf-

fragiis; & cum à Maiorum imperio, non putaret se purpurâ exemptum, merito creditur communi causæ, ex obedientiâ subscripsisse, magis quàm suo arbitrio. Hæc prima responsio vim habet ab alterâ, primis suorum operum editionibus, magis fuisse propensum in sententiam, quæ D. Thomæ certò, & probabiliùs D. Augustini reputabatur: sed in re non omnino indubitatâ apud se, proprio iudicio antiquiorem fuisse auctoritatem maiorum, & sui instituti causam.

Dico tandem, iudicium vltimo practicum ad omnes actus, tum bonos, tum malos ex Sanctis Bernardo & Thoma approbasse, in quod recurrunt eædem prorsus difficultates, quæ de gratia efficaci, & libertate vrgentur: nec possunt euinci, nisi eisdem distinctionibus sensus compositi, & diuisi, necessitatis consequentiæ & consequentis, seu absolutæ & infallibilitatis, & secundum quid, quibus Thomistæ eleuant Argumenta ex gratia efficaci.

De Cardinali Perronio multa superiori Sectione dicta sunt: quibus addo, quod refertur Paulo V. spopondisse, si Thomistarum opinio obtineret & sanciretur decreto Pontificio, se omnes Galliæ Caluinistas ad illius consensum, & ad Ecclesiæ fidem deducturum; vel ita exertè Cardinalis eruditissimus, & iuxta sapientissimus promisit, quasi eo capite de libertatis cum gratia efficaci concordia constituto communibus votis, nihil supereesset controuersiarum, de Prædestinatione certa, de Fide iustificante, & incorrupta, de Primatu Petri, &c. Vel solùm de eo capite non amplius litem moturos. Hoc secundum vltro concedam, quia Caluinum diximus ea parte à Discipulis emendatum, nec longe abesse à sententia Thomistarum, quam merito putant, mentis Augustini veram esse interpretationem. Ad primum caput, quod latius patet, dico non potuisse Perronium nisi temere id polliceri (quod longe abest à viro Sapientissimo) quia plura in se recepisset, quàm potuisset præstare.

Quod ad narrationem attinet, de eiusdem Perronij cum Patre Lemos à Ioanne à S. Thoma exscriptam, de vera Caluini mente quoad humanam libertatem, plura dicam Articulo sequenti: interim moneo, nos in Cardinali Perronio infinitas mirari dotes, nec vllum validius, & felicius illo tum voce, tum scriptis, Caluinistas (ex qui-

bus fuerat ortus) profligaſſe. Sed hactenus apud ipſum non legi, hanc de prædeſtinatione & libero arbitrio Controuerſiam ea vbertate Doctrinæ, & vi Argumentorum, qua cęteras, pertractatam; vt mirum, aut incredibile non ſit viſum non improbaſſe, quæ de hoc argumẽto dixit Lemos. Veriſimilius exiſtimo, virum prudentiſſimum noluiſſe hac de re tum agere, per tranſennam delibatâ, ne grauiſſimum conſeſſum alio auocaret.

Epiſcopi Bellicenſis laudatiſſimum temperamentum probo, & diſcrimen inſinuatum inter Thomiſtas, & Caluinianos: hos caſtigato Magiſtro nobiſcum conuenire, iam obſeruaui, niſi quod Ameſius, & alij, damnent erroris opinionem, à noſtrâ diuerſam, nos à cenſura abſtineamus: neque ſimus interceſſuri Armenianis, regreſſum in Eccleſiam rogantibus, ſeruata opinione Recentiorum. Idem beneficium pro Dordrecthanis Caluiniſtis poſtularemus, ne Aduerſarij eorum ad Eccleſiam reditum morarentur: ſi cæteris erroribus abdicatis, vellent ſibi permitti ſententiam Auguſtini, & Thomiſtarum de Prædeſtinatione gratuitâ, & gratiâ per ſe efficaci ſeruare. Neque enim ita ſumus noſtris ſenſibus addicti, quin patiamur, & vltro expetamus, ea lege omnium concordiam iniri.

Superioribus quinque ex Dominicanis, accedit Campanella, quem non admodum moramur, neque miramur ita temere ſcripſiſſe de noſtris dogmatibus, cum non dubitauerit Ariſtotelis Philoſophiam damnare, quaſi ignorantiæ humanæ limitem, neque à brutorum ſtupore longè abeſſe ſcripſerit, nec lectum vnquam D Thomæ Ariſt. quod ſuarum eſſet conſtitutionum obſeruantiſſimus, quibus cauetur: *Ne fratres noſtri libros gentiles legant.* Quod vero liber Campanellæ, quo iſta effutit, duorum ex Dominicanis Theologorum Pariſienſium Patrum Ioubert, & Mallet, ſuffragiis, & commendatione munitus in lucem prodierit; id factum dicimus, eo animo, quo à Thomiſtis Scotiſtarum libris non negantur huiuſmodi teſtimonia; quamuis ab illorum ſententiâ abhorreant, & toti ſint in Scoti contra D. Thomam confirmandis opinionibus ab Eccleſia permiſſis.

De Gonzale & Ioanne Vincentio nedum Dominicanis, ſed etiam Thomiſtis, vniuerſim dico; mirum non

esse, si vnus aut alter è nostris à communi Scholæ doctrinæ exerret, aut ab aliis dissentiat, cum relati sint è Societate quatuor, aut quinque eruditissimi Theologi, Pererius, Azorius, Marcus, Henriques, Tiphano, qui improbata scientiâ mediâ, Molinæ, & Societatis, prædefinitionibus absolutis, & gratiæ efficaci Augustinianæ mordicus adhæreant, de Gonzalis opinione diximus Disputatione superiori. Certum est, illum pro gratiâ per se Physicè efficaci, contra scientiam mediam, acerrime pugnare. Si quid videatur scripsisse contra Aluarem, ex dissidio priuato natum est, saluâ causâ communi, quòd gratiam præuiam nolit in motione virtuosa, aut qualitate, sed in actibus indeliberatis, qualis est intentio finis, positam esse: quæ dispurari non minus possunt, illæsâ doctrinâ communi, inter Thomistas, quam à Suare, & Vasque disceptatur acerrimè, an Deus futura contingentia attingat in decretis futuris, aut præsentibus; & aliis id genus prope infinitis controuersiis domesticis perstrepunt Scholæ Aduersariorum, sartâ, & tectâ scientiâ mediâ, & causâ communi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Depelluntur Argumenta ex collatione principiorum Caluini cum nostris.

HACTENVS ex testimoniis Auctorum, frustra tentata est concordia Thomistarum cum hæreticis. Nunc alia initur Argumentatio, à collatione nostrorum, cum hæreticorum principiis. Quamlibet vero intricata sint, quæ eiusdem Capitis vltimi Paragrapho tertio depromuntur, per viginti fere paginas, & variis Caluini locis Argumentorum mirâ arte confecta, & pari in nos vi intorta; præter responsiones varias, quibus illa huius operis initio excepimus, dissiliunt planè distinctione explicatâ, diuersorum Caluinismi statuum, & ipsiusmet Caluini à seipso discordiâ, vel à Discipulis emendatione facta.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Obseruationes quibus ad omnia Argumenta generatim respondetur.

POSSVMVS à fusiori & exactiori examine Paragraphi supersedere ne actum agamus, & Lectorem fatigemus, iteratis pluries iisdem responsionibus. Ne tamen videamur vllas difficultates subterfugere, & nobilissimos Thomistas, Thomam Lemos, & Ioannem à sancto Thoma acerrimè lacessitos, deserere indefensos; propugnabo tria, vel quatuor ab illis constituta discrimina Scholæ nostræ à Caluinistis, perstricta paucis, notione libertatis, quam suprà fusius prosecuti sumus.

Obseruandum est igitur, libertatem communi omnium sapientum sensu, nec repugnantibus Aduersariis, definiri à Diuo Thoma, *vim electiuam*, quæ ad voluntatem, quâ natura est, & vt loquitur S. Doctor, quâ boni in commune, & vltimi finis fruendi capax vel compos est, perinde se habet, ac ratio discursiua ad intellectum primis principiis addictum. Comparationem fusè aliàs explicuimus: ex quâ fit primo, ad libertatis vsum, seu electionem mediorum ad finem, seu boni priuati ad commune, & infinitum, requiri cognitionem, quæ rei eligendæ merita ponderet, cum aliis conferat, & ex ea conditione iudicet sibi conuenientem esse, non tamen necessariò amandam, quòd finita sit, aut malo permixta, vel si infinita polleat bonitate, obscurè innotescat. Hinc fit secundo, actibus primo primis, & indeliberatis, deesse libertatem idoneam ad malitiam, aut bonitatem moralem, quod absit mentis ponderatio: Atque ex illo capite repetitur primum discrimen Caluini, ab omnibus omnino Catholicis; quod velit actibus indeliberatis quibuscumque inesse peccati malitiam, quamvis libertas in illis desideretur, vitio cognitionis subitæ & præcipitis, quæ non satis ad veram libertatem rei merita attendat; sed obuersetur tantum animo, vt boni prosequendi, aut mali fugiendi speciem præfert, nullâ attentâ contrarij, quod insit, ratione:

Hac dote ſublatâ, quam cæteris ad libertatis vſum præire oportebat, omnes funditus euertuntur. Nam ex maturâ, & ſeriâ cognitione rei eligendæ, in voluntatem deriuatur, aut potiùs illi innata eſt vis actionum rectrix, & rerum Domina, quæ licet nequeat (quia id fieri omnino repugnat) aſſenſum diſſenſui iungere, & vtrumque actum eodem momento elicere; quo tamen inſtanti aſſentitur, & eligit, potentiam priùs naturâ habet ad diſſentiendum, quo ſenſu dicitur, poſſe voluntatem præuentam, reuerâ actum quem elicit, ſuſpendere.

Hinc ſecundum exiſtit diſcrimen Caluini à Thomiſtis; quia nullam agnoſcit potentiam ad diſſenſum, in voluntate ad actum oppoſitum præuentâ, niſi abiecta præmotione: & inter Sophiſtarum commenta accenſet, cum diſtinctione ſenſus diuiſi, & compoſiti, potentiam illam ad actum oppoſitum infallibiliter, & neceſſitate conſequentiæ, cum elicito aut eliciendo. Neque illud arcanum reponi debere Myſteriorum loco, quæ credi oporteat, nulla vero ratione comprehendi, aut concipi poſſint, duorum Illuſtriſſimorum è Societate Cardinalium Bellarmini; & de Lugo teſtimoniis luculentiſſimis demonſtro.

Primus quidem lib. tertio de libero arbitrio cap. 8. conſtituit iudicium vltimo practicum, ad quod infallibiliter conſequatur actus voluntatis, illæſa libertate. Cur ita? Nempe quod ipſum iudicium aut Imperium practicum, aliquo genere cauſæ, & vt loquuntur Theologi, inſtanti à quo prius ſit, & poſterius actu voluntatis, à quâ vt à radice prima libertatis, & motionis quoad exercitium vim imperandi hauriat; alio verò genere cauſæ formalis, dirigentis, iudicium voluntatis actum antecedat. Atque hac mutua prioritate, & dependentia firmatur libertas infallibilitati coniuncta.

His accedit ſuffragium Cardinalis De Lugo: quamvis enim improbet genus illud prioris, & poſterioris ſecundum diuerſam cauſarum ſeriem; vltrò tamen agnoſcit, ſi obtineat illa mutua dependentia, & inducatur, vt ſolent Thomiſtæ in ſubiectam quæſtionem inter Dei mouentis, & cooperantis cauſæ, ac voluntatis creatæ concurſum ad agendum; ſaluam fore, & tutam libertatem humanam, à quibuſcumque laceſſiri poſſit telis & Argumentis, idque beneficio mutuæ cauſalitatis, & depen-

dentiæ in diuerso genere principiorum, quod à Deo, vt fonte totius libertatis prodeat actio voluntatis alio genere causæ, & instanti à quo prioris; sicut iudicium vltimò practicum similem habet cum actu voluntatis causalitatem, & dependentiam. Ergo duorum non minus eruditione, quam dignitate Eminentissimorum Scriptorum ex Societate præsidio, tuti sunt Thomistæ, à cæterorum insectationibus, & censuris, de libertate cum Caluino extincta vi decretorum & auxiliorum Diuiuorum. Bellarminus quidem suppeditat exemplum iudicij practici, omnino quæstioni nostræ conueniens. Alterius Cardinalis testimonium, licet in speciem minus faueat causæ nostræ, validius tamen reputo ad depellendum Aduersariorum impetum: quia non dubitat eâ Antecessione, & Consecutione causarum concessa, saluam fore libertatem; sed contendit, ne tantum nobis extruat munimentum, huiusmodi dependentiam esse commentitiam.

Quis vero nescit Peripateticam esse, & Aristotelis & D. Thomæ principiis connexam? His ergo testimoniis tecti & tuti Parag. tertij Argumenta refellemus; quidquid enim obijcitur, vim habet ab ignorantia, aut verius dissimulatione historiæ Caluinismi à Discipulis emendati, & mutuæ illius dependentiæ ac prioritatis, concursum Dei inter & nostrum consensum, atque explicatæ notionis libertatis, quæ tria si præ oculis habeamus, concident Argumenta, quamlibet valida, & probabilia videantur.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Responsio ad Argumenta de Libertate quoad actus bonos.

EXORDIVM Disputationis sumitur à modestâ, & laudandâ Præfatione; nihil prorsus definiri, sed suspenso iudicio Disputationem aperiri, more dubitantium expectando solutionem. Hinc fit progressus ad duo, quæ Argumentationibus præstruuntur fundamenta; Primum est, Caluini, & Caluinistarum errorem duplicem esse de libero arbitrio, & de causa peccati, & vtrumque ab Ecclesia damnatum. Quod ita apertum asseritur, vt,

si repugnare aliquis velit, ac dicere, in neutro, vel in altero tantum Caluinum erraſſe; accuſare illum neceſſe ſit Eccleſiam Romanam, cuius hactenus commuuis ea fuit, atque indubitata perſuaſio. Ita eſt. Sed cur diſſimulatur, quod ad vtrumque caput correctum Caluinum à ſuis, aduocata ad ſtatum naturæ corruptæ opinione de libertate, quam volebat ſtante naturâ integrâ valere quoad actus quoſcumque tum bonos, tum malos? Neque, ſi ita cenſeamus, timendum eſt, quod in nobis intentatur malum, ne videamur incuſare Eccleſiam, & Tridentinum Concilium: quia damnauit primum Lutheri de ſeruo arbitrio ab ipſomet emendatum, & perpetuum Caluini de eodem capite à Diſcipulis correctum errorem.

Sed inquies poſt Dordrecthanum Conciliabulum, & Caluinum, aut emendatum, aut vero ſenſu Thomiſtarum explicatum, Caluiniſtas putare decreto Tridentino ſe peti. Ita eſt: ſed ex falſa Tridentinæ definitionis interpretatione; exiſtimant enim Sacroſanctum Concilium, non aliam agnoſcere libertatem, quàm quæ ab auxilio Morali, vel Phyſico poſſibilitatis, à voluntate creatâ, vt à primâ radice ſuſpenſo, & ab illa determinando profluat, ac proinde libertatem perimi ab auxilio quo actionis, voluntatem determinante, & Auguſtiniano, quod âmente, & maieſtate Concilij, aliàs demonſtrauimus eſſe alieniſſimum. Eo itaque decreto Concilij agnoſcimus reuerâ damnari primum Lutheri retractatum, & Caluini pertinacem errorem, de ſublata libertate auxilio efficaci Auguſtiniano; quo niſi ſublato, nullam agnoſcebant potentiam voluntatis ad diſſenſum, & ideo diſtinctionem ſenſus compoſiti & diuiſi, vt Sophiſticam ridebant, niſi ſuo ſenſu explicatam.

Secundum quod præmittitur fundamentum ad Argumenta, eſt, hîc non agitari verborum, ſed rei grauiſſimæ diſputationem, niſi ipſemet Caluinus, quas ſcribit ſe abominari λογομαχίας hîc affectarit, à quo illum crimine abſoluimus, quia reuera de rebus quæſtio eſt, nempe de vera libertate à Caluino quo ad actus bonos, maloſque ſtanti homini conceſſâ, & negatâ lapſo. Quare fruſtra tereremus tempus, reſponſione ad quatuor Argumenta, quæ id vnum probant, quod vltrò damus, de verâ libertate contrà Caluinum agi à ſuis caſtigatum, & à Concilio iu-

ſtiſſimè damnatum. His præmiſſis,& ita conſtitutis, poſſemus abſtinere ab his ſoluendis, quæ contrà differentias à Thomâ, Lemos, & Ioannes à S. Thomâ inter Thomiſtas, & Caluiniſtas conſtitutas, magno apparatu obijciuntur, quia ab illis tutæ ſunt & immunes duæ à nobis explicatæ, ad quas facile eſt reuocare, quatuor ex nominatis Thomiſtis relatas.

Fateor Hiſpanis Theologis, minùs familiares, & notos fuiſſe libros, & errores Caluini, quàm noſtratibus; quibus longa, & neceſſaria interceſſit concertatio cum hæreticis, vt mirum non ſit, minùs dilucidè ab illis explicatum diſcrimen, quo à Caluiniſtis ſeiungimur. Non tamen adeo aliena ſunt à vero, & à mente hæreticorum, quæ ex vtroque Hiſpano Theologo referuntur, nec adeò efficacia quibus impetuntur Argumenta, vt non poſſint facilè ad verum ſenſum trahi, & ab inſectationibus defendi.

Vera itaque eſt prima reſponſio, Caluinum vtroque ſtatu lapſæ, & integræ naturæ, decretum poſuiſſe antecedens; hoc diſcrimine, quòd primo rerum ordine fuerit neceſſitans, ex multiplici capite; Primò ob naturæ corruptelam, quâ putauit funditus ſublatum liberum arbitrium; Secundò, quia ad actus bonos, & malos moraliter, non præmiſit ponderationem mentis, qualem libertatis vſus requirit. Tertiò non ſeruauit potentiam ad diſſenſum vllo ſenſu, neque etiam diuiſo; & cum ſalutem velit conſtare ſolâ fide iuſtitiæ præſentis, futuræ perſeuerantiæ, & prædeſtinationis æternæ, hanc fidem ſeu fiduciam vel perſuaſionem triplicis promiſſi, aut beneficij Diuini perinde putauit neceſſariam, ac viſionem rei, cum oculo ſano, & aperto ſubijcitur: Ergo ex omnibus capitibus Caluinus inducit decretum, & auxilium neceſſitans.

Nec refert, quod alibi forte aliud agens, videatur ſecus loqui, & ſentire, cum iis locis, quibus libertas ſancienda erat, omnimodam ſtatuat neceſſitatem. Nam is eſt hæreticorum, qui & phreneticorum loquendi mos, vt per interualla aliquantulum ſapere videantur, & interdum aliquid illis excidat veri: ſed vbi ſanæ mentis, vel minimum ſignum dedere, ſtatim redeunt ad inſaniam. Quid ſimile contigit Caluino l. 1. inſtit. c. 16. §. 9. non ni-

hil ſapit dum probat, *nec temere*, ait, *in Scholis inuentas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundum quid, & abſolutâ, item conſequentis, & conſequentia.* Sed phreneticorum more, non ſibi conſtat, & ad ſolita deliria relabitur. Atque has diſtinctiones veluti tricas, & nugas ridet. Vnde ex hoc Caluini loco, nihil aliud colligi poteſt, quàm ſicut inſanientium verba, ita deliria hæreticorum non carere aliqua veri ſpecie, & præbere interdum bonæ mentis ſpem, ſi ſibi conſtarent. Quare, cum ex illo loco arguitur, neceſſitatem, quam Caluinus ex Dei decreto deriuari putat, eſſe neceſſitatem conſequentiæ, qua neceſſitatem conſequentis excludat; Reſpondeo Caluinum in ſtatum naturæ integræ admiſſiſſe tantum neceſſitatem conſequentiæ, in noſtrum inuexiſſe etiam neceſſitatem conſequentis, qualis competit voluntati elicienti indeliberatos actus, aut quoſlibet alios eâ neceſſitate, quâ oculus apertus, & validus percipit rem ſibi ſubiectam. Eadem enim ratione ait Caluinus electum credere, ſe iuſtum eſſe & perſeueraturum. Inde id conſtat, quod fiduciam prædeſtinationis ponat indubitatam.

Eadem eſt Reſponſio, & ex iiſdem exemplis, ad aliud, quod obijcitur de coactione. Neque enim aliam ab illâ immunitatem exigit, quam quæ inſit actibus indeliberatis. Perinde enim illi eſt ad bonos, maloſque actus, & ad vitam, aut mortem æternam in præmium, vel pœnam illis commerendam, an indeliberati, an deliberati ſint actus; quia parem vtriſque vim aſſerit ad ſalutem, & ad damnationem.

Eâdem obſeruatione, & notione libertatis, defenditur ſecundum diſcrimen conſtitutum à Thomâ Lemos; Caluini decretum, & auxilium, non eſſe prædeterminans, ſeruando libertatem; quia non curat de iudicio indifferenti, & deliberato ad bonos, vel malos actus, nec vllam agnoſcit potentiam ad diſſenſum in voluntate ſenſu diuiſo, vt eſt ſubpræmotione ad conſenſum, qualem nos ſeruamus, & defendimus ex Delugo, conſtituta mutua dependentia & Anteceſſione ſecundum diuerſam cauſarum ſeriem, quâ ſtante agnoſcit Delugo ſaluam eſſe libertatem, nec proinde de verbis diſputari.

Verum eſt etiam tertium diſcrimen, quod addit Ioannes à Sancto Thoma, legitimo ſenſu explicatum; Tho-

missas admittere decretum non solùm excitans cum Pelagianis: nec solùm mouens cum Caluino, sed etiam excitans iudicio indifferenti, & mouens. Licet enim à Dei regimine in hominem Caluinus non excludat cogitationes; nihil tamen curat indeliberatæ sint, an deliberatæ, & vsui libertatis accommodatæ: imo eò meliores putat, quò fortiùs, & magis necessariò persuadent electis, se iustos esse, prædestinatos, & perseueraturos; Et tum maximè ad iustificationem conferre, cum ea persuasio tantâ necessitate innititur, quanta inest oculo aperto rem sibi subiectam percipienti.

Verum est tandem etiam, quod addit Ioannes à sancto Thoma, quartum discrimen; Caluinum agnouisse efficaciam gratiæ effectricem libertatis in homine integro, eamque negasse homini lapso: atque illâ assertione à veritate, à Thomistis, & à seipso dissentire, meritò à suis deseri, & à totâ Ecclesiâ damnari, à quâ consequutione, cum abhorreamus ab Anathematismo in illum lato, tuti sumus.

Dices Caluinum contra veram Theologiam, & fidem impegisse, & hunc errorem debere in aliquam ex præmissis referri. Ita est, ab illo enim dissentimus, quòd velimus, efficaciam diuini decreti, stante innocentiâ, nihil ex ipso aduersam libertati, pertinere ad naturam lapsam à Deo præuentam, & adiutam; non vero quod noluerit liberam esse actionem necessitate consequentiæ tantum elicitam, quales sunt nostræ: nam hominis stantis actiones ex auxilio diuino vult necessarias esse tantum necessitate consequentiæ: hominis vero lapsi, vult ex vtroque capite consequentis, & consequentiæ necessarias esse; qualem inesse putat necessitatem actibus indeliberatis, oculo visibile, & coloratum subiectum inspicienti. Cui exemplo comparat fidem, & fiduciam electorum, sibi persuadentium, se iustos esse, & perseueraturos. *Vide* Bellarm. l. 3. de Iustific.

Ex his ergo differentiis à Lemos constitutis, nostram inter, & Caluini sententiam, euidens est, nihil nobis esse commune cum hoc Hæresiarchâ, quoad primum caput de bonis actibus liberis, nec discrimen esse verbis tenus, & rebus procul, cum libertatem ab illo assertam statui innocentiæ, exclusam à naturâ lapsâ, pertinere conten-

damus re ipsa ad vtrumque statum, vi omnipotentiæ diuinæ libertatem conciliantis cum efficaciâ gratiæ: vtrobique enim eandem stabilimus concordiæ causam; ac proinde, promptius nobis fuit hos omnes nodos secare vnâ responsione, quàm anxiè soluere; Tridentinum meritò damnasse Caluinum, non solum à fide Catholicâ, sed etiam à se ipso dissentientem, quod hominis stantis libertatem, cui bene conueniebat cum efficaciâ decretorum, eâ putarit extinctam in homine lapso, quâ nos restitui putamus.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

De libertate quoad actus malos.

CONTRA alteram disputationis partem, eadem extruimus munimenta, quoad actus malos ab homine integro elicitos solâ consequentiæ, exclusâ consequentis necessitate; ab homine vero corrupto, licet prodeant vtrâque necessitate, qualis inest actibus indeliberatis amentium, puerorum, & eodem impetu, quo rem sibi subiectam haurit oculus apertus, & validus; ab illis tamen non putat Caluinus auferri noxam culpæ lethalis, æterna pœna dignæ, quæ nec leuitate materiæ, nec sublata deliberatione, in veniale, aut nullum peccatum euadat: & cum in hominem illud genus peccatorum referri nequeat, sui, non magis quàm bruta compotem, merito censetur & damnatur, quod Deum faciat mali culpæ authorem; in quem vnum omnis malitiæ inuidia refundenda sit. At nos, cum Caluino de primi hominis stantis actibus conuenimus, abhorremus quoad aliud caput de actibus hominis lapsi: immunes ergo sumus, & tuti ab anathematibus in Caluinum iustè latis. Hâc vnâ exceptione dissiliunt machinæ Argumentorum magno impetu in nos admotæ.

Hinc excluditur prima obiectio Num. 121. insinuata, Caluinum nolle proditionem Christi à Iuda, & damnationem à Pilato, aliâ necessitate prodiisse, quam consequentiæ, nullâ vero consequentis. Hoc enim falsum est, & si primam tantum admitteret; non video, quâ ratio-

ne iuſtam in illum damnationem latam effugerent ipſimet ſcientiæ mediæ Defenſores, cum omnia, quæ hâc ſcientia exploratrice præuidentur, futura eſſe velint neceſſitate conſequentiæ: Ergo nedum nobiſcum, ſed cum Aduerſariis etiam conſentiret Caluinus, niſi conſequentiæ neceſſitati, alteram conſequentis adiungeret; qualem niſi verbis vellet ludere, non negaret ineſſe actibus malis dormientium, & amentium, quæ tamen non definit peccati mortalis damnare.

Eâdem Reſponſione deffendi poteſt, quod ex P. Lemos refertur, & refellitur, erraſſe Caluinum, quod dixerit Deum perinde ad malum, ſicut ad bonum mouere, nec ſciuiſſe diſtinguere entitatem actionis à deformitate peccati: hanc enim ſibi viam præripuit ad bonam mentem, iis quæ de actibus indeliberatis adultorum, vel malis amentium tradit, quidquid alibi garriat; putat enim nihil conferre ad actum peccati noxâ eximendum, an qui elicit, compos ſui ſit, aut meditatus eliciat. Inde enim conſequitur, vel peccatum nihil eſſe, vel in Deum referri oportere: quia amentibus, pueris, vel adultis indeliberatè agentibus imputari nequit. Et cum ipſe contrà libertinos, in quos ſcripſit, contendat, ſuam in his actibus malitiam conſtare, quidquid alibi diſtinguat, vel obluctetur, in Deum refundat, oportet.

Non eſt neceſſe proſequi ſingula loca Caluini, quòd iam explicata ſit huius hæretici mens. Doctrinæ eius ſummam, & veluti molem ſubiecimus oculis Lectorum, compactam partibus ſeſe collidentibus. Nos ne in idem diſſidium delabamur, vni aſſentimur, alteram execramur. Quid ergo ſimile nobis, niſi vt loquitur Ioannes à ſancto Thoma, per ſtuporem obijci poteſt; cum ex Caluino ſana, & Cătholica ſeligamus (qualia omnes hæretici ſuis erroribus intermiſcent) corrupta vero, & hæretica abhorreamus? Caluinus agnoſcit, ex decretis ſtatus innocentiæ quamlibet antecedant, prodire entitatem peccati neceſſitate conſeqnentiæ, malitiam vero referri in cauſæ & voluntatis creatæ defectum potiùs quàm vitium, quod ex nihilo facta ſit, defectibilis.

Aliud confingit decretorum genus, ad naturæ corruptæ regimen quo amentium, & puerorum actus malitiâ afficiantur, & adultorum etiam, quâcumque neceſſitate indeliberati

indeliberati eliciantur, peccato imputentur. Primum decretorum genus probamus, alterum abominamur: quid contagii potest istâ dissensione nobis contingere, & obiici, nisi iuxta Ioannis à sancto Th. dictum per stuporem? Quem non video satis excusari iis quibus impetitur dictum illud Argumentis, quamdiu dissentimus de peccatis lapsi hominis: eo enim statu non minùs vastum Chaos inter nos, & Caluinum iacet, quàm quo Abraham, epuloni inclamabat illum à Lazaro distare, & esse semotum.

Neque hoc latuit Aduersarios, ideo diffisi Argumentis, quibus vrgemur ex illâ cum Caluino in naturâ purâ corruptâ comparatione; confugiunt ad primum Angeli peccatum, à Deo permissum, quod non dissimulo quamcumque sequamur sententiam, seu prædefinitionum absolutarum, seu conditionatarum ex scientiâ mediâ aliquid incomprehensum humano ingenio, & forte Angelico continere, solâ visione diuinæ essentiæ referandum. Sed quidquid sit de hoc arcano torquendis, quâ acuendis aut exercendis ingeniis opportuniore; Respondeo, me non legisse, nec audiuisse quidquam à Caluino de hâc re dictũ, quod meruerit, & asciuerit censuram Ecclesiæ Catholicæ: neque enim ad illas subtilitates, & difficultatum apices progrediuntur iudicia Ecclesiastica: sed eò propellimur vel otiosorum, vel curiosorum hominum importunitate, vel scholæ disceptationibus, quæ interdum ab illo vitio non longè absint, vt inde gaudendum nobis sit, nostram innocentiam, & immunitatem à Caluinismo obiecto ita apertam esse, vt accusatio summâ elegantiâ, & eruditione instructa, cæteris refractis Argumentis ad primi Angeli peccatum tandem deducta sit; vt si quid verisimile habeat, inde sit depromptura. Sed non patiemur ex illo capite omninò inualescere, eaque nos opprimi. Illud tantùm monebimus cum Hylario de Trinitatis arcano accuratius contra Arianos disputaturo, nos in vitium, si quod sit, vitio coarctari alieno. Neque adeo graue malum fore, si clauum trudamus clauo, & subtilitates subtilitatibus scholæ excipiamus.

Sed ne quid videamur confingere, quod subtilius, quàm solidius in aristam desinat: suffragium dandæ solutioni sumam ab ipsismet Aduersariis, à summâ subtili-

tate laudatis. Multos tulit Societas viros, variis dotibus exornatos; sed non puto habere ingenij subtilitate pares, Cardinali de Lugo, & Vasquesio: nam si Ariaga, Oruiedo, & Ripalda videantur cum his duobus certare, ingenij acumine, hoc saltem nomine decedunt; quod inuenta sua ab illis tacito sæpè nomine, veluti à magistris hauserint: quod interdum non dissimulat Cardinalis de Lugo hac dote celeberrimus: sed occasione datâ, modestè obseruat, quæ à se primùm excogitata sunt, alios vsurpasse, nec sibi retulisse accepta: vt Disputatione de transsubstantiatione monet Ariagam à se excepisse, constitutam materiæ primæ à formâ substantiali dependentiam tantam, vt si miraculo, omni formâ seiungeretur, annihilari exigeret: à se, etiam alio loco obseruat didicisse Ripaldam, & ausum negare communissimum illud omnium Philosophorum, & Theologorum effatum, potentias, habitus, & actus specificam rationem, & distinctionem ab aliis, à rebus, quas respiciunt, & in quas feruntur, haurire. Nec dubito illius ingenio excogitatam, aut certè excultam, de quâ sibi mirùm quantùm placeant nominati Theologi, cum Herice, distinctionem virtualem, quâ contradictoriis conceptibus obiectiuis (nam de formalibus nihil curant) veritas constet, excluſam à rebus omnibus creatis, & soli Trinitati assertam, cuius vi, & beneficio facile gloriantur se intelligere, quî fieri possit, vt Pater Filio diuinitatem communicet, seruatâ sibi relatione Paternitatis, licet Diuinitati indiuiduæ & ab illa indistinctæ, Idque fieri contendunt, mirabili illâ distinctione virtuali, vni enti infinito eximia quâ profligentur difficultates huius mysterij aliàs insuperabiles.

Mirum igitur nulli sit, si à Cardinali de Lugo, tanto subtilitatum artifice, præsidium aliquod repetamus, vt exoluamur à nodis de peccato primi hominis, & Angeli, de auxilio sufficienti, & efficaci, quibus nos arctissimè implicare conantur Aduersarij: Ex illo igitur adiuncto Vasquesio paris subtiliratis, & Bellarmino nihilo istis eruditione inferioti, & forte in Ecclesiam meritis maiori, Argumentum iam supra breui insinuatum depromimus. Stat vera libertas creata, & subinde origo mali in nos, nullâ ratione in Deum refundenda, & libertate salua, stabit differentia auxilij efficacis, & sufficientis, atque ita

cadent tria Argumenta, quæ Carterius nos ita vrgere inclamabat, vt nihil nobis superſit, niſi conuitia, omni ſolido reſponſo deſtitutis; tecta, inquam, & ſarta erit libertas voluntatis decreto diuino antecedenti, & auxilio efficaci præuenta, ſi concipi, & intelligi poſſit vera cauſarum ſecundum diuerſum genus, mutua anteceſſio, & dependentia, eaque vtamur ad præſentem quæſtionem de concurſu Dei, ad quoſcumque actus noſtros præuio. Ita enim expreſsè habet Cardinalis de Lugo diſput. 8. de Pœnitentiâ, cui immortales gratias agimus, & habemus, & ſi noſtra id conditio pateretur, referremus ob iſtam hypotheſim conceſſam, quâ ſemel poſitâ non hæreſis aut erroris in fidem, ſed ad ſummum inſcitiæ rerum philoſophicarum argui poterimus.

Sed ab hac etiam notâ eximit nos Vaſqueſius, conſtituta hac mutua anteceſſione diuerſi generis cauſarum, gratiam habitualem inter & actum contritionis, ac charitatis, quo in animum infunditur, vt diſpoſitionem vltimam. Ab hoc etiam ignorantiæ vituperio, & ſubinde ab hæreſeos cenſuris multo nos apertiùs, & validius duobus ſuperioribus liberat Bellarminus, cui ad ſeruandam, & explicandam libertatem vſurpanda eſt eadem ſubordinatio, & dependentia inter voluntatis actum, & iudicium vltimò practicum, vnde infallibiliter conſequitur operatio voluntatis libera, vt à regula directrice, & vi imperij mouente, à voluntate, alio genere cauſæ, vt à primâ radice motionis, quoad exercitium hauſtæ. Idem genus dependentiæ tota Philoſophia Peripatetica, & Domeſtica agnoſcit, inter generationem formæ antecedentem, ſecundum genus cauſæ efficientis, & corruptionem generatione poſteriorem ex cauſâ materiali; inter diſpoſitionem vltimam, & formam ſubſtantialem in materiam quaſi ſubactam inducendam: Ergo ex principiis, quæ Aduerſarij probant, & illis accepta referimus, ſtat cum præuio concurſu efficaci ad bonos actus materialiter, & formaliter, ad malos materialiter tantùm libertas integra in ſenſu diuiſo, & ſubinde differentia auxilij efficacis, & ſufficientis, nec non origo mali in eandem voluntatem creatam, non in diuinam referenda: quandoquidem ſecundum diuerſum cauſarum genus, hanc mutuam anteceſſionem ſtatuimus, & profitemur, concurſum inter Dei

præuium, & voluntatis consensum. Argumenti nostri primam propositionem sumimus ex de Lugo, alteram ex Vasquesio, Bellarmino, & ex omnibus verè Philosophiæ Peripateticæ studiosis: Consequentia ex præmissis necessariò, & euidenter infertur: Ergo hâc vnâ Argumentatione tecti sumus, & salui ab omnibus censuris, & Argumentis Aduersariorum, quæ tum hic, tum Disputatione primâ magno numero congeruntur in nos, quasi extinctæ libertatis reos.

Fateor nos hoc immortale beneficium, non vni debere Cardinali de Lugo, sed cum aliis partiendum esse, quos tamen minùs illo de nobis bene meritos esse fateor. Illud cumulasset, sibique vni vindicasset, nisi concessâ primâ propositione, alteram negasset, & dependentiam illam causarum, adeo oportunam seruandæ libertati, nobisque prorsus necessàriam, quasi commentitiam improbasset; sed quod noluit sponte largiri plenum, & integrum, forte ab illo etiam inuito extorquebimus vi Argumentorum, beneficium. Nonnulla retulimus ab illo ingeniosè inuenta, & inuecta in Scholas, ab aliis vsurpata, sibique, tacito authore, vindicata; quibus addam aliud singulariſſimum, quo soluit vnum è nostris Argumentis, præcipuum illius anteceſſionis, & dependentiæ mutuæ causarum fundamentum: illud verò petimus ab exemplo Christi, apud omnes Theologos fere recepto, eum meruisse gratiam Antiquis PP. suæque sanctissimæ Matri, à quibus originem traxerat, & concursu vi originis ab illâ, suisque auis exceptæ consecuto, eius humanitas à Deo manu tenebatur. Illo igitur Christi in suos progenitores merito euincitur, causas sibi inuicem causas esse, cum Christus vitam gratiæ contulerit, à quibus hauserat naturæ.

Quid ad istud Argumentum Cardinalis acutissimus? Respondet Christum suis parentibus, & auis, & proauis nihil potuisse promereri, nihil humanitate ab eorum generatione & influxu exemptâ, & immuni, vt esset idoneum meriti & influxus in illos principium. Quâ vera id ratione factum fuerit, sic explicat: Christum oratione in horto ter iteratâ, sic timori mortis, & impendentium suppliciorum, laxasse habenas, & occupatâ carnificum crudelitate permisisse, in se sæuire, vt emotâ, & conuulsâ totius corporis sede, & compage, mors ineuitabiliter

ingrueret, nisi cessante, & sepositò concursu quo velutì manu tenebatur vita Christi, quasi iure vim Matris, & auorum generatiuam consecuto, tum morti arcendæ impari, alius validior quo seruaretur, & fulciretur, singulari miraculo suffectus fuisset: & tum humanitatem Christi hoc nouo concursu seruatam, parentum quocumque subsidio destitutam, neque illorum opis vllâ ratione indigentem, gratiam iis comparasse nouis meritis, quia priora, quàmlibet efficacia infinitis mundis redimendis, otiosa erant, & inutilia parentibus saluandis, quamdiu illis obnoxius erat, & eorum beneficio vllâ ratione viuebat. Itaque Christus nihil potuit prodesse Matri ad salutem æternam, nisi cum desiit esse illius Filius, nec vlla ratione ab eius generatione pependit. Nos malumus sane Peripateticam sententiam de mutuâ causarum anteceſſione probare, quàm eâ subtilitate vti, & ad tam immane absurdum confugere.

Sed instat Cardinalis de Lugo, & alio absurdo illi periculosiori, nos vrget. Si hoc effatum mutuæ causarum dependentiæ obtineat, vix salua erit diuinitas à periculo quod impendet, ne ipsa aliquo genere causæ suis obnoxia sit effectis, & ab illis pendere confingatur. Sed hunc timorem facile deponimus: quia hanc causarum anteceſsionem negamus posse contingere, nisi cum de causis secundis agimus, quæ id genus mutuæ causalitatis exercent, vt primæ subduntur; quales ex communiori sententiâ, quam Suares non videtur improbare, sunt cœlorum materia & forma cœlestis, creatione è nihilo vnâ actione Dei indiuisa concreatæ. Tum verò has inter partes cœlorum necessaria fuit omnino partium, quibus componantur, mutua illa causalitas, & secundum diuersum genus causæ materialis, & formalis anteceſsio, & dependentia mutua: vtramque enim Deus coagmentauit partem consortis indigam, & mutuo beneficam; quia materia formam exigebat, quâ perficeretur, & existeret; nec minùs materiam exigebat forma, quâ fulciretur: Ergo exemplis tum naturæ, tum gratiæ satis euicimus, hanc causarum anteceſsionem, & consecutionem, quâ constituta; & in nostram controuersiam inductâ, Cardinalis de Lugo agnoscit, nos portum tutissimum, & arcem inconcussam habere collocandæ libertati, aduersus omnes hæ-

reticorum, & Aduersariorum impetus, & insultus.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Ex mutuâ dependentiâ Concursus Dei, & nostrî Consensus Argumentum de primo peccato Angeli, & de auxilio sufficienti & efficaci soluit Ioannes à Sancto Thoma.

SED ne videamur salutem nostram solis Aduersariis debere, obseruo solutionem hanc, & Argumentationem, à me quidem forte primùm Recentiorum collectis testimoniis confirmatam; sed à Diuo Thoma occupatam variis locis, & inde à Ioanne à sancto Thoma haustam, & ad rem nostram ab illo accommodatam Disputatione quinta de voluntate Dei art. 6. num. 56. Hic occurrit locus de nostris Theologis aliquid Lectorem eruditum monendi; quod forte audire non displicuerit. Duos nostrâ ætate habuit Schola Thomistica Theologos, pares ferè celebritate nominis, de quibus meum iudicium hac occasione datâ subijciam: Arauxo ex prima Salmanticensi Cathedra ad Episcopatum assumptus, eo spontè deposito adhuc multis annis vt audio superstes, nuperrime obijt. Ioan. à S. Thom. gente Gallus, natalibus Vlisiponensis, ex Patre Petricorensi, qui Regi Hispaniæ militauerat ortus, ex Complutensi primo Theologiæ Professore, ad Regis Catholici munus à confessionibus vocatus, ab aliquot annis immaturâ morte, & intercepto, quem inchoauerat & iam promouerat Theologico cursu, maximo nostro damno, & dolore præreptus est: hos inter eruditionis fama libris editis, & dignitate non admodum dispares, id distare video; quod Ioannes à Sancto Thoma communi sententiæ de Auxiliis diuinæ gratiæ in Scholis nostris receptæ, tenacior fuerit, & vindex acerrimus, à quâ videtur Arauxo paululum deflexisse, alteri volumini in primam secundæ addito Tractatu de auxiliis, quem illius Discipulus Sibilla lib. contrà Iansenium de libero arbitrio monet, non esse opus genuinum Arauxi: sed quidquid sit, si quod sit discrimen istius ab aliis Authoribus, & nostræ doctrinæ de Auxiliis interpretibus, inde petitur, quod

Arauxo videatur improbare mutuam illam, auxilij præuij cum noſtro conſenſu, in diuerſa cauſarum ſerie dependentiam, ab Aduerſariis inſinuatam, & à Ioanne à Sancto Thoma, ex S. Doct. depromptam, vt merito illi vindicanda ſit laus defenſæ noſtræ ſcientiæ præ Arauxo.

Sed ſi hac controuerſia de Auxiliis videatur longius abeſſe à mente Sancti Doctoris, quam coætaneus illi Ioannes à ſancto Thoma, addiderim hanc iacturam aliquâ ratione reſarcitam controuerſia de Conceptione Virginis, quam veriùs, & ſtrictiùs ad Sancti Doctoris ſenſum expoſuerit, à quo Ioannes à Sancto Thoma creditur deflexiſſe, detortis quibuſdam interpretationibus, quæ nullis Thomiſtis probantur, nequidem Salmanticenſibus, qui quoad cætera Thomiſtæ exactiſſimi, hâc parte ſui inſtituti decreto, & voto ſingulari à S. Doctoris ſententia recedunt: ſed pro ſuo religioſiſſimo candore, teſtantur ſibi non placere Ioannis à Sancto Thoma interpretationem, quamuis ad illorum, & communem, ac piam opinionem magis accedat; quia vim infert Sancti Doctoris ſenſui, & illum obtorto collo trahit, quo ipſe non cogitauit.

Hæc obiter volui Lectorem monitum, ſed ad rem noſtram. Ioannes à Sancto Thoma felicius enodat difficultates de primo peccato, & de auxilio ſufficienti, quamvis altera magis intricatas, noſtra ex Cardinali de Lugo obſeruatione. Eius dictis breuius, quam ipſe ſoleat vbique fuſiſſimus, ipſo compendio, & quibuſdam de noſtro additis, lucem afferam. Commune eſt Patrum, & Theologorum effatum, *Deum neminem deſerere, niſi priùs deſeratur*: cuius veritas aperta eſt, & explicatio facilis, atque obuia, ſi hoc dictum interpretemur de Gratiâ ſanctificante, & habituali, quam ſemel collatam, cum Dei dona ſine pœnitentiâ ſint, nulli aufert niſi peccatum præcedat, quo vel Phyſicè depellitur ex anima Iuſti, vel eâ meretur ſpoliari.

Longè difficilius id videtur poſſe intelligi de auxilio actuali efficaci, vt à Deo negetur ipſiuſmet culpæ reſpectu, & merito, quæ ex auxilij efficacis abſceſſu conſequitur. Sed in illam etiam cadere hoc dictum commune, non difficile capiet, quiſquis meminerit diſtinctionis ſuperioris ad rem noſtram accommodandæ; primam ipſam culpam hominis, & Angeli, nedum comitari carca-

tiam gratiæ actualis, sed etiam illi præire secundum genus causæ materialis, eodem plane ordine, quo corruptio, seu veteris formæ absessus, antecedit generationem, quâ inducitur noua forma in materiam priore vacuam: quia nullo instanti, duas simul formas iungere nequit, quibus perficiatur, & integrum ens componat. Atque ea anteceſſio primæ culpæ iuxtà causæ materialis ordinem, satis est ex hypothesi Cardinalis de Lugo, vt liberè illam admittat Angelus, aut homo iustus, & insons voluntarium censeatur impedimentum apponere Gratiæ primæ actuali, & efficaci; sicut ex omnium sententia, dicitur sua culpa à Gratiâ sanctificante excidere, qui eo, quo negatur aut abscedit momento, liberè peccat. Et tum adest peccatum, & inconsideratio, & vtrumque liberum est, ac voluntarium.

Atque ita nostra voluntate, & culpa, opponitur obex Gratiæ actuali efficaci, eius priuatione saltem eo genere anteceſſionis prior, quo diximus, corruptionem generationi præuiam esse, secundum ordinem causæ materialis, licet generatio antecedat, alio genere causæ formalis & efficientis. Sicut enim noua forma induci nequit, nisi in materiam aptam, & subactam, id est, priore, & quacumque alia forma substantiali vacuam; ita nec Gratia habitualis, nec actualis quæcumque inest subiecto deficienti, cuius culpa, cum suas vices prius secundum genus causæ disponentis & materialis obeat, merito dici potest obex ad negatum auxilium, & eo sensu dici, nos Deum deserere, quia illum deserimus, & apponimus voluntarium impedimentum auxilij efficacis eo momento impatiens.

Hanc solutionem depromit Ioannes à sancto Thoma ex Angelico Doctore, & ad illam trahit non inuitum D. Augustinum. Equidem Diuus Thomas in caput 12. ad Hebræos Lectione 13. ad horum verborum interpretationem: *Contemplantes ne quis deſit Gratiæ Dei*, ita habet, *eam nulli deesse, sed omnibus quantum in se est, se communicare, sicut nec sol deest oculis cæcis.* Sed statim sibi obijcit commune illud, & molestissimum in hac controuersiâ Argumentum, cui dissoluendo insudamus? *Si gratia non detur ex operibus; sed ex hoc, quod aliquis non ponat obstaculum; habebit gratiam ex solo libro arbitrio,*

& non ex electione Dei, quod est error Pelagij Huius difficultatis humano ingenio insuperabilis solutionem subiungit: hoc ipsum quod quis non ponat obstaculum, ex gratiâ procedere; si tamen ponat, & ad illud remouendum adiuuetur, hoc esse ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam, non gratum facientis; & cum à quibusdam remouetur illud obstaculum, hoc esse ex misericordia Dei, sin minus remoueatur ab aliis, esse ex eius iustitia. Idem sibi obijcit Argumentum, quod tanti faciunt Aduersarij 3. contrà gent. c. 159. cum nullus possit in finem vltimum dirigi sine auxilio gratiæ, sine quâ etiam nequit habere fidem, spem, &c. Non videtur illi imputandum, quòd iis operationibus, & virtutibus careat, cum Diuinæ gratiæ auxilium mereri non possit, nec ad Deum conuerti, nisi eum Deus conuertat: Nulli enim imputat quod ab alio dependet. Ad hoc Argumentum eandem adhibet responsionem.

Licet, inquit, nullus per motum liberi arbitrij Diuinam gratiam promereri, aut aduocare possit, potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat. Sicut Iob. 22. quidam dixerunt Deo, *recede à nobis*, *&c.* & cap. 24. *ipsi fuerunt rebelles lumini:* ac cum hoc sit in potestate liberi arbitrij impedire Diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, merito ad culpam imputatur impedimentum præbenti. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines saluos fieri: sed illi soli gratiâ priuantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, licet videre non possit, nisi lumine solis præueniatur.

His verbis Sanctus Doctor negatæ gratiæ causam refert in obicem, à voluntate auxilio præuenienti appositum etiam concomitantem, licet aliquo priori naturæ & causalitatis antecedat, sicut pluries explicatum est. Hanc vero solutionem valere etiam de primo peccato hominis, & Angeli, satis constat, tum quod Diuus Thomas vniuersim loquatur imputandum homini, si prædictis operationibus, & virtutibus careat: tum quia capite sequenti, quasi sui interpres addit à se dictum, in potestate liberi arbitrij esse, ne impedimentum gratiæ præstet, competere his, quibus naturalis potestas integra fuerit. De illa

ergo ex mente Diui Thomæ obtinet noſtra Reſponſio ex mutua dependentia concurſus noſtri, & Diuini.

Atque in eumdem ſenſum interpretari licet Auguſtinum lib. de Correct. & Gra. Nam cap. 4. & 5. ex Semipelagianis moleſtiſſimum ſibi objicit Argumentum. Cum ergo & ipſa voluntas præparetur à Domino, cur me corripis, quia vides, me eius præcepta facere nolle, & non potiùs ipſum rogas, vt in me operetur & velle? De quo capite ſuperiori dixerat, rectè corriperer, ſi meâ culpâ haberem, hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare, vel ſumere ipſe, nec facerem, vel ſi dante eo accipere noluiſſem. Hoc Argumentum aperte petit efficaciam auxilij, & decreti diuini ex naturâ ſuâ antecedentem, nam ſi penderet ſuſpenſa à noſtro conſenſu, eò confugiendum eſſet Auguſtino, quod tamen certè non fecit, ac proinde non agnouit, ad id neceſſariam Aduerſariorum ſcientiam mediam, & ex illâ ſolutionem Argumenti, & ideo alio recurrit cap. ſexto, & culpæ hominis imputat, non acceptam perſeuerantiæ, vel auxilij gratiam efficacem. Ac proinde cap. 7. iuſtè eos corripi ait, quia ex bonâ in malam vitam ſuâ voluntate mutati ſunt. Licet verò rem ad prædeſtinationem ſecretam reuocet, cur his, non illis det perſeuerantiam, quibus dedit fidem, fatetur capite 8. ſe ignorare, quia inſcrutabilia ſunt iudicia Dei, ſaltem quoad promiſſionem diuinam lapſus in peccatum. Non tamen omnino excludit impedimentum culpæ concomitantis, & aliquo genere prioris: eam enim inſinuat cap. 11. hic verbis, *Poſſet primus homo permanere, ſi vellet, quia dederat adiutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeueranter manere, ſed quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet; ſi permanere voluiſſet.* Senſit ergo culpâ ſuâ non permanſiſſe, atque adeo ex culpâ efficax auxilium non habuiſſe; ideſt culpâ concomitante, & aliquo genere antecedente.

Ex iis Auguſtini locis colligit idem Author, ſi efficacia auxilij non conſtaret, niſi ex noſtro conſenſu, fruſtra Auguſtinum defatigatum in eâ ſoluendâ difficultate, quam profligare poterat vno verbo, ſi cum Aduerſariis conueniſſet, nempe hoc vnum ſupererat illi dicendum, quamvis idem pluribus detur auxilium, efficax tamen hoc tantum nomine euaſiſſe, quod vnus præuiſus ſit illi aſſenſiſſe,

& à reliquis fuisse abiectum: at non ita Augustinus, quin potiùs eiusdem libri capite 12. auxilium efficax à sufficienti distinguit, & in illud refert infallibilitatem in agendo, vt quamvis infirma sit voluntas, illo tamen adiuta non deficiat; Ergo Augustinus efficaciam decreti non repetit ex præuiso consensu, sed ex omnipotentissimâ virtute Dei.

Eâdem obseruatione subordinationis, seu antecessionis mutuæ auxilij diuini, & nostri consensus soluit Argumentum molestissimum Aduersariorum, quo probant tolli auxilium sufficiens, si ad agendum efficax sit necessarium, quo voluntas applicetur: summam verò Argumentationis, & Responsionis hâc formâ perstringo

Eâdem ratione decretum, & auxilium efficax præuium, necessàrium est voluntati ad suam operationem applicandæ, qua ignis proximitas exigitur ligno comburendo intra Spheram vt dicitur actiuitatis: Atqui si ea desit proximitas ignis cum ligno, siue longiùs distet, quam ex innata virtute possit in illud agere, deest omnino illi vis sufficiens ad comburendam ex merâ impotentiâ antecedenti, quòd eâ positâ distantiâ ex suo genere vim non habeat idoneam ad ligni combustionem; Ergo, si voluntati desit auxilium, aut decretum efficax ad actum, ex merâ impotentiâ antecedenti, ab illo cessat, ac proinde nequit illi imputari, nec in laudem, nec in culpam, & verâ caret ad illum libertate.

Hoc Argumento complexus sum, ac pene exhausi omnem vim Argumentorum, quibus Aduersarij nunquam desinunt nos incessere, & iisdem ferè armis Iansenius, eiusque assecla nos impetunt, fortè quòd eam causarum antecessionem, vel ignorent, vel aspernentur, & Scholæ argutiis adcenseant, à quibus putant abhorruisse sanctos Patres, & alienum esse à Theologorum grauitate illis vti ad has difficultates euincendas. Sed quidquid sit, cum hanc obseruationem munitam Aduersariorum suffragiis, ex verâ Philophiâ Peripateticâ, Theologicis etiam argumentis confirmatam deprompserimus, & aliunde oportunissima sit dissoluendæ aliàs insuperabili difficultati, non mihi religioni erit, si subiectæ quæstioni adhibuero.

Nego itaque vtramque propositionem Argumenti: licet enim à simili in speciem exemplo deductum sit, vnde

totam vim suam habet, dissimillimum tamen est, & voluntatem inter, & ignem discrimine constituto euanescet. Ideo igni longiùs à ligno semoto, quàm possit in illud agere, deest ad comburendum vis, quæ sufficiens dici queat: quòd, cum ad comburendum lignum sit tantùm comparatus, vis illi innata distantiâ, & remotione loci in totum suspenditur, vt nihil agat, aut agere possit, quo à ligno comburendo sibi ipsi sit impedimento. Et ita inquit Ioannes à S. Thoma, etiam voluntati liberæ contingeret ex impotentiâ merè antecedenti libertati noxiâ, si nulla adesset applicatio ad aliquem actum, & ab omni omninò operatione suspenderetur quem defectum Ioannes à S. Thoma vocat adæquatæ: applicationis, seu ab omni actu abscessus, qui si contingeret, impotentiâ antecedenti, vrgeretur voluntas, & tum auxilio sufficienti destitueretur, sicut eâdem impotentia antecedenti premeretur intellectus, substractâ quacunque cogitatione etiam primâ: at secus est si applicatio, fuerit inadæquata, id est quæ non sit data ad aliquem actum determinatum, licet non excludat applicationem ad omnes vniuersim; plurimum verò differet, si adæquata, vel inadæquata desit voluntati applicatio. Si enim priore vrgeatur voluntas, laborat merâ impotentiâ antecedenti, quæ nullo modo est in manu meâ, nec ex merâ voluntate oritur, atque ita si illâ caream, hoc accidit à voluntate extrinsecâ, & tum euadit mera impotentia antecedens actum voluntatis, non consequens, quia nullus datur actus liber vi cuius tollatur huiusmodi applicatio. At non ita se habet applicatio inadæquata quoad aliquem actum singularem, qui, cum voluntariè sit elicitus, vi ipsiusmet decreti & auxilij, est etiam voluntarius, & liber obex, ne alia detur operatio, & applicatio ad illam. Atque ita, si desit, voluntaria erit, & consequens; quia sequitur ex actu voluntario, & ideò in manu mea est, nec deficit quidquam absolutè necessarium ad primum actum, nisi quia volo.

Hinc eluceſcit discrimen voluntatem inter, & rem otum à ligno ignem; quod enim igni desit principium sufficiens, non voluntati ad agendum, ex alio discrimine repetendum est, nempe quia ignis arctata sit virtus ad vnum comburendi actum, & si ad illam desit applicatio, seu proxi-

mitas loci, antecedenti impotentiâ, nullomodo consequenti laborat, quia nullum ipse ponit obicem, cum ad alium actum non sit comparatus, quo priorem impediat. At longè secus se habet voluntas, quæ cum latissimè pateat, & plurium diuersi generis actuum sit principium, attenta vni liberè potest sibi ipsi impedimento esse ad alios, ac proinde, si quæ sit impotentia, nascitur ex actuum dissensione, qui eodem momento elici nequeunt: quare hæc impotentia veriùs consequens, quàm antecedens censenda est.

Et si contra vrgeas, auxilium, & decretum efficax, seu applicationem ex ipsis præire actui secundo, & ex illo negari applicationem ad alium actum, ac proinde, si desit, impotentiam mere antecedentem esse, non consequentem: Respondet subtilissimè Ioannes à sancto Thoma, duo summè obseruanda. Primum licet applicatio ad actum naturâ antecedat, non tamen negari applicationem ad oppositum ratione sui, sed actus ex illâ consequuti. Quia duæ applicationes, si quid repugnantiæ habent, ab ipsis actibus mutuantur, sicut diuersi motus opponuntur ratione terminorum, in quos tendunt: Euidens enim est, huiusmodi applicationes irritas fieri dissensione actuum, qui componi nequeant.

Et si istud non omnino satisfaciat lectori, adiungendum est aliud opportunius, & efficacius Argumento eleuando, quod, licet auxilium datum ad assensum v. g. antecedat secundum genus causæ efficientis, posterius tamen esse assensu secundum genus materiæ, & dispositionis dissensus impatientis, ad quem subinde consequitur auxilium, sicut generatio nouæ formæ ad antiquæ corruptionem, & abscessum: atque ita ex voluntario actu consequitur carentia auxilij efficacis ad actum oppositum.

Eadem solutione, seu mutuâ anteceſſione auxilij, & consensus nostræ voluntatis, alias instantias depellit. Fateor hanc nostram obseruationem, & ad rem subiectam vsum, non nullorum aciem & captum effugere; & in hac re obscurissimâ nondum factum satis illis esse; sed attendant velim, hoc Argumento contineri, quidquid controuersia de prædestinatione de gratiâ, &c. habet caliginis & salebrarum; id tamen commodi habemus ex

ipſiſmet Aduerſariis, vt, ſi hæc cauſarum anteceſſio ſtet, & capiatur, difficultas deuicta ſit, quantum mortalis hæc conditio ad ignorantiam, & tenebras damnata patitur. Fortè illis depellendis aliquid noui illuceſcet: interim illud debemus duobus Eminentiſſimis ex Societate Cardinalibus, quorum dignitas eſt infrà eruditionem, vt minùs ſimus obnoxij perpetuis inſectationibus Theophili Rainaudi, aliorumque minus huic Theologo, quàm ſuperioribus diſſimilium. Rident Bannem, Aluarem, alioſque Thomiſtas, quòd fidem exigant ab iis, qui hanc concordiam auxilij efficacis, cum gratiâ negant ſe capere, aut intelligere poſſe. Verùm ſi fides vlla ſit Cardinalibus à me nominatis, qui maximam ſanè merentur, poteſt aliqua etiam vltra fidem interlucere euidentia, his duobus conſtitutis principiis, ſi ſtet mutua anteceſſio auxilium inter, & conſenſum noſtrum, ſeu inter iudicium vltimum practicum, ſeu electionem ſalua eſt libertas, & in tuto poſita ex Cardinali de Lugo: Atqui ex Bellarmino obtinet illa duplex anteceſſio: Ergo non ſolùm credi debet, ſed etiam intelligi, & capi poteſt concordia noſtræ libertatis cum iudicio practico, & auxilio efficaci, ex principiis D. Thomæ ab eius diſcipulis inita: ſi id tandem obſerues, hanc auxilij, imo & decreti diuini anteceſſionem non eſſe temporis, ſed naturæ, cauſalitatis ſecundum efficientiæ genus; cum nihil vetet ex Peripatetica Philoſophia, alio genere cauſæ conſequi; hinc manifeſtum erit, & euidens, probè conuenire efficaciam auxilij, & iudicij practici, cum libera noſtra operatione, Et cum ad hanc conſequatur carentia auxilij, & iudicij practicè efficacis ad actum oppoſitum, ſi ab illo ceſſemus, & abſtineamus, ſtabit ad illum vera potentia, nulla verò impotentia antecedens.

Hic omnibus accedunt verba Cardinalis de Lugo Diſp. 8. de Pœnitentia num. 169. *Saluatur ergo propriſſima libertas cum prædeſtinatione, ſi ſemel admittatur poſſibilis mutua illa prioritas, & cauſalitas: quia pro illo priori, pro quo præcedit conſenſus prædeſtinationem, non intelligitur procedere à principio determinato, ſed ſolum à voluntate cum cognitione indifferenti: Ergo intelligitur procedere à principio potente vtrumque actum elicere.* Hactenus de Lugo. Id obſeruo, cautiſſime locutum, dum

ait, *non intelligi procedere pro illo priori*, nempe instanti aquo, consensus secundum genus vnum causæ præit; licet secundum aliud genus causæ efficientis, principium sit determinatum; ideò dixit non intelligi, nec tamen absolute negauit determinatum esse principium quocumque causarum ordine.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Ex Valentia depellitur accusatio Caluinismi à concursu ad peccatum.

PLVRIMVM debemus tribus, aut quatuor celebertimis ex Societate Theologis, Bellarmino, de Lugo, & Vasquesio; cui addimus Turrianum Magistro consentientem, vt in hac de antecessione causarum mutua secundum diuersum genus, controuersia horum omnium ope primam difficultatem de extincta libertate, de sublato auxilio sufficiēti, qua nos oppressos, nec respirare aut euadere nos posse inclamabat Carterius, effregimus: nec minus faustus, fœlixque nobis præsto est quintus vindex Gregorius Valentia, ad profligādam alteram accusationem Caluinismi, à læsa sanctitate Dei, ex prædefinitione actus peccaminosi, & concursu ad illum. Sed prius meum de hoc Scriptore à quo oppido ladiuuandi sumus, iudicium aperiam, collatione cum superius nominatis. Sane differendi de rebus mixti generis, id est, quæ ad Theologiam Scholasticam, & Controuersam aduersus hæreticos huius temporis pertinent, nullus est è Societate, imo nec forte vniuersim Theologorum, audiendus magis Valentiâ, illique anteponendus.

Si has partes seiungamus, vincent subtilitate, & peritia in concertationibus Scholasticis Valentiam, Vasquez, Suares, & de Lugo. Par illi, & fortè superior futurus est in disputationibus aduersus hæreticos Bellarminus. At si vtrumque pugnandi genus misceamus; nulli suppar, & fortè cæteris est anteponendus: quia in Scholastica, quam multis annis Ingolstadij docuit, exercitatior est Bellarmino, quam lego apud ipsius vitæ Scriptorem audiuisse tantum, nec vnquam docuisse in Scholis. Suarem

verò, Vasquem, & Delugo quoad Theologiam controuersam facile vincet: quia in Germaniâ Ingolstadij magnam vitæ partem detriuit, & cum Lutheranis, ac Caluinistis diu multumque est exercitus hoc bello, à quo alij in Hispania, & Romæ ferè semper versati, cum longius abfuerint, vix cum hæreticis manus conseruerunt. Nullus verò dubitat, quin peritia disputandi, sicut & militandi, vsu, sub sole magis, quam in vmbrâ concertationibus comparetur.

Audiamus igitur Valentiam hac de re luculenter disputãtem cum hæreticis, quorum vires cominus explorauerat, & mentem accuratius inquisiuerat. Ille igitur Disput. 1. quæst. 19. puncto 3. assertione 4. ita de malo culpæ statuit, *Deum nullo modo id velle neque per se neque per accidens*; neque subinde ad illud concurrere; cum eadem sit concursus & voluntatis ratio, & illum ex istâ metiri oporteat. Hanc ergo sancit Conclusionem, communem apud omnes Catholicos, nullo excepto, contra Caluinum, & Caluinistas.

Sed antequam ad confirmandam assertionem accedat, obseruandum monet circa constitutam Propositionem, quatuor conuenire inter Orthodoxos, & Hæreticos, præsertim recentiores (vt per parenthesim notat) & de vno controuersiam esse. Conuenit primum inter omnes, malum culpæ, quâ malũ est formaliter, nec sub humanam, nec diuinam voluntatem cadere. Secundo, omnes probant distinctionem actus peccati, vt est quid positiuum, vt subest malitiæ peccati, quasi pars materialis, ad quam nulli negant, Deum vt primam & vniuersalissimam causam voluntariè concurrere, quasi ad effectum omnipotentiæ. Consentiunt tertio malitiam culpæ, in se nullâ ratione in diuinam cadere voluntatem, nec præcepto aut consilio posse probare indicere & suadere, Quarto denique consentiunt, peccatum non posse in diuinam voluntatem sic referri, vt peccare & malè agere dicatur.

His quatuor omnium consensu receptis, vnum ex Valentia supereſt caput, quo totam cum hæreticis controuersiam reuocat: *Vtrum scilicet malum culpæ in diuinam voluntatem cadere possit, sub aliqua ratione boni, quæ contineatur aliquo respectu peccati, ad quodpiam bonum:*

Ita

Ita quidem, vt sub tali ratione, verè & ex certâ intentione, & rectè atque iustè, Deus velit ipsum peccatum in se, tanquam obiectam quoddam materiale immediatum, & per se suæ voluntatis, & ad illud, etiam interdum hominem inuitet, atque stimulet. Hocque sensu interpretatur hic Theologus, in rimandâ hæreticorum mente versatissimus, Antiquos Hæreticos Simonem Magum, Lutherum, Bucerum, Philippum Melanchthonem, aquâ impietate ait resipuisse, sed illi Caluinum, & Bezam mordicus adhæsisse, & fuisse immortuos. Quia malum culpæ æquant malo pœnæ: & sicut istud, non solum Deus permittit, sed iustissimè & verissimè vult, sub ratione boni, seu respectus pœnæ, ad bonum diuinæ iustitiæ, atque adeò vt obiectum quoddam materiale diuinæ vôluntatis; ita planè sentiunt, non minùs malum culpæ quam pœnæ, sub diuinam cadere voluntatem; idque satis conteſtatam fuisse demonstrat Pater Cotonus Geneuam plagiariam, corrupto ex psalmo 5. hoc versu, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es:* sic enim reddit versio Geneuensis, *Quoniam non est Deus cui placeat iniquitas*; quamvis illam velit sensu à Valentia explicato.

Hinc obseruatnm est diligenter à Valentia, Hæreticos & Caluinistas præsertim recentiores, quatuor præmissis ad assertionem hypothesibus conuenire: quare innuit Antiquiores, Bezam, & Caluinum longius in errorem abreptos. Atque hæc fidem astruunt, iis, quæ diximus de Caluino, & Beza, à recentioribus eiusdem Sectæ Scriptoribus derelicto, & emendato. Idem luculenter confirmat Becanus, perinde ac Valentia, aliis ex Societate Theologis, in concertationibus exercitatior aduersus hæreticos, quibuscum in Germania perpetuum bellum gerebat. Illi igitur, Caluino & Caluinistis improperanti impietatem, quæ in Deum regerit peccata, perinde ac pœnas, quod vtrumque malum velit, vt aliquam boni induit rationem, respondet lepide vnus ex Schola Caluini, submouendam ex τὸ *Caluiniſta* vocabulis, vltimam ac tertiam partem *istis*, vt in vnum Caluinum, eiusque assectam Bezam redundet infamia huius erroris, quem cœteri omnes eiurant.

Ex cum Beza suæ impietati præsidium à D. Thoma quæsiuissет 2. parte Responsionis suæ ad acta colloquij Monpelgardensis, illud valide extorquet, & eripit Valentia, responsione ad quintam obiectionem, verissimé-que ait D. Thomæ sensa, dictaque, *nihil habere commune cum blasphemia Bezæ.* Nam 1. parte quæst. 49. art. 2. ad 2. & quæst. 79. art. 1. ad 3. quæ loca citat Beza, Respondet, non esse controuersiam de ipsâ entitate prauæ actionis, quam omnes cum D. Thoma, fatentur cadere sub diuinam voluntatem, vt primam & vniuersalissimam rerum causam: *Sed disputari de ipsâmet deformitate culpæ, quam D. Thoma orthodoxè negat esse à Deo vllo modo*, seu præuio, seu simultaneo concursu agat: *Et Beza impiè affirmat, sub commentitiâ, nescio quâ ratione boni, à Deo esse; cum contendit, Deum illam deformitatem velle, nec solum velle permittere.*

Vides igitur interpretatione vnius è Societate Theologi, & in Controuersiis exercitassimi, quò hæc tandem deducta sit; nempe non minùs malum culpæ, quam pœnæ, aut quodlibet etiam aliud bonum, cadere sub voluntatem diuinam: & ideo Melanchthon, cum in ea esset hæresi, scripsit in caput 8. ad Rom. *Æquè fuisse opus Dei proditionem Iudæ, ac conuersionem Pauli:* quod retractauit. Ex eodem peruersissimo errore, Caluinus, non alio ordine reprobationem ad pœnam æternam, quam quò prædestinationem ad gloriam disponit: quia perinde censet ad reprobi pœnam Deum peccata vt media velle, & eligere, vti bona opera ad gloriam consequendam. Aquâ impietate obseruauimus, nec abnuit Valentia, recentiores Caluinistas abhorrere. Quare si graue futurum sit contra charitatem peccatum, Caluini Discipulos à Magistro quo Valentia eius mentem exponit sensu, ad nos desciscentes repellere; nescio quo nomine appellem Ecclesiæ portionem non contemnendam, id est, totam Dominicanam Familiam, & quæ multo latius pateat, Scholam D. Thomæ, pluresque alios Catholicos, obtorto collo ad Caluini impietatem trahere, & protrudere, a quâ ne dum illi omnes, sed eius Discipuli, & ipsemet Caluinus, stante natura humanâ & Angelicâ, longissimè recesserint. Itaque, vt rem lucu-lento exemplo illustrem, & concludam, interprete Va-

lentia, his in rebus fide digniſſimo ; perinde Deus ad omne peccati genus, etiam cum difformitate ſumpti, comparatur ; vti ex Theophilo Raynaudo poſt Origenem alias obſeruauimus, nos habere ad mendacium, alicuius commodi & vtilitatis causâ honeſtatum : vt perinde Deus quodlibet peccatum velit, & ad illud nos vrgeat, ſicuti licet nobis fraudem illam piam & mendacium fucatum vſurpare.

Præſummâ decretorum Pontificiorum reuerentiâ, quæ prohibent certam haberi fidem Pennæ Diario, caput maximè controuerſum, in quo poſita ſit efficacia gratiæ diſputare, alioſque ſecus ſentientes damnare ; ab his omnibus abſtinui, multaque alia tacui, quæ ad Congregationes de Auxiliis ſpectabant, aliunde excerpta, quam ex Pœnnæ ſcriptis, ne ex illo hauiſſe viderer. Quod Cardinalis Perronij ſenſum, de his Controuerſiis, audiui auiris fide dignis, omnino aliena, ab his quæ de illo relata ſunt, ſeu minus vera ſint, quæ circunferuntur, ſeu mutauerit ſententiam. Petri Leboſſu, ſcriptum quo propoſitiones plures Molinæ â Conſultoribus damnatæ continentur, cuius copiam mihi facturus erat vir quidam Religioſiſſimns vnde potuiſſem hanc Diſputationem locupletare ; ne quidem legere, aut videre mihi permiſi : ſed non credo mihi fraudi fore, aut vitio verſum iri, ſi ſuperiorum ex Societate Scriptorum teſtimoniis, addam poſtremum ex Ripalda tom. 2. Diſput. 113. ſect. 9. num. 33. quo mirum in modum Caluiniſmi inuidia anoſtrâ familiâ, & Schola depellitur, huius accuſationis origine Ripaldæ verbis explicatâ; quibus ingenuè fatetur, aliundè quam à vero, id eſt, à deffenſionis, aut verius vltionis neceſſitate, aut æſtu repetitam.

Ille igitur loco citato, ſic rem ordine narrat. *Bannes & plerique eius Diſcipuli, in publicis Diſputationibus, priuatiſque ſermonibus & ſcriptis, cæperunt, notare ſententiam illam* (Molinæ) *Pelagianam... contra Noſtri, vt notam Pelagianiſmi ſuæ ſententiæ vitarent, obiiciebant oppoſitæ notam Caluiniſmi.* Eiuſdem Diſputationis & ſectionis num. 55. ſcribit, ſexaginta Molinæ Propoſitiones in Congregatione de Auxiliis fuiſſe damnatas. Quæ laudando candore ſcribit Ripalda, certus

sum, nos sponte, nec vi etiam tormentorum dicturos plures eiusdem instituti, sed profundioris calliditatis Theologos. Ad quid enim duodecim hallucinationes, tantâ vi eloquentiæ, Salmanticensibus, & Ioanni à S. Thomæ impactæ sunt, & quæ scribunt insomniis, & fabulæ de Pitagoræ peregrinatione ad montem Carmelum accensita sunt; nisi vt falsi suspicio crearetur aliqua, iis quæ exertè & ingenuè scribit Ripalda, quibus similia habet suo Apparatu Pereretius, vt inde agnoscas interdum vitilitigatum esse his Disputationibus, de rebus certis, & indubitatis.

Hoc etiam monui alias Lectorem, & iterum monitum volo, meis responsionibus defendendam suscepisse nostram sententiam, non iuxta mentem aut interpretationem Tuuissij & Anonymi; sed ad Salmanticensium, & Ioannis à S. Thoma sensum. Hinc factum est vt Disputationes posteriores duas, exactius expenderim: primam vero contra Tuissium vix attigerim, & alteram contra Tiphanum delibauerim tantum; quia non erat mei instituti, nisi Scholam nostram tutari, & mihi graue damnum, aut vituperium impendisset, si hæretici vindicem egissem. Quod ad Tiphanum attinet, vno aut altero concordes, cum pluribus dissentiremus, vix aliquot harum Disputationum partes decurri. Et si quæ obiecta sunt, quæ perinde illorum, ac nostram sententiam lacesserent, communis tantum defensionis iure ac nomine, per transennam depuli, quod nihil meum consilium remorarentur.

Addo etiam aliqua consultò prætermissa, aut leuius perstricta, quod scirem Patrem Gonet operosè iis respondisse, multis suorum librorum locis. Videri poterit Tomi 4. Disput. 6. Art. 6. parag. 2. & sequentibus, vbi fusè soluit Argumenta ex Disputatione 1. cap. 6. quibus probatur libertatis essentiam constare indifferentiâ absolutâ, quæ temperari nec àfinis ordine, nec ab immutabilitate, nec aliunde possit, citra libertatis excidium, de quibus nos tota Disp. 1. Consuli potest idem Author eiusdem Disputationis Art. 9. paragr. 2. vbi mentem Anselmi de libertatis ratione explicat, de qua nos plura eiusdem Disputationis Sect. 2. vbi explicatur Anselmi de libertate definitio, & diuisio in tres gradus naturæ &c. Multis etiam

accurate depellit Tom. 3. Disp. 8. Art. 4. paragr. 10. Calviniſmi conſortium, ab extinctâ libertate, aut læsâ diuinâ ſanctitate, ex præuio concurſu ad quoſcunque actus; à quibus abſtinui, & malui, quid noui afferre, quam ab illo erudite tradita exſcribere, eandem vbique vt ſpero æquitatem ſeruaturus; quod nonadmodum difficile a gnoſcet, quiſquis S. Doctoris, ne dum hoc Argumento, ſed aliis omnibus quæ verſat, in exhauſtam vbertatem explorauerit: ea enim eſt eius ingenij, & doctrinæ copia in exhauſta, vt ea quæ hinc deprompta ſunt, pars minima ſint, eorum quæ eruenda ſuperſunt. Quod vero ad iſtius de ſcientia Dei difficultatis, dignitatem & amplitudinem pertinet, vix materiam ſubigere, ne dicam exhaurire licuit. Sed cum retractandum ſit 2. noſtræ Theologiæ Analyticæ libro, nec iam dictorum iteratione fatigandus ſit Lectoris animus, noua S. Doctor ſuppeditabit, quibus has difficultates inſuperabiles iterum mollire tentabimus. Ad huius diſputationis calcem viſum eſt paucis aperire, quid noſtra Theologia Analytica D. Thoma Magiſtro meditemur.

PARÆNETICA

AD NOVVM QVADRVPLICIS Theologiæ Scholasticæ, Controuersæ, Ethicæ, & Scripturarum studium & vsum D. Thoma Magistro.

FELICITATI imputo; (Christiane & erudite Lector,) quòd à priuato Instituti Religiosi ac bonæ mentis studio, (quo nihil prius & antiquius nobis esse debet,) si quid otij reliquum fuit, si quid subduxi temporis; id totum lectionibus Scholæ, aut concertationibus aduersus hæreticos huius regni & sæculi, aut ad populum concionibus, mihi impensum abierit; non alio consilio aut operæ pretio, quàm nè fruſtra aut falsò Diuorum Dominici & Thomæ Discipulis annumerarer. Neque enim ita aut mei cœcus amor, vel susceptæ laboris ignoratio mihi imponit; quin apertè agnoscam & præ me feram, nedùm multiplici huic Theologiæ docendæ, sed vel Vni addiscendæ, longissimè me imparem; méque temeritatis arguam, quòd has omnes Disciplinas vno titulo iunctas susceperim explicandas. Verùm ad-

uersus has proprij sensus, aut publicas accusationes me in tuto esse credam, & etiam largè solabor, hac vna deffensione: me vltra facultatem aliquid tentasse, & infirmitatis oblitum, ne officio deessem, & in nomen (quod profiteor) Dominicani & Thomistæ Theologi negligentiâ peccarem. Magnam planè nobis Personam imponit D. Dominici institutio & D. Thomæ Schola; quorum cum alterum fidei zelo & potestate Petri, alterum Pauli Sapientiâ Deus donarit; quas vterque Apostolici Spiritus impleuêre partes, filiis hæreditario iure vel onere datæ sunt; quas nisi spurij & degeneres esse velimus, summâ curâ nos obire, ac illis immori oportet. Et quamvis nullum Christianæ Pietatis & Sapientiæ munus in his præclarissimis Ducibus desideres: præstant tamen & prælucent maximè, Scholæ Magisterio, Hæresum excidio & victoriis, ac Verbi diuini Ministerio. In vno D. Thoma Platonem & Aristotelem Christianorum omnia Lycea & Academiæ amplectuntur, tanto consensu, vt omnes sibi assertum velint. In D. Dominico Præconem & Vindicem acerrimum agnoscit Ecclesia, tum illustri Titulo quò eius institutum ornauit, tum authoritate collatâ in hæreticos inquirendi. Itaque tria hæc exercitationum genera, quæ vel ad palæstram & pugnam in Scholis sub vmbrâ, vel sub sole aduersus hæreticos, vel ad concionatorium munus pertinet, tanquam Patrimonium Parentum labore partum, & per Decessorum manus traditum, sibi colendum ac fruendum, quisque Dominicanæ & Thomisticæ Familiæ Alumnus, iurè

vindicare poteſt. Nos etiam Illuſtriſſimorum Procerum filij, quamvis abortiui hæreditatem adiuimus; quæ nihil decreſcit fratrum numero, nec ſic diuiditur vt exiguum in ſingulos cadat: ad vnumquemque tota peruenire poteſt, ſicque indiuiſa partibus vix ſeiungitur, & tam tota omnium eſt, quam ſingulorum cuiuſque inſtituti.

Partes legitimi Theologi.

HÆc fortè Titulum noſtri operis ab audaciæ, & temeritatis notâ, vindicabunt apud cordatum Lectorem; quòd maiora nedùm meis, ſed etiam humanis viribus, in me recipiam præſtanda. Quis enim, non dicam ſtudio & diligentiâ, ſed ne cogitatione quidem conſequi, vel amplecti poſſit, vaſtam illam Quadruplicis Theologiæ & immenſam amplitudinem, quam (velut Oceanum in ſcrobem) in anguſtias alicuius Compendij deriuandam, & cogendam aggredior? Sed qui hac Cenſoria ſeueritate mecum agunt; certè de rigore remittent, ſi attenderint harum Diſciplinarum cognationem, ac neceſſitudinem penè indiuiduam; vt breuiùs omnes aſſequare, quàm ſingulas ſecteris. Tota ſiquidem ſtat conuenientiâ Partium: quas ſi diuiſeris, non debilitabis modò, ſed labefactabis. Neque enim credas velim, Theologiæ vitam & rigorem conſtare viliſſimorum more ſerpentum, qui victitent etiam diſſecti: ſed nobiliſſimorum inſtar animantium, quæ diuiſiſſe, funditùs peremiſſe ſit. Ac multò veriùs in hanc ſacram Doctrinam, quàm in humanam conuenit,

quod de Philosophia Tullius: difficile in ea esse, pauca ei esse nota, cui non sint aut pleraque aut omnia; nam nec pauca, nisi è multis, eligi possunt: nec qui pauca percipit, non item reliqua eodem studio prosequetur.

Nec facilè potero inuidiam Tituli amoliri, nisi quam animo concepi, huius Sacræ Triadis Theologicæ cognationem in omnes vitæ Humanæ & Christianæ vsus indiuulsam, tuis oculis (erudite Lector) subjecero. Non dubito, omnes quibus disciplinarum Encyclopædia absoluitur, scientias & artes maximis in totum genus humanum meritis abundare & variis exuberare beneficiis. At quis neget vel vnam Theologiam plura reliquis omnibus, vel commoda Reip. conferre vel subire discrimina; & vti latiùs vsu patet, ita dignitate ac meritis præstare? Quas singulæ curas aut laudes partiuntur; vna Theologia auctas exaggeratásque habet omnes, & ad cumulum multò plures addit. Depellit Ars Medica morbos corporis: Iurisprudentia lites morbis longè grauiores dirimit & compescit: Sospitatem illa, pacem & tranquillitatem ista mortalibus ægris impertitur. Hæc beneficia, licet per se maxima, si Theologiæ meritis conferas, modica sunt ac penè nulla. Quid enim corporis incolumitas (quæ operæ pretium est Medicinæ) ad salutem animorum quos vna Theologia curat? Quid temporaria Reip. tranquillitas (quam Iurisprudentia semoris litium tumultibus, seruat & tuetur) ad æternam Ecclesiæ pacem, quam depulsâ vitiorum & hæresum peste sancit ac firmat Theologia? At Iurispru-

dentia Patronos peragendis reis aut insontibus tutandis instituit, Iuri probè administrando Magistratus efformat, regendis imperio populis aut Principibus consilio dirigendis Politicos docet, nullum est hominum genus, in quod illa Beneficiorum à Iurisprudentia, velut à perenni fonte, non profluat ac deriuetur varietas & multitudo. Verùm licet hac gloriâ efflorescat: Theologiæ spontè concedet; seu beneficiorum in eas numerum, seu attendas magnitudinem. Illa forum causidicis, Tribunalia Iudicibus implet. Hæc Ecclesiastes sapientissimos & altioris ac interni subsellij iudices Ecclesiæ ministrat. Illa Regum ac Imperatorum edicta, sapientum cõsulta commentatur: Hæc in Scripturis Sacris, legibus diuinis interpretandis tota versatur. Illa populis Præpositos, Regibus Consiliarios ad Reip. tranquillitatem commodat: Hæc Pastores ac Principes Ecclesiæ ad æternam omnium salutem è sinu suo largissimè effundit. Illa iuris humani, fidei publicæ propugnatores contrà malas astutiæ aut nequitiæ artes armat: Ista fortissimos fidei diuinæ Pugiles hæreticorum furori ac vesaniæ opponit.

Hac luculenta Theologiæ cæterarúmque scientiarum collatione constat, quàm arduum sit, quàm immensum munus, quàm humanis viribus impar, Theologiæ studiosi aut Professoris. Has enim omnes, quas enumeraui, & multò plures partes implendas habet: si cui desit, officio deest quod suscepit, & quod ipso nomine Theologi profitetur. Hinc popularem & crassum nonnullorum errorem refellas, qui Theologiæ vnicum aut certè præcipuum munus cen-

ſent, quibuſdam immorari, ac penè immori diſputationum tricis; quíque præſtantiſſimâ omnium Diſciplinarum ad oſtentationem ſubtilitatis & ſcientiæ, non ad vitæ legem, abùtuntur. His vnum ſtudium, litigare: ſicut quibuſdam canibus, latrare. Si ab Diſputationis & Scholæ diſtinctiunculis ad grauiora negotia, ad curandos animos, ad docendos aut regendos populos, ad interpretandas Scripturas, aut ad refellendos hæreticos auoces: videas loquaciſſimos in concertationibus Scholaſticis, in concionibus vel mutos, vel ineptos, ſe ridendos propinare. Videas in otio littetario & in vmbra pugnaciſſimos, in luce aduerſus hæreticos inermes & ignauos ad mulierculæ impetum turpiter arma & clypeum abjicere. Videas in Ariſtotele acutos, in Paulo vel Salomone interpretando plumbeos, aut ſtupidos hærere ad aperti loci ſenſum. Illi Theologiam honeſtiùs neglexiſſent, quàm vendant: cuius ſanctiſſimum nomen (quaſi Diſputare, non viuere aut aliud ſerium agere doceat) paſſim apud ſapientes traducunt. At verus Theologiæ alumnus, etſi argutias non neſciat, in his tamen operæ pretium non ponit: ſed per omnes ampliſſimæ Diſciplinæ partes latè vagatur; atque illâ Duce & Magiſtrâ, Scripturæ ſenſus rimatur & aperit, hæreticorum refellit inſaniam, ſalutaria documenta ſeligit, quibus populos imbuat, & ad omne munus Eccleſiaſticum ita verſatile ingenium parat & efformat, vt illum Eccleſia loco teli, promptuarij, & armamentarij repoſitum habeat. Vides hîc veris coloribus delineatam Theologiæ Tabellam. Fateor me qualemcum-

que huiuſmodi rerum vſum habere, vnde hauſi quæ toto hoc opere traditurus ſum. Vbi enim per plures annos Diſcipuli aut Præceptoris officio functus, diuinæ illi Sapientiæ docenti operatus ſum: Vtentem ad varia miniſteria, ad animorum remedia, ad populorum inſtitutionem, ad bonæ mentis ſtudia, ad Scripturarum interpretationem adhibui; & aliquali eius præſidio munitus, ad populum conciones habui, hæreticos variis locis, verbo, ſcripto laceſſiui, illorum caſtra aggreſſus ſum, vires & artes tentaui. His experimentis, quam concepi animo, veri Theologi Ideam toto hoc opere exhibitum ibo.

Verùm hæc, inquis, inuidiam huius Tractationis conflant & augent, potiùs quàm auertant. Quis enim mortalium citra temeritatem hoc Theologiæ Promptuarium inhauſtum ad omnes Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ac militiæ vſus ſuis ſumptibus, ſuo ingenio, apparandum ſuſcipiat? Abſit vt id mihi aſſumam, vel aliis pollicear: qui ingenij ac induſtriæ inopiâ ab illa beatiſſima vbertate & copia, quâ Theologum inſtrui conuenit, longiùs abſum; quàm qui ad diem viuit Mendicus, à gaza & opulentia Regia. Sed quid mali, quid culpæ fuerit; ſi ad extruendam Theologiæ hanc Ædem Sacram aut munitam Arcem ditiores me prouocem? Si ligna ſecem aut aptem? Si lapides comportem? Si aliquot minuta in ſumptus conferam? Si variis experimentis & animaduerſionibus iter ad ſapientiam muniam? Si nouis argumentis, ſi noua methodo, totis viribus Rem Chriſtianam adiutum eam? Cùm harum rerum aliqualem vſum habuerim;

nonnulla etiam, in has omnes Theologiæ Partes, interdum posito in arena & vt gladiatori noua consilia occurrere mihi. Hæc & alia id genus, quæ paraui, hîc depromo: An verò aliqua lux rebus fidei huiusmodi inuentis accedat, aliorum esto iudicium; dum, quæ in has Theologiæ Partes meditatus sum, aut illuxere, paucis aperiam.

Theologiæ Scholasticæ Summa & Analysis.

PRIMVM damus Theologiam Scholasticam noua Methodo breuiorem, nec fortè minùs apertam aut accuratam. Illius Analysim vniuersam tentamus: quâ omnes huius scientiæ conclusiones inter se aut communi principio annectimus, ordine altè repetito ab illo singulari Dei Nomine quod ipse sibi imposuit & Moysem docuit: Ego sum qui sum: quod Diuinitatis æmulum Cacodæmon sibi vindicauit & delphico templo inscribendum curauit hoc verbulo, Ei; quasi vellet dicere, qui est, hîc colitur: vt mirum sit vastissimam Theologiæ molem per omnes partes, quâ latissimè patet, duplici littera, vnâ syllabâ, quasi cœlesti diffluuio, coagmentari & (vt ita dicam) ferruminari potuisse. Atqui totius operis summam & præcipuam dotem in hoc glutino partium sibi aut communibus principiis appendentium repono. Cæterorum pleraque apud Authores obuia sunt, (plurimi enim ita sensu & verbis conueniunt, vt iures omnia sibi aut commodasse, aut præripuisse:) at nullus

(quod sciam) hanc partium consensionem tentauit aut curauit; quâ tamen constare puto sententiarum pondus, conclusionum firmitatem, ipsam denique Demonstrationis vim resolutoriam, quæ vna scientiam efficit & absoluit. At, inquies, si ea sit dos & energia huius methodi Resolutoriæ, vt inde tota ratio scientiæ constet. Quî fieri potest, neglectam vel omissam ab omnibus fere Theologis, à te vno inuentam; quasi ceteri inertem scientiarum molem compegerint, quam tu istâ Analysi distinguas & ornes? Bona verba. Quis neget-, quotquot scientias tradidere, ista arte vsos? Sed plurimùm interest, an insit eorum libris, vel extet. An illam adhibeas, vel vrgeas: an misceas aliis, vel solam aut eximiam sectere: an vni parti inferatur, vel totum Theologiæ Corpus fulciat. Longissimè distant; à te rem excogitasse & quasi ex nihilo eduxisse, aut assidua lectione è variis Auctoribus, quasi ignem è silice elicuisse. Fateor frequentem huius Methodi vsum apud Theologos: sed multi studio occultant, sicut Rhetores oratoriam Artem. Nos apertam volumus & exerimus: Dialecticorum leges, non oratorum, secuti. Qui vtuntur Analysi, rarò & obiter adhibent vni vel alteri parti: nos totâ Theologiam, nedùm Scholasticam & Ethicam sed Controuersam, ista Methodo digessimus. Nec eâ, quasi nostro ingenio partâ, gloriamur: totam referimus Doctoris Angelici libris; quorum assidua lectione ac meditatione comperi Theologiam Thomisticam, eodem quo Phidiæ Mineruam, ordine & artificio constare: atque vt statuæ huius celeberrimæ partes omnes

in vnam coïbant, cuius ordine luxato, cæterarum confusio & totius operis ruina sequebatur; ita planè Theologiæ Thomisticæ & Christianæ institutio huic singulari Dei Nomini, *qui est*, appendet, in hoc principium tota inclinata recumbit.

Huius rei fidem absoluet prima & secunda pars huius operis: ad cuius editionem post longas moras, præter monita amicorum & maiorum imperia, penè inuitum impulit duplex, quam spero, huius Methodi vtilitas. Nempè Doctrinæ Thomisticæ, quam multi falsò obscuram & difficilem causantur, vno filo contextæ, ac vno penè intuitu conspicuæ, exacta complexio, & clara legitimáque cum partium omnium consensione interpretatio. Vnde præter vindicias Sancti Doctoris ac Discipulorum eius, redundabit commune, hoc in Scholas commodum; nempè ad Theologiæ studia Compendium, quod multum temporis & laboris redimet citrà noxam profectus. Liceat mihi, Lector erudite, quod sentio, liberè apud te profari. Quamlibet floreant ac ferueant studia Theologorum, & fortè antiqua prouocent: censeo tamen progressum nec diligentiæ, nec ingenio auditorum respondere: quia duplici vitio retardatur, quo maximè laborant: Ignorantiâ vel neglectu mentis Angelici Doctoris; & prolixitate scriptorum, librorum copia & mole quâ orbis obruitur, vt nec possis decurrere, etiamsi in Scholis consenescas. Quamvis Academiæ ferè omnes Aquinatem communem Magistrum agnoscant: pauci tamen eius mentem capiunt, aut inquirunt. Alij notam

credunt & aſpernantur: alij ſe aſſecutos gloriantur, & prædicant ab ea Thomiſtas aberraſſe. Itaque diſcerpitur & dilaceratur Præceptor Angelicus manibus diſcipulorum, aut potiùs aduerſariorum. At nos harum Controuerſiarum, ſin omnium, certè præcipuarum, finem ſperamus ex conſtanti & aperta Sanctiſſimi Doctoris mente; quam omnium eius Doctrinæ partium conſenſio inuincibiliter demonſtrabit, & Thomiſtis eius diſcipulis vindicabit.

Huic priuato Scholæ noſtræ bono, fortè ex hac Analyſi alius communis Theologorum fructus accedet. Nam tot morarum in Scholis omnes tædet, ſcriptio longiorum quaternionum multos grauat, & plures deterret: deſperationem facit, ingentium voluminum (quorum nec finis eſt, nec numerus) lectio infinita: de quibus veriùs, quod de prolixa oratione Laco ille; Antequam medium attingas, memoriâ excidit initium: vbi ad calcem peruenieris, antecedentium obliuio inducitur. His malis, quibus ſtudia retardantur; iamdiu præſcripta ſunt & adhibita Compendiorum Remedia, & noſtro ſæculo frequentantur, quibus faſtidij morbus & laborum pars aliqua leuatur. Sed conqueruntur omnes compendiis redimi tempus grauiſſimo rei pretioſæ, eruditionis, ſcilicet, diſpendio: Illis potiùs nos ſcientiâ tingi, quàm imbui: duobus verbis perſtringi minùs poſſe longiſſimas Quæſtiones, quàm Geographicis notulis & punctis immenſas regiones. Ita eſt; ſi res plurimas & varias ac penè infinitas (vt fieri ſolet) in compendia congeras, ſi paucis explices, vno alteróue Argumento

mento probes. Nisi partes vinculo aliquo annectas, nisi Conclusionem vnam ex altera deducas; nisi denique ex tota veritatum collectione veluti exercitum instruas, aut vnitatem constituas eo ordine vt mutuò se tutentur ac firment, vt sibi vltrò citróque lumen offundant & per vices sibi vires accommodent: fatigabunt memoriam, ingenij aciem obtundent tanta rerum incompositarum varietate, & præ nimio labore à sapientiæ studio deterrebunt.

Curam horum malorum suscipio. Curationem polliceri non ausim, sed aliquod solatium & leuamen hac Analysi: Quæ collatione veritatum, memoriam rerum multitudine fatiscentem firmabit, menti, tum breuitate, tum varietate conclusionum confusæ, lucem accendet, collatione & consecutione sententiarum: quarum postremæ mediarum, & hæ primarum memoriam refricabunt, & parient intelligentiam; atque ità rerum cognatione Reminiscentiam Platonis veram non fictam inducet hæc Methodus, vt omnes Theologiæ partes in promptu, & in numerato habeas. Vtque is, qui vel vnum catenæ longissimæ annulum manu tenet, totam ad libitum versat, protendit, contrahit: sic ista Analysis Theologiam habilem & versatilem dabit; & (quod mirêre,) cum breuitate perspicuam, cum claritate profundam: quia quod lucis & alti sensus habent libri fusiores, vel à rationum numero, vel à solutionibus argumentorum, vel à suppositionibus præuiis; supplet connexió ac necessitudo partium, quæ ad intelligentiam lucem affundit, ad propugnationem vires, ad pro-

fundam eruditionem notiones miſcet, accõmodat ſingulis omnium rationes. Hactenùs de Scholaſtica.

Theologiæ Controuerſæ Compendium Analyticum.

CONTROVERSIARVM Tractationem, partibus multiplicem, quæſtionibus perplexam, ſophiſmatis obſcuratam, & incredibili Partium contẽtione tantùm non deſperatam, Eccleſiæ hoc ſæculo cum primis neceſſariam, ſecundo poſt Scholaſticam loco conſtituimus, & vnam alteri annectimus, ſimilitudine methodi, & arctiori fœdere mutuæ ſocietatis ad bellum in Hoſtes Eccleſiæ; quâ Scholaſtica Controuerſæ vires miniſtrat & arma verè Vulcania cudit: ac niſi id ſociæ & laboranti Eccleſiæ conferat auxilium, digna foret partis conuitiorum quæ in eam congerunt hæretici, vt illata ſibi vulnera vlciſcantur: ſed non minùs inimicorum maledictis & odio, quàm ſuis meritis, & Bonorum ſtudio, ac laudibus commendatur. Hoc immortale beneficium Sanctiſſimi Doctoris in ſe prædicat Eccleſia; quòd illo Duce in ſcriptis ſuperſtite, & certante, omnes ab inferis natas Hæreſes vicerit, & naſcituras vincere poſſit. Id luculento argumento tertia noſtræ Theologiæ Pars polemica probabit; expugnatis omnibus huius ſæculi erroribus, his armis quæ veluti præſaga mente in anteceſſum parauit, & in Summa velut in Armamentario repoſuit, & quaſi ad Turrim Dauidicam appendit.

Synopsis & breuis Deductio Hæresum huius sæculi.

QVOTQVOT infeliciſſimo omnium ſæculorum, ſuperiore ac noſtro, Eccleſiam exercent Hæreſes; ad duo genera reuoco, & ad quatuor capita. Quędam communia ſunt Dogmata omnium ferè ſectarum quæ à fide deſciuerunt. Alia ſunt Caluiniſtarum propria. Sed quò apertior & validior ſit horum omnium expugnatio, petitis ab origine malorum argumentis aut remediis: locum, vnde iſta impietatum colluuies manaret, non minus anxiè quàm veteres Ægyptij principia Nili, ſed fortè feliciùs quæſiui. Nam poſt longam indaginem certiſſimè comperi, à quatuor aut (ſi breuiùs malis) à duobus Capitibus natas omnes quæ extant hæreſes.

Communes quidem 1. generis è falſa notione peccati originalis, quod ſitum volunt in concupiſcentia prona ad bonum ſenſibile, & in primis motibus qui iudicium rationis & conſenſum voluntatis anteuertunt: Pudendâ certè hallucinatione, miſeria illis malitia eſt, ac pœna loco culpæ, ſenſumque mali pro conſenſu reputaret. Atque ex hoc putido fundamento, apertè deducunt ſecundum ſectæ capitale principium, de iuſtificatione per imputationem & fidem. Cùm enim ſitam velint culpam originalem in motibus concupiſcentiæ indeliberatis, quos interdum poſt baptiſmum & iuſtificationem actiores ſentimus; conſequens eſt vt aſſerant, iuſtificatione

non infundi gratiam quæ culpam eluat, ſed imputari per fidem iuſtitiam externam Chriſti, quæ relictâ & rectâ culpâ nos omni pœnâ leuet. Si ea ſit iuſtificationis ratio. Cùm Sacramentis fiat; non eſt quòd illa inſtruamus verbis operatoriis, quæ gratiam vt inſtrumenta Phyſica vel moralia efficiant; ſed concionatoriis, quæ ſignificatione promiſſionem fidem excitent. Si imputatione meritorum Chriſti culpa tegitur, pœna tollitur; Ergo nulla ſuppetit nobis facultas ad ſancta opera, quia omnia corrumpuntur ſenſu mali & peccati, quod viſceribus inhæret: Et quamvis poſſent elici, ſuperflua foret ad ſalutem quam ſolis Chriſti meritis debemus. Vana ſunt figmenta ſatisfactionum, Prægatorij, Indulgentiarum; hæc enim comminiſcuntur Catholici, vt remedia aut ſolutiones pœnarum, quarum rei ſumus, deletâ per iuſtificationem culpâ: quandoquidem hæ pœnæ nullæ ſunt, & omnes funditùs tolluntur imputatione per fidem, ex qua (vt breui hac Analyſi conſtat) velut ex equo Trojano emicuerunt incendia, quibus adhuc flagrat Chriſtianus orbis.

Impietates, quas ſecta Caluiniſtica habet ſingulares, velut ex infelici ouo infauſtiſſimum pullum excluſit, à fide iuſtificante, quam ſolis Electis propriam aſſerit incorruptam, ſui & diuinæ beneuolentiæ ac perſeuerantiæ futuræ non minùs certam, quàm eorum quæ fide diuina creduntur. Principium iſtud repetit altiùs, ex Reprobatione poſitiuâ; quâ nudo Dei arbitrio (vt loquitur Caluinus) citrâ vllum demeritum in æternam mortem mali damnantur, negatâ omni

gratiâ, quâ resipiscere, peccata vitare, aut salutem consequi possint. Ex hoc duplici principio, velut è bicipiti fonte omnium impietatum, deducunt primò Ecclesiam solis electis constare, & procul reprobos arcent. Hinc veluti rupes è monte præceps, in nouas subindè hæreses deuoluuntur nullo fine, nisi quem vltima impietatis meta dederit. Inde Ecclesiam fingunt inuisibilem; quia solos electos habet, Deo & sibi notos. Hinc ad insaniam delabuntur: cum solos veræ fidei tenaces credant, sua peccata quamlibet grauissima, etiam parricidia, venialia statuunt, apertà consecutione; quia fidem incorruptam non extinguunt, tanquam immortale semen, nullis concupiscentiæ flammis amburendum. Hinc se Catharos, hinc se Gnosticos & Theodidactos prædicant; Ecclesiam vniuersam errasse, defeciſſe, & per mille ducentos annos in situ ac tenebris jacuisse, à se suscitandam, emendandam & (nisi errorum pœniteat) vltimo supplicio afficiendam: se veras Christi oues esse, quæ vocem Pastoris audiant, veras Scripturas ab Apocryphis, legitimum Scripturæ sensum à falso secernant, certiore iudicio, quàm sit vniuersæ Ecclesiæ sententia & consensus, (hanc enim errori obnoxiam euenuts probauit;) séque omnis fallaciæ ac fraudis immunes, nec minùs Sanctos quàm omniscios, nasci se, non fieri Christianos, se nedum ab ortu, sed à 1. conceptionis instanti iustos, eo genere Iustitiæ, cui nulla iniquitas noceat, quæque omnia etiam futura peccata, quasi præcoquâ imputatione tegat; ad se solos spectare Sacramenta, cæteris

omnibus illudere ; quia tesseræ sunt prædestinationis æternæ, quæ ad reprobos non nisi per ludibrium dirigantur. Hæc retulisse, non refutasse modò est ; sed diris & totius humani generis execrationibus deuouisse.

Nec conquerantur sua Dogmata traduci, corrumpi ; euidentissimum enim est, hæc omnia Paradoxa, & multò plura ex illo immortali semine fidei electorum non deduci modò necessariâ consecutione ; sed & velut agmine facto, quâ data porta, prorumpere. Nam huius Analyseos Controuersæ, cuius duplex aut quadruplex caput aperuimus, multò certiores & euidentiores sunt consecutiones quàm superioris : quòd Scholastica abundet disputationibus problematicis, quæ vtrinque suos habent defensores citrà noxam fidei, qui refellere sine pertinaciâ, & refelli sine iracundiâ debent ; neque enim veris & euidentibus, sed probabilibus argumentis agunt, & nos deductionum plurimas, vt veriores, aut verisimiles damus, non vt certas, & extra dubium omne positas.

Prærer hoc euidentiæ bonum ac lumen, quo secunda hæc Analysis primæ præstat, duo addit commoda, quæ spero fore Theologis accepta ; breuitatem, dispendij & obscuritatis expertem ; & inuictam artem expugnandi hæreticos, à vulgari, quæ hodiè frequentatur, diuersam, & viro erudito digniorem. Nam quæ ingentibus & innumeris voluminibus Controuersiarum Scriptores sparsere, Enchyridio collecta habet, & in vno alteróve principio, etiam minùs perspicacibus peruia, & conspicua vno obtutu. Si enim

semel illam, quam recensuimus, ab hæreticis omnibus receptam de peccato originali, vel de iustificatione imputatâ, opinionem euerteris, cætera his fundamentis adstructa primi generis Paradoxa funditùs conuellentur & ruent. Si fidem incorruptam electis eximiam, & reprobationem positiuam, nudo Dei arbitrio ad pœnam, eodem ordine quo fit Prædestinatio ad gloriam, dejeceris; reliqui Caluinianæ Confessionis Articuli, velut paries inclinatus, & maceries depulsa, præcipites spontè cadent.

Ex his enim 4. capitibus, quasi ex inferni faucibus, virus omne erupit, quod per orbem grassatur. Si verò in singulos errores velis diligentiùs inquirere; præter deductionem ex fundamento hæretico (quod est primum, & euidens eorum falsitatis argumentum,) addimus alia, quæ etiam sepositâ à falso principio consecutione, apertiùs falsa esse conuincent: Atque hæc, veluti arietes, intorquere poteris in illud totius sectæ fundamentum; quod tot machinis dirumere possis, etsi millies resurgat, quot errores illi necessariò iunctos numerabis. Adde hanc disputandi Methodum Theologo conuenientiorem; quia ex scientiæ arcanis & veluti visceribus, ac medullis argumenta depromit: Et quia certum est ignorationem & contemptum Theologiæ Scholasticæ, hæc monstra de peccato originali, de iustificatione, de fide incorruptâ, de reprobatione positiuâ, peperisse; vix aliis armis perimi aut confici possunt, quàm quæ Theologia suum contemptum vltura, in aduersarios suppeditat & intorquet.

Ex ista verò errorum huius, & superioris sæculi compendiariâ Analysi, præter duo relata, totidem supersunt percipienda, nec hîc tacenda commoda. Primum quidem : cum virtus & veritas posita sit in partium conuenientiâ, quam æmulantur, non aperta, sed fucata vitia, erroresque subtiliores, & arte atque eloquentiâ defensi, quales sunt Caluini, eò pestilentiores, quò acrius ingenium, illi quam Luthero contigit: certum est perspicaciores vno intuitu, totam hæresum contexturam, omnesque commissuras peruidere, & comprehensâ singularum origine, nihil nos latere posse, etiam non lecto Caluino, quid de quaque re senserit, aut scribere potuerit homo à veritate semper, à se rarò dissentiens.

Quod Iulium Cæsarem narrant, monentibus se caueret ab Antonio, nullum respondisse ab hoc tomulento, sed à Cassio abstemio, & à Bruto Sobrio, & macilento, grauius impendere periculum; in Lutherum vino recoctum, & ad symposiaca pernoctantem, & in Caluinum, tetrico & horrido quasi nitentis, aut aliquid mali machinantis vultu, verissime cadit; plus abisto, quam ab altero, damni Ecclesiæ importatum. Neque enim quod semel animo insederat, mutabat vnquam, longissiméque aberat ab illa leuitate mentis, quâ Coclæus testatur Lutherum eâdem de re octogies centies variasse sententiam. Ex eâ hominis pertinaciâ, subtilitate, ac firmiori contexturâ errorum, ad certam mentis illius notitiam assurgimus : vnde consequuntur perinde aperta ab aliorum sensibus discrimina.

Et quod ad Scholam nostram attinet; multis

constituta est infinita distantia, & intercapedo, quâ disiungimur ab hoc hæresiarcha, quem nobis summâ charitate quidam germanissimum dabant. Sed contrà ego contendo, Catholicorum nullum, cum Caluino conuenire. Absit vt Iansenium censurâ summi Pontificis, Clerique Gallici notatum, velim defendere: sed id certissimè pronuntio, à Caluinismo cuius ab Aduersariis, quasi apertè reus traducitur, esse immunem: eamque accusationem proficisci non posse, nisi ab ignoratione veri Caluinismi, & ab æstu lacessendi Catholicos, & propellendi ad partes Caluinistarum, quos esset è re Catholicæ Ecclesiæ, debilitare aut minuere, reuocatis ad bonam mentem pluribus errore excœcatis, quam tantâ virorum doctissimorum accessione augere.

Totum Caluinianæ hæresis venenum, & origo, est à fide incorrupta, eximia electis, & à peccato originali, in motibus indeliberatis concupiscentiæ, à quibus abstergi nequeat peccatum actuale æterna morte dignum. Quisquis ab nis duobus dogmatibus, & quæ substrauit Caluinus, fundamentis, aut inde deducit, consecutionibus, abhorreat; verbis tenus, huic Sectæ adhærebit, sensu & re procul. Atque eo ordine delineauimus Theologiam Controuersam; vt illâ paulò fusius explicatâ; totum Bellarminum breui validéque defensurus sim, contrà Amesium eius eneruatorem, & Chamierium profundioris eruditionis, ac Caninæ facundiæ Scriptorem, meo judicio omnium Caluinistarum doctissimum. Hos nostræ Methodi beneficio eneruа-

re, etiam eorum viribus impares, minusque eruditi docebuntur.

Sed proprij nominis deffensio cogit, superioribus aliqua addere. Vtinam perinde euidens esset, Iansenium Augustini verborum tenacem, ab illius mente non aberrasse; vti certum est à Caluino recessisse: neque enim tamdiu in Ecclesiâ turbatum esset, neque Scholæ & Pulpita quæstionibus facti, & Iuris perstrepuisset; quibus cum sopiendis occasione cuiusdam distinctionis, ad defensionem D. Fagnani aduersus Vendrochij censuram necessariæ, nempe veritatis ad speculationem, & ad vsum, atque officium pertinentis, breuiter secundæ Partis Moralis Disputationi quartæ vnum verbum inseruissem, in varias incurri suspiciones, quasi bonæ causæ præuaricatus essem, datâ copiâ dubij innoxij, & inculpati, de his quæ Decreto Pontificio & Ecclesiastico sancita sunt; licet adiunxissem quasi antidotum, dubium illud, qualecumque permittatur, speculatiuum esse, nec excusare eorum contumaciam, qui decretis obsistunt, eaque recusant suâ manu firmare, quasi sensus interni illo dubio sanioris signaculo. Sed vt paucis eius loci sensum, & quo vsus sum Argumenti vim aperiam,

Obseruandum est, quasi apud omnes receptum, hæc duo, plurimum differre, quem sensum quinque Propositiones famosæ facerent, & præferrent; & quo sensu traditæ essent à Iansenio, Augustini verbis ferè semper vso. Prima Propositionum interpretatio, ad Iuris quæstiones pertinet, & Apostolicis definitionibus, fide indu-

bitatâ, ac diuinâ recipiendis, idonea eſt, atque opportuna. Alteram vero Propoſitionum explicationem, contendunt plures cadere in quæſtiones facti, aut illi adiunctas habere. Ex hac diſtinctione inductâ ad controuerſias dirimendas, natæ ſunt prope infinitæ; quibus ſin extinguendis, (quia id ſperari vix poteſt:) ſaltem minuendis, & elucidandis, nolebam meam opellam deſiderari. Et ſi minutiores ſubmoueamus difficultates, tota lis hoc duplici capite continetur; an reuera quæſtio facti, vtrum Ianſenius verbis expreſſis, aut æquiualentibus, & quo ſenſu has Propoſitiones docuerit; dirimi poſſit definitione, quâ res certò ſanciatur fide diuinâ credenda, vel ſi nec eò non deducta, aut deduci poſſe, gratis concedatur peruicacioribus, eximantur à præcepto ſubſcribendi Decreto Pontificio, damnanti Propoſitiones vt hæreticas nedum ſenſu quem præferunt, ſed quo etiam verbis expreſſis aut æquiualentibus ab Auctore ſuo operi inſerta ſunt.

Duobus itaque præſidiis ſeſe muniunt, qui Decretis Pontificiis detrectant ſuum chyrographum aſcribere in conſenſus interni teſtimonium; hocque vno Argumento putant, nedum ſe tutos, ſi ab hoc obſequio reſiliant, ſed nec poſſe ſaluâ conſcientiâ præſtare. Quæſtiones rerum facti, quæ vel ſub ſenſus cadunt, vel multis implicatæ ſunt difficultatibus, ad Tribunal fidei non pertinent, niſi noua reuelatio diuina acceſſerit, nec vlla definitione eo prouehi poſſunt, vel aſſeri illis certitudo indubitata fidei diuinæ: Atqui quam præ manibus habemus

quæstio, rebus facti continetur: Ergo temerè exigitur consensus internus, vel subscriptio testis fidei diuinæ internæ, quam præstare nequeas, nec subinde significare à te prętitam, saluâ religione juramenti.

Causam Censuræ harum Propositionum satagentibus, & subscriptionem persuasuris depellendi sunt Aduersarij, ab iis quibus se tutantur, vtroque vel altero præsidiorum. Multi primum aggressi sunt, magno conatu, & in id totis viribus intendunt, quæstionem facti recidere in iuris definitionem, illique indiuiduam esse, quod identitatis, aut inseparabilitatis vtriusque generis quæstionum nomine significant, & vrgent infinitis Argumentis; quibus pari subtilitate, & majori eloquentiâ responsum est: & cum his viris pugnacissimis reuincendis, atque huic primæ difficultati superandæ, me imparem sentirem; alteram aggressus sum, ratus meis viribus accommodatiorem, à quâ sperabam me faciliorem, & forte fœliciorem exitum consecuturum. Atque ita tacite apud me reputabam: esto res facti prouehi nequeant in definitiones fide diuina credendas, nisi noua accesserit reuelatio diuina; male inde assumitur, nec debere, nec posse huiusmodi rerum facti Constitutiones in obsequij & consensus interni signum chyrographo signari; idque eâ digressione contendo. A primo capite abstinui multis de causis, maxime propriæ infirmitatis conscientiâ, quia sentiebam me Argumentis id consequi non posse. Quare valentioribus me hoc primum præsidium impugnandum reliqui, eo-

dem prorsus animo, quo totâ primâ Parte Ethicæ aduersus Caramuelem disputaui.

Probabilitatis causa, à Caramuele defensa, hoc vnico continebatur fundamento; quidquid ex ignorantiâ inuincibili cuiuscumque juris, etiam naturalis sit & existat; dogma fidei est omni culpa carere: Atqui propositiones probabiles vniuersim imbutæ sunt ignorantiâ inuincibili, ex ipsa probabilitatis ratione: Ergo quæ ad opinionem probabilem exiguntur, omni peccato vacant. A primæ Propositionis disputatione abstinui, ne Controuersiæ cursum expeditum implicarem difficultate intricatissima, de quâ adeò pugnantes sunt sententiæ, vt Caramuel tanquam dogma fidei statuat, inculpabile esse quod fit ex ignorantia; multi secus sentiunt, & putant esse dogma fidei definitum contrà Pelagianos, nullâ, quod admittitur contrà jus naturale, ignorantia à peccato excusari. His omnibus difficultatibus hinc & inde ebullientibus, sepositis, totam disputationis aleam ad secundam Argumenti Propositionem reuocaui, breuius & fœlicius pugnæ finiendæ & consequendæ victoriæ causâ.

Simillima planè est controuersia, & excusatio detrectantium subscriptionem Constitutionis de sensu Iansenij. Ad quæstionem, inquiunt, facti pertinet, quo loco, quove sensu has propositiones docuerit Ianscnius: quidquid sit de hac assertione, quam ad altius subsellium remitto; falsam demonstro alteram quæ subiungitur, ad nullius quæstionis facti determinationem exigi solere, aut posse ab Ecclesia, con-

sensum internum, seu diuinæ, seu humanæ fidei. Contrà contendo: judicium de rebus facti Pontificium & Ecclesiasticum, ne dum externâ reuerentiâ prosequendum; sed etiam interno assensu, ex illa regula, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, & standum pro lege, atque Imperio majorum, nisi euidens sit præceptum à vero & à recto aberrare. Quamvis aliud nihil hac responsione, quam breuem & dilucidam ex fundamentis positis intricatissimæ difficultatis deprompsissem solutionem, boni consulenda esset explicatio, & distinctio veritatis speculatiuæ & practicæ, infinitis recusantium consensum infringendis Argumentis aptissima. Hoc vnum volui & puto me consecutum, neque tamen meo sensui sic adhæreo, quin paratus sim corrigere, si accesserit Ecclesiæ & Summi Pontificis judicium cui me subijcio. Argumentum tantum ad hominem in Aduersarios expediui, quo illorum causa labefactatur.

Hoc enim litteraria, & vt sic loquar, argumentosa præsidia à militaribus differunt, quod ex istis interdum vnum vallum vincendis aut arcendis hostibus sufficiat: at cum Argumenta tribus terminis, & partibus, præmissis duabus, vnâ conclusione constent, solitarium præsidium inutile & infidum est. Hoc etiam distant (idque magis ad institutum facit;) hæc duo præsidiorum genera, quod bellicorum, si plura jungas inæqualiter firma & munita, vno effracto, aliud stare nihil vetat, & expugnato debiliori, tutari te validiori potes. In re litteraria secus omnino agitur; præmissæ Argumenti loco sunt

duplicis valli, hac conditione, vt si falsi vnam præmissarum conuincas, tota sit confecta controuersia, aut verius res infecta. Imò nedum falsitas, sed vel etiam dubitatio vnius ineptam efficit alteram, quamlibet compertam, legitimæ consecutioni, ex illa firmissima lege conclusionem sequi partem debiliorem. Quid ergo mihi opus facto fuit, occasione tantam controuersiam de subscriptione breuissimè delibanti? E' duobus præsidiis aut principiis, quibus detrectantes consensum constitutionibus Pontificiis se tutabuntur, relicto vno quod longioris erat disputationis, aliud aggressus sum expugnatu facilius, quo nedum euerso, sed infirmato, corruebat tota Aduersariorum defensio, ex lege immota conclusionem sequi debiliorem partem: vnde mihi videbar pro tempore decretis Ecclesiasticis reuerentiam conciliare, qualis mea industria poterat aduocari, & satis idonea videbatur responsio ignaris, minusque peruicacibus ad obsequium pelliciendis.

Non omnia possumus omnes. Mihi delegi vt aliàs cum Mercoro dixi, pugnam Dauidis fundâ peragendam: quia non satis habeo virium ne dum admouendis, sed nec etiam sustinendis grauibus Saülis armis. Hac vnâ tantum re potui Theologum agere, quâ ratione libri scribuntur. Satis me tutum & munitum putabam, præstructâ distinctione duplicis veritatis, ex regula partis tutioris deligendæ in dubiis, aduersus telorum & Argumentorum imbrem, quibus hunc consensum Aduersarij impetebant. Contrà alteram Argumenti & disputationis partem,

cùm me sentirem minus firmum, nec locus pateretur longius disputandi, à quæstione abstinui non solum breuitatis causâ, sed etiam infirmitatis & ignorantiæ conscientiâ: cuius tantum abest vt me pudeat, quin etiam illa glorier; quia inde sentio diuersissima esse Theologi, & fidelis officia; quod ad me attinet, multo plura credere possum, si majorum imperium accedat, quam disputare. Optimè mecum agi reputo, quod modica aut verius nulla mihi sit parta Theologia, collàtione ad fidem; quâ sic comparatus sum, vt quæ illius auxilio, nec docere nec confirmare possim, aut deffendere, fide certissimâ credam, cùm legitima potestate fuerit definitum. Hactenus de Theologia controuersa.

Theologiæ Moralis multiplex pars & summa.

TERTIA Theologiæ Thomisticæ Pars omnium vtilissima est Ethica, quæ Christianum instituit, & perfecta sui cognitione imbuit; ad quam velut ad certam Regulam tota Vita exigenda est. Sunt nonnulli Theologorum, (vt initio iam monui) qui subtilia magis quàm solida sectati, solis argutiis immorantur; quæ nec ignoranti nocent, nec scientem iuuant: sed sine noxâ decipiunt, (vt inquit Seneca,) quomodo præstigiatorum acetabula & calculi in quibus fallacia ipsa delectat. Legitimus Theologus qui Sanctissimi Doctoris Disciplinæ hæret, ista magis aspernabitur, quàm nesciet; ac semper seria & sancta animo versabit; & vbi cum Apostolo

mente

mente excesserit Deo, sublimia speculatus, salutaria seliget, quibus Christianam Ethicam ditet.

Quam, etsi latissimè pateat, ad duo capita reuoco: ad motiua, quibus pij affectus cientur; ad regulas quibus vita Christiana & humana emendatur. Hæc autem duo, hominis Christiani juribus, & officiis continentur. Iura seu Beneficia Christiano collata omnes pietatis affectus efficacissimè mouent: officia, justitiæ vniuersæ partes complectuntur. Atque hinc inexhausta Concionatoribus seges exuberat, imò sola materia est digna Concionibus; & qui à Christianismi tractatione recedit, indignus est qui audiatur. At Concionatorum plerique ab iis omnibus abhorrent, otiosis & subtilibus delectantur, atque his nugis populorum plausus captant. Sed liberè pronuncio, alienum esse ab Ecclesiaste, (quidquid dixerit, quamlibet eruditum sublime, ac diuinum, si velis,) quod Christianum sui officij non moneat, & ad illud implendum non juuet, instituat, hortetur; atque hoc vnum agat vt auditores ad omnem officij quæstionem sciant, & in promptu habeant, quantùm Christianus nedum animalibus, sed reliquis hominum, imò & Angelis antecellat, quam sibi personam Deus imposuerit, magnâ cum excellentiâ præstantiâque reliquarum creaturarum. Et ne videar Ecclesiastem, præscriptâ hac metâ, in ordinem cogere, & Ministerium diuini verbi (quod latissimè patet & liberè vagatur;) addictum vnius hominis Christiani cognitioni ac officio, ad inopiam & in angustias conijcere: agnosce ex defi-

nitione Christianismi, (quod vnum Concionatori Argumentum permitto,) quàm inexhaustam segetem metiendam suppeditem, quam immensas regiones decurrendas, quàm opulentas auri & argenti venas effodiendas aperiam.

Christianismum voco, statum & ordinem gratiæ, missione Spiritus Sancti, quâ adoptamur in Filios Dei & hæredes, constitutum; & post ruinam peccatum primi hominis consecutam, instauratum Verbi Incarnati missione, sub Euangelij œconomiâ.

Pauciſſimis his verbis, totius Ethicæ Christianæ summam & omnia Ecclesiastæ argumenta complexus, paulò fusiùs explico.

Cùm ad cuiusque rei aut veritatis indagationem, nulla sit familiarior aut certior ratio, collatione cum similibus, aut diuersis rebus; vt agnoscas, quâ conueniant, quâ distent, & ex similitudine ac differentia definitioni lux accedat: hâc viâ ad Christianismi notitiam progredimur. Quatenùs enim nos ad ordinem gratiæ euehit, & Spiritu Sancto, ac jure Filiorum Dei ad hæreditatem nos donat; ab ordine naturæ seiungit nos duplici discrimine, status & finis, & nos societati Angelorum inserit, eiusdem adoptionis & hæreditatis consortio. Hoc jus peccato primi hominis ablatum, alterâ missione Verbi restitutum, nos suprà sortem Angelicam ad diuinam transmisit tribus beneficiis; nempè gratiâ vnionis hypostaticæ, quâ humile semen Abrahæ prætermissis nobilissimis mentibus, ad intimum diuinitatis consortium prouehitur: gratiâ Redemp-

tionis, quæ pretium infinitum pro salute nostrâ appendit: & resipiscendi facultate quâ ad gratiam peccato amissam reditus conceditur post repulsam Angelorum. Hæc beneficia, licet per se ampliſſima, si incrementum pati possint, capiunt propè infinitum; quòd nos illis Deus dignatus sit, posthabitis Angelorum agminibus, quibus casus mors fuit, & qui primo peccato præcipites è cœlo in infernum cecidere. Verùm quotquot ab orbe condito justi ac pij fuere, (quorum laudes fusè prosequitur Apostolus,) trini huius beneficij vsuram habuere nobiscum communem. Licet enim ante Christum nati, illi nihilominùs adhæserunt vt capiti; sicut manus paruulis exerta, antequam in lucem prodeat caput, corporis membris accensetur. Eiusdem etiam Agni sanguine, ab origine sæculorum occisi, salus illis comparata est: plures quoque illorum, lapsi in peccatum, veniam consecuti sunt.

Horum beneficiorum consortio pariáne nobiscum facturi sunt? Nequaquam: infinitis partibus superiores sumus vnâ Euangelij Oeconomiâ, quæ definitionem Christianismi absoluit, & nos à jugo legis in libertatem Filiorum Dei asserit; nos ab exilio ad patriam reuocat, ab vmbrâ figurarum ad lucem rerum; à spe bonorum ad vsuram; nos à grauissima seruitute vindicat, & (vt vno verbo complectar;) iis iuribus & donis suprà omnes præteritarum ætatum justos attollit, quibus Apostolus omnibus ferè Epistolis nouum Testamentum veteri anteponit.

Quamvis harum collationum singulæ Ethicam

noſtram locupletent, & copiâ nos inopes efficiant: prior tamen cum Helleniſmo vberiorem ſuppeditat materiam; cuius non abs re fuerit opulentiam vno verbo indicaſſe. Cùm primùm conditos nos Deus ſecundâ generatione inſtituat, & hominis conditionem, Chriſtiani nomine augeat, & gratiam naturæ, veluti cœleſte germen terrenæ arbori, inſerat: continuò die noctúque id animo verſandum, nec vnquam ab eâ cogitatione vel momento ceſſandum; quid à nobis vtraque ſors, officij exigat. Quia ſemper hominem agere oportet, vel Chriſtianum; id eſt, ratione duci, vel fide. Nam ſicut ratio eſt fides hominis, de quâ verè Apoſtolus pronunciat, peccatum eſſe quicquid ex fidei ſeu ex rationis regulâ non fit: ita fides eſt tota ratio Chriſtiani, ex quâ illi viuendum eſt; ſiquidem juſtus ex fide viuit. Itaque illud ſemper præ oculis, præ manibus habendum; quid fides, quid ratio iubeat: quæ ſit hominis, quæ Chriſtiani dignitas, quod vtriuſque nominis officium. Neque iſta noſſe poteris: niſi gratiam naturæ, fidem rationi, Hieroſolymam Athenis, Euangelium Philoſophiæ, ſeù Helleniſmum Chriſtianiſmo conferas. Id verò proſequemur primâ Ethicæ collatione, hoc ordine.

Si quæras, quid ſit ſimilitudinis hominem inter & Chriſtianum? Dico hoc præcipuè conuenire, quòd cætera omnia condita ſint cauſâ vtriuſque, ad vſum corporis vel animi: & vterque Dei cauſâ; cui pareat vt principio, quo fruatur, vt fine ac ſummo bono. Sed quibus differt nominibus? Propè infinitis. Duo præcipua no-

tanda. Distant statu & felicitate: vnde innumera consequuntur, quæ Christianismum ab Hellenismo diuidunt. Breui omnia perstringo.

Licet natura in homine, vel Angelo quocumque, etiam (si velis) possibili, vires omnes educat & exerat: nunquam ei fas erit prætergredi seruitutis gradum, & ad amicitiam vel adoptionem diuinam transmitti, aut diuinitatis visionem consequi. Hæc sunt gratuita Dei dona, quæ gratiam à naturâ sejungunt. Hæc seruos generat, illa filios; hæc Deum in effectu velut in speculo operum contemplatur fruendum, illa Deum in seipso, & creaturas in omnipotentis arte, velut in speculo intuetur.

Quæ primum hominis & Christiani discrimen consequantur, ratione seruitutis & adoptionis, pauca seligo. Certum est, quocumque gradu & loco simus, nos Deo charos, Deo plenos esse, donis eius cumulari, prouidentiâ defendi, legibus regi. Verùm hæc quinque bona, communia genere, partibus diuersa sunt, ratione conditionis; neque enim eodem loco seruum habet ac filium, diuerso illos amore prosequitur, aliâ prouidentiâ tutatur, aliis legibus regit, augustiori filium dignatur præsentiâ, & illi seipsum, seruo sua bona largitur. Si plura conferat Deus Christiano, jure plura exigit. Itaque alia sunt naturæ, alia gratiæ officia, quæ his legibus & beneficiis respondeant: aliæ virtutes, quibus hæc officia impleantur: diuersa etiam & grauiora sunt hominis Christiani peccata, quibus tota tota Deo collata bona, hæ leges, hæc officia pessumdantur: alia sunt peccatorum in legem gratiæ,

vel naturæ remedia quibus curentur : aliæ denique & efficaciores vires à gratia conferuntur, quibus vitari possint. Hæc omnia consequuntur Christianum, jure status seu filiationis diuinæ.

Altero discrimine, scilicet beatitudine, latissimus sese campus aperit, de finibus bonorum & malorum disputandi. Hîc Hierusalem Athenis committimus; adeò felici huius collationis vel pugnæ exitu, vt Ethica Christiana Philosophiam humanã sibi obnoxiam faciat, & quatuor deuinciat beneficiis. Primò confirmãtur, quæ de virtute cæteris bonis æternis ac temporariis anteponendâ verè dixit. Secundò quæ secùs de eâdem virtute beatitudinis loco habitâ, (cùm ad illam sit dumtaxat medium) emendat. Tertiò quæ Aristoteles & Plato statuunt de felicitate in Deo per effectus cognito quærenda, ad fruitionem apertamque visionem Diuinitatis euehit & transfert. Quartò denique dùm hac summi boni fruitione vota nostra implet ac superat, veterum omnium communem defectum supplet; quod desperationem inducant cumulatæ fœlicitatis, quæ nos omnium votorum compotes efficiat. Vnde solus diuinæ huius Ethicæ Author Christus dicere potest, *si quis sitit, veniat ad me*: cuius hîc Breuiarium placuit attexere, vt nota sit series huius Analyticæ Tractationis.

Hanc partem præ cæteris excolui, multóque plura, quæ ad illam spectant, collegi ex vberrimo S. Doctoris promptuario, & inde elucubraui Apparatum Concionatorium, in omnes ab Ecclesiâ hodie receptos, per Aduentus, Quadragesimæ & anni cursum, Concionandi vsus; ab iis

qui in lucem prodierunt, methodo rebusque diuersum. Totus accedit ad Reynerij Pantheologiam, & Moralem Iauelli. Ille quidem ex D. Thomæ operibus excerpsit, subtilitatibus semotis, quæ ad bonam mentem conferunt, quæ cient pietatis affectus: alter mirum in modum Ethicam Christianam locupletauit, collatione cum Peripateticâ, aliisque Philosophorum Sectis, quas omnes vno Hellenismo complector.

Vtriusque institutum mihi semper placuit; & modo etiam impensius probatur, quod videam à sapientissimis, & in hâc palestrâ exercitatis Nicolao Griletio & Lingendio laudatos, aliisque commendatos, vt lectitarentur. Horum duorum exemplum secutus sum, & methodum junxi; cumque litterarum humaniorum, quod isti neglexerunt studium, plurimum conferre possit Ethicæ Christianæ adiumenti, non est dubium quin situ & squalore rudioris styli absterso, hæc pars Theologiæ Thomisticæ elegantiori cultu donata, vberiores fructus sit relatura.

De Theologia Casuum Conscientiæ.

FATEOR Ethicam hactenus à me explicatam, plurimum differre, ab ea quam Casuum Conscientiæ Theologiam vocant; sed adeò latum discrimen, magis vitio sæculi inductum est, quam ab illarum partium indole & conditione natum. Ethica seu Moralis Christiana, vna est quæ vitam instituit, mores componit, affectus pios mouet, actiones Christianas humanas-

que ad certas regulas exigit. Sed temporum corruptela, has omnes noſtræ Ethicæ indiuiduas dotes diuiſit, & Moralem induxit nouam, non tam ſtabiliendis, quam relaxandis legibus, nec cohibendis, ſed permittendis affectibus. Neque enim quid nos facere conueniat, aut oporteat quærit, quidve ex lege implendum: ſed verius quid ex illa detrahi poſſit; ne jugo legis grauemur: & hoc potiſſimùm ſe inſpexiſſe teſtantur plures, vt illud Chriſti Verbum impleant, aut potius nimiâ indulgentiâ corrumpant, *jugum meum ſuaue eſt*, &c.

Non credidiſſem hanc partem, non dicam primùm, ſed vix vnquam me tractaturum; de quâ tamen mihi prius, quàm de reliquis ſcribendum fuit, datâ occaſione, aut potius impoſitâ neceſſitate eos refellendi, qui hanc Euangelij partem præcipuam, mandatorum liberiùs interpretati, ea laxamenta in noſtros Authores coniecerant: à quâ accuſatione vindicandi fuerunt, & ad certas regulas reuocanda Ethica Chriſtiana; cuius aliquod ſpecimen dedimus; vnde agnoſcet Chriſtianus Lector, eâdem quâ digeſſimus Scholaſticam & Controuerſam Theologiam Methodo Analyticâ, poſſe hanc etiam ex principiis regulisque D. Thomæ plenam cumulatamque confici; ſi duabus partibus hac de re editis addantur eidem fundamento, de opinionum pro lege delectu ſingulorum dubiorum de agendis, quos vocant Conſcientiæ Caſus, in omni re Morali aſtruantur reſolutiones: quod ſe facturum promiſit Iulius Mercorus, & nos aliis intentos poſſet h[illegible]labore leuare, & munere dignius defun-

gi, cum in iudiciis fori interni, & externi sit versatissimus, magnamque vitæ partem detriuerit, hodie à Mantuano & Papiensi, ad Mediolanensem inquisitionem vocatus, & forte auditurus sit: *amice ascende superius*, vnde velut è speculâ inspiciat, quæ impendeant pericula, laxiorem Moralem secutis, eaque certis consiliis amoueat.

De Theologiâ Positiuâ, & Scripturæ interpretatione.

CÆTERVM quas hactenus enumeraui partes tres, aut species, vix vllum operæ pretium edituræ sunt, nisi quarta accesserit quam Scripturarum & positiuam vocamus, quæ breuem & apertam totius Scripturæ interpretationem contineat. Hæc si cui desit, nedum dimidiatus, sed pœnè nullus sit Theologus: & in informe, atque mutilum opus euadet triplicis Theologiæ, nisi quartâ cumulentur ex eodem fonte hauriendâ.

Existimo enim modico temporis, & laboris impendio confici posse, catenam auream, in omnes Scripturæ libros ex Summa S. Doctoris, quam meritò Thomisticam aut Dominicanam catenam vocare possis. Audio nonnullos morosiores, qui D. Thomæ aliquot ex enumeratis dotibus concedant, sed Scripturarum & traditionis in illo peritiam desiderent; & crebriora Aristotelis, quam SS. Patrum, & Scripturæ testimonia apud illum legi criminentur. Sed qui ita reputant, dubitare meritò possis, an illis vnquam

lectus sit D. Thomas ; cum passim infinita ex SS. Patribus, & ex Scripturæ libris loca occurrant, quæ interpretetur, quibus sua dicta, sensaque confirmet. Atque vt ex infinitis pauca attingam, quod nam de Quæstionibus D. Th. de opere sex dierum & de legibus, in Genesim, & in Leuiticum ac Deuteronomium, luculentius & exactius scribi potest Commentarium ? Certè Paulus Burgensis, ex nobilissimâ Iudæorum familia, & Rabinorum sui sæculi facile princeps, vnâ quæstionum de legibus lectione, eiurato Iudaïsmo testatus est se ad Christianismum vocatum. Adeò illi visus est Legislatoris mentem Sanctus Thomas fuisse consecutus. Nec alios Scripturæ libros minùs erudite genuinoque sensu interpretatur.

Inde mirari subit beatissimam Summæ huius Angelicæ copiam, quæ omnibus enumeratis à me partibus Theologiæ sufficiat, & exuberet. Narrant in India nasci arborem prodigio similem, incredibilis magnitudinis, tot rerum, tot fructuum feracem, vt vni naui onerariæ sufficiat; ligna ad totam fabricam, & suppellectilem nauticam, materiam ad funes & vela ministret, fructus ad merces, & justum pondus sine saburrâ: sola denique amplissimum nauigium turri simile conficiat, instruat, oneret, impleat. Miraculum istud vmbram voco infinitæ (& si fas ita loqui,) portentosæ fœcunditatis ; quam in Summa Doctoris Angelici, qui non videat nimium cæcus sit : inuidus vel stupidus qui non miretur. Hæc licet vnam in speciem Theologiam præferat, omnes complectitur ; subtilitatem Scholæ nul-

Iam non habet; sola hæreses omnium sæculorum euertit, Concionatores vberrima, rerum copia ditat; conscientiæ casus omnes non minus dilucidè quàm tutò expendit & dirimit; Scripturam ferè omnem perpetuis Commentariis interpretatur: quæcumque nos dixerimus, illi accepta referimus.

Apologia D. Thomæ aduersus quatuor Scriptores.

ITAQVE hoc vno Magistro ac duce, tutò, ac facile huius quadruplicis Theologiæ Sacris initiari, & arcana intimius penetrare licebit, illum sequi volentibus. Sed cum ex Ambrosio *primus discendi ardor sit nobilitas Magistri*; & quem omnibus suadeo audiendum, nonnulli ausi sint grauissimè incessere, ab horum calumniis vindicias, quarta & postrema huius Manuductionis parte, toti quod molior operi præmittendas censui, quasi loco Prolegomenorum. In Diuum eiusque Familiam & Scholam videntur Classicum cecinisse præter Antiquorum aliquot quibus ab eius discipulis abundè responsum est, è Recentioribus quatuor, aut quinque. Mirum est quantâ verborum & conuitiorum atrocitate laruatus Scriptor sub nomine Petri à Clausa-valle, satis suo stylo & nomine notus, illum cum discipulis insectetur: seruili, & pecuino ait Spiritu agi, qui in eius verba iurant, & fatuo amore dementari, in illo suprà omne quod dicitur doctum attollendo. Quamvis laudes á

nobis in illum collatæ sordescant, præ Encomiis quibus à Christo & Summis Pontificibus commendatur; cæterum vt ex vno agnoscas, quid toto opere moliatur in Prædicatorum Familiam, & Scholam Thomisticam; caput illi præficit Magistrum generalem, quasi Opilionem Arcadicum, & nos omnes tribus quasi furiis transuersos agi scribit in suos, ex nostra inscitia barbarie, & superstitione.

Æquus & modestus est hic Author, præ altero nomine Petro Alua, qui operis quindecim Nodorum jam bis editi, titulo quid toto libro agat ipsemet vult omnibus notum. D. Thomam deformat nomine Sebæ perduellis in Dauid Regem, Abelam profugi, cuius Ioab muros cingit, vniusque caput Sebæ deposcit, promissa ciuitati veniâ, si spontanea vnius Sebæ traditione vim redimat & excidium: ita Petrus Alua in Ducem militiæ Dei exercituum à sese constitutus, D. Thomam quasi in Deiparam sacrilegum prosequitur, *Spirans minarum & Cædis*, tantoque zeli æstu abripitur vt non dubitet prædicare, se tot meruisse elogia, quot habet litteras suus liber benè longus & spissus, quod Elogia D. Thomæ funditus euertat; & approbationes quæ pro doctrina Angelica circunferuntur, omnes ferè fictas esse, & falsas, aliquot dubias, & incertas, nullam aut rarissimam veram, eamque multis vitiatam inuictis argumentis demonstret.

Accedit tertius D. Thomæ Mastix, superioribus in speciem moderatior, minusque iniquus. Hic aliquot Epistolis, eò acrioribus conuitiis, quò ab acerbitate verborum abstinet, D. Tho-

mæ ſupinitatem, inſcitiam, malam fidem traducit; quod nonnullis ex Cyrillo, aliiſque Patribus Græcis, teſtimoniis, quæ vt loquitur non magis apud ipſos quam apud Heſiodum, & Virgilium extant, inductus & deceptus, crediderit Petro & Sedi Apoſtolicæ aliqua jura inſtitutione diuinâ collata, pluresque in hunc errorem impulerit, quos traducit hic Auctor, quaſi palpatores Curiæ Romanæ, & hoc verſu inceſſit,

Gens ratione furens, & mentem paſta chymeris.

Has atrociſſimas cenſuras leuiſſimis munit Argumentis, ideſt, congeſtis nullo delectu & millies repetitis aliquot Patrum & Pontificum teſtimoniis, quæ vt eius verbis, & exemplo vtar, non magis ad rem faciant quam Heſiodi & Virgilij verſus.

Quartus ſupereſt & vltimus P. Nidardus, qui omnium acerbitates & corruptelas vincit, hoc nomine, quod illi ſæuiant verbis tenus, factis procul: hic conuitiorum parcior, quos conſciuit in D. Thomam, eiuſque Diſcipulos, turbines tempeſtateſque, prætextâ vltimæ Conſtitutionis Pontificiæ maligna, magis quam ſubtili interpretatione honeſtat, in quam veriſſimè cadit illud Tullij ex 1. Officiorum, *totius iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum cum maxime fallunt, id agunt vt viri boni eſſe videantur.*

Prohibuit ſeueriſſimè Summ. Pontifex de Conceptione Immaculata Conſtitutione poſtrema, ne quis peccati mortalis, aut erroris, incelleret aduerſam opinionem, aut eius aſſeclis quidquam moleſtiæ inferret: peſſimè habuit Nidardum

hæc Pontificia charitas & cautela, quæ in tuto Dominicanos poneret aduersus illorum conatus & consilia, qui aliquam Pontificiorum Decretorum rationem haberent. At nihil ista moratus, vt impunè & innoxiè in nos omnium manibus sæuiret, sublatâ etiam suspicione læsæ Constitutionis, interpretatus est, eâ prohiberi, ne quis definia de re, an hæresis & peccati lethalis noxam incurrant & pœnas dent, qui ita opinantur: liberum verò esse cuique, in eos sæuire ex problematica opinione, quam vt satis firmam efficiat, honestandæ adeò atroci damnationi, per omnes certitudinis gradus Constitutionem promouet, & suprà Moralem, Physicam, Metaphysicam, Primorum Principiorum quale est totum majus sua parte, euehit, sancitâ à Summo Pontifice laudabilitate opinionis, quæ ad omnimodam infallibilitatem, si vnam fidei diuinæ excipias, attollit; vt inde salua conscientia & salute, moliri liceat in Dominicanos, quidquid ex officina probabilitatis prodire poterit malorum.

Hæc è multis pauca, quæ in Diuum Thomam, eiusque discipulos eduntur, annotaui; quorum Auctoribus absit, vt paria imprecer mala, aut etiam reponam verba; contentus demonstrare Diuum Thomam eiusque discipulos, semper de Ecclesiâ, & toto genere humano bene meritos, inique tot calumniis & insectationibus vexari. Cæterum nullam pœnam deprecabor, si mihi has vindicias scribenti, exciderit quidquam præter grauis Theologi officium, si gratis lacessen-

tibus similia reposuerim. Deni que si aliud atrox & immane occurrerit, quod possit esse Lectori offendiculo, nisi quod accusationes iniquissimas relaturus sim, vt sepositа omni acerbitate verborum, sola vi Argumentorum refellam.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [583] - 543
PUBLIC

Extraict du Priuilege du Roy.


IL eſt permis au R. P. VINCENT BARON, Profeſſeur en Theologie, de l'Ordre des Freres Preſcheurs, d'imprimer où faire imprimer par qui bon luy ſemblera vn Liure qu'il a compoſé, intitulé *Manuductio ad nouum Theologiæ Scholaſticæ, Controuerſiæ & Ethicæ ſtudium vſus*, en vn ou pluſieurs volumes pendant le temps & eſpace de dix ans, durant lequel temps nous faiſons tres-expreſſes défenſes à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres de vendre & debiter ledit Liure ſans la permiſſion dudit Pere, où de ceux qui auront ordre de luy, à la charge qu'il ſera executé ſuiuant ſa forme & teneur contenuë en l'original. Donné à Paris le Mars 1658.

Par le Roy, FALENTIN.


Regiſtré ſur le Liure de la Communauté, ſuiuant l'Arreſt du Parlement en datte du 8. Auril 1653.

Ledit R. P. BARON a cedé, quitté, & tranſporté ledit Priuilege cy-deſſus à SIMEON PIGET Marchand Libraire à Paris, pour en jouïr en ſon lieu & place, ſuiuant l'acte paſſé entr'eux le 19. Aouſt. 1664.


Acheué d'imprimer pour la premiere fois le Traitté de Libertate & Scientia Dei *le 12. Nouembre 1665.*




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [585] - -
PUBLIC




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [586] - -
PUBLIC




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [587] - -
PUBLIC



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3 [588]
PUBLIC



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [589] - -
PUBLIC



GWLB Hannover 35
036 856 770
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [590]
PUBLIC

Niedersächsische
Landesbibliothek
3 Hannover
Am Archive 1

4 Z Z

I

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:3, [591] - -
PUBLIC



Signatur: Leibn. Marg. 210:2, [500]